R. P. MARTINI DE ESPARZA

Artieda Societatis Iesu.

QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE ACTIBVS HVMANIS.

Donum J. B. H. Alexandri VII.

QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE ACTIBVS HVMANIS,

Auctore

R.P. MARTINO DE ESPARZA
Artieda Societatis IESV.

ROMÆ,
Typis HH. Corbelletti. 1658.

Superiorum Permissu.

COSVVINVS NICKEL Societatis IESV Præpositus Generalis.

CVm Quæstiones de Actibus humanis P. Martini de Esparza Artieda nostræ Societatis, Sacerdotes tres eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandentur si ijs, ad quos spectat, ita videbitur. In cuius rei testimonium has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus. Romæ 1. Martij 1658.

Gosuuinus Nickel.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendissimo Pat. Magist. Sac. Pal. Apost.

M. A. Oddus Episc. Hyerap. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Palat. Apost. Mag.

INDEX

Quæstionum de Actibu humanis.

QVæst. 1. Vtrum actus humani ex suo conceptu referantur intrinsecè ad vltimum finem, volendo omnia propter ipsum? pag. 1.
Q. 2. Vtrum finis & Beatitudo obiectiua hominis; sit summũ & infinitum bonum, quod est Deus? pag. 14.
Q. 3. Vtrum Beatitudo nostra formalis consistat in sola visione Dei essentialiter inamissibili? pag. 30.
Q. 4. Vtrum amor beatificus sit indistinctus à fruitione, & gaudio, & differat specie à dilectione, & fruitione viæ? pag. 62.
Q. 5. Vtrum actus beatifici sint æquales in omnibus Beatis? pag. 74.
Q. 6. Vtrum Beatitudinem suam con-

consequatur per actus suos? pag. 86.
Q. 7. Vtrum actus humani sint ex suo Conceptu voluntarij? pag. 91.
Q. 8. Vtrum metus causet inuoluntarium simpliciter, vel saltem secundum quid? pag. 101.
Q. 9. Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium, aut diminutionem voluntarij? pag. 109.
Q. 10. Vtrum ignorantia causet inuoluntarium? pag. 115.
Q. 11. Vtrum voluntarium rectè diuidatur in liberum & necessarium? pag. 123.
Q. 12. Vtrum insit homini libertas indifferentiæ. p. 126.
Q. 13. Vtrum voluntas ad omne appetibile; omnibusque suis actibus feratur indifferenter? pag. 158.
Q. 14. Vtrum libertas in actu secundo sit adæquatè intrinseca actibus liberis? pag. 168.
Q. 15. Vtrum possibilis sit pura omissio libera? pag. 183.
Q. 16.

Q. 16. Vtrum actus liberi diuidantur in morales, & non morales? pag. 198.
Q. 17. Vtrum moralitas actuum sit prædicatum realiter distinctum ab omni ente physico? pag. 201.
Q. 18. Vtrum dignitas laudis, & vituperij sit proprietas actus moralis? pag. 206.
Q. 19. Vtrum libertas ad actus æquales sit sufficiens ad moralitatem? pag. 217.
Q. 20. Vtrum prima, & vniuersalis Regula morum sit Diuina voluntas? pag. 226
Q. 21. Vtrum voluntas diuina præcipiens, prohibens, consulens, permittens differãt realiter ex parte obiecti directi? pagin. 239.
Q. 22. Vtrum dictamen Cõscientiæ sit proxima, ac immediata regula morum? pag. 250.
Q. 23. Vtrum liceat vti qualibet opinione probabili, in quauis materia? pag. 261.

Q. 24.

Q. 24. Vtrum dictamen cõſcientiæ errantis, habeat vim obligandi, tãquam ſufficiens Regula morum? pag. 283.
Q. 25. Vtrum Bonitas & malitia actuum humanorũ dependeat ex obiecto, & circumſtantijs? pag. 294.
Q. 26. Vtrum diuiſio actus in bonum, & malum, ſit diuiſio generis in ſpecies? pag. 303.
Q. 27. Vtrum diuiſio actus moralis in bonum, & malum ſit adæquata? pag. 314.
Q. 28. Vtrum idem actus poſſit eſſe bonus ſimul & malus? pagin. 327.
Q. 29. Vtrum malitia moralis conſiſtat in ſola priuatione rectitudinis debitæ? pag. 343.
Q. 30. Vtrum opera noſtra bona, & mala ſint meritoria, & demeritoria apud Deũ? pag. 362.
Q. 31. Vtrum contemptus liber & arduus cõmodi temporalis ſit de cõceptu meriti? pag. 373.
Q. 32. Vtrum omnia, & ſola opera

ra

ra iusti viatoris, ipsiq. soli mereantur ex natura rei vitam æternam de condigno? pagin. 390.

Q. 33. Vtrum omne opus bonũ sit meritorium saltem de congruo quorum ibet donorum Dei? pag. 435.

Q. 34. Vtrum crescat meritum ex maiori intensione actus? pag. 457.

Q. 35. Vtrum dona tempore, aut natura priora possint esse præmiũ actus tempore, aut natura posterioris? pag. 457.

Q. 36. Vtrum detur mutua connexio ex natura rei cum mutua dependentia inter meritũ, & præmium? pag. 480.

Q. 37. Vtrum intentio habitualis bona, vel mala, conferat aliquid ad meritum, vel demeritum actuum deinde subsequẽtium? pag. 490.

Q. 38. Vtrum actiones externæ, & actus interni efficaciter, & omninò determinatè imperati

su-

ſuperaddant augmentum aliquod meriti? pag. 493.

Q. 39. Vtrum quis mereri poſſit per actus elicitos phyſice ab alio, ſibique nihilominus imputatos moraliter? pag. 508.

De his quæſtionibus agũt Theologi cum magiſtro partim in 4. à diſt. 49. parte verò maiori, in 2. à diſt. 38. & cum D. Thoma 1. 2. ab initio, vbi eorum citationes ſubintelligentur.

QVÆ.

QVAESTIONES DISPVTANDÆ DE ACTIBVS HVMANIS.

QVÆSTIO I.

Vtrum Actus humani ex suo conceptu referantur intrinsecè ad vltimum finem volendo omnia propter ipsum?

VIDENTVR non ità referri. 1. Quia id, propter quod, habet rationem causæ. Causa autem ex suo conceptu est prior effectu. Atqui repugnat vltimo, vt sit prius respectu alicuius. Repugnat ergò vltimò fini, vt propter ipsum sint volita alia, aut etiam aliquod aliorum.

2. Aliqui actus humani pertinent ad constitutionem intrinsecam vltimi finis, vt dicetur q. 3. Quidã verò alij fiunt absq; vlla deliberatione referente opus ad finẽ, siuè vltimũ; siue nõ vltimũ; vt cum mouetur pes, aut manus, vel fricatur barba ab eo, qui est intentus ad alia. Nihil autem refertur ad seipsum; & relatio ad finem videtur esse propria rationis deliberantis. Ergo

non omnes actus humani sunt propter vltimum finem.

3. Non solùm intellectus, sed etiam natura agit propter finem, quidquid agit, vt docet Philosophus 2. phys. à text. 49. atque adeò bruta etiam, & inanimata operantur propter finem. Ergò actionibus humanis non conuenit ex suo conceptu, tamquam aliquid proprium, & peculiare, vt sint propter finem.

4. Si actus humani, omnes essent propter vltimum finem; omnes essent eiusdem speciei. Quia actus voluntatis specificantur ex fine, suntque laudabiles, vel culpabiles iuxta ipsius qualitatem, vt infrà dicetur ex August. lib. 2. de Morib. Eccles. & Manich. cap. 13. & ex eodem docet D. Thom. q. 1. art. 3. Sequela autem est absurda apud omnes.

5. Vltimus finis omnium hominum, aliarumque omnium rerum est vnus, & idem, vt docet D. Thom. ibidem art. 7. & 8. alijque communiter. Ergò si omnes actus humani essent propter vltimum finem, omnes omnium hominum actus, cæterorumque actiones omnes essent propter vnum, eundemque finem. Hoc autem est contra experientiam. Alij namque homines operantur propter diuitias; alij propter honorem; alij propter voluptatem; & sic alij; atque alij multipliciter. Agentia verò naturalia habent singula singulos fines peculiares iuxta diuersitatem actionum, & effectuum suorũ; quos videlicet respiciunt, vt fines; cùm omne agens sit propter suam operationem, vt dicitur 2. de Cœlo text. 17.

6. Ea, quæ sunt ad finẽ, habent cognoscibilitatẽ, & bonitatẽ diuersã à bonitate, & cognoscibilitate finis vltimi, sicut habent entitatem diuersam ab eius entitate. Fieri igitur potest, vt intellectus aduertat ad bonitatem medij, seu finis proximi, quin actu quidquam cogitet de vltimo fine, ac proinde, vt illam solam, proponat voluntati. In hoc autem euentu non poterit

actus volũtatis ferri ad vltimũ finẽ, vt patet. Deinde sicut voluntas potest exerceri circa vltimum finem prætermisso liberè fine proximo; ità potest exerceri circa istum tantùm, illo liberè prætermisso; tametsi vterque finis simul proponatur ab intellectu. Quia non potest intellectus voluntatem redigere in seruitutem; ità vt non possit liberè amplecti, aut prætermittere quoduis eorum, quæ sibi proponuntur. Impossibile denique est, vt voluntas feratur ad vltimum finem per eos suos actus, quibus auertitur, vel diuertitur ab ipso vltimo fine. Auertitur autem & diuertitur ab eo per omnes suos actus lethaliter, & venialiter peccaminosos. Plures igitur sunt actus humani, qui non referuntur intrinsecè ad vltimum finem, sed vel ab eo præscindunt, vel opponuntur eidem.

7. Controuersia ista videtur esse de subiecto non supponente. Quia nullus datur vltimus finis, vel certè vltimus finis non est vnicus, aut respectu omnium hominum, aut etiam respectu cuiusque hominis seorsim pro omni tempore. Finis enim in primis coincidit cum bono. Bonũ autẽ ex conceptu suo vniuersaliter est diffusiuum sui, vt patet ex Dionysio cap. 4. de Diu. nom. initio: atque ideò quoduis bonum procedens ex alio bono est rursus principium alterius boni, & hoc alterius; & sic sine fine. Ergò in serie bonorum, atque adeò finium, non datur vltimum, sed proceditur in infinitum. Confirmatur; quia bonum, habet rationem finis, quatenus propositum per rationem. Processus autem rationis, & eorum, quæ dependent à ratione, nullum habent terminum; vt patet in speciebus numerorum, & proportionum geometricarum, nec non in reflexionibus possibilibus super quemlibet actũ directũ. Deinde quidã constituunt suum vltimum finem in diuitijs; quidam in voluptatibus; quidam in honoribus: quidam in virtute; alijque in alijs eiusmodi, vt prosequitur latè Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 1.

Præterea vnus & idem, postquam collocauit suum vltimum finem in aliquo eiusmodi bonorum genere, potest, mutato subinde proposito, collocare illum in alio genere, prout initio potuisset; Immò potest absolutè quodlibet ex illis genus respicere indeterminatè, vt vltimum finem, Ergo actibus humanis non conuenit, ex suo conceptu, determinatio, ad vnum aliquem vltimum finem.

Art. I. Respondetur. *Bonum est, quod omnia appetunt*, vt dicitur initio Ethic. Quod appetitur ratione sui, est finis, & motiuum formale: medium verò, & obiectum materiale, quod appetitur ratione alterius. Quod ratione sui tantùm, est finis vltimus, vel solùm negatiuè, vel etiam positiuè: quòd tantùm ratione alterius, est purum medium: quod simul ratione sui, & alterius, est finis proximus, aut intermedius. Res, quæ appetitur ratione sui, vt habenda ab aliquo, dicitur finis *qui*: Is, à quo illa habenda est, dicitur finis *cui*. Habitio denique, seu ratio formalis habendi, dicitur finis *quo*. Ex. gr. si quis amet sibi diuitias, ipse amans est finis *cui*; diuitiæ, finis *qui*; possessio, finis *quo*. Tres isti fines possunt idoneè ob oculos poni exemplo physico; Finis enim *cui* habet rationem subiecti in se substantialiter completi: finis *qui* rationem formæ accidentalis: finis *quo* rationem vnionis. Quarè primus ex his tribus finibus præeminet reliquis duobus, & secundus tertio; sicut substantia præeminet accidenti, & accidens suæ vnioni. Nempè primo inseruiunt reliqui duo, tamquàm dominanti; Et tertius æstimatur solùm tamquam nexus, & applicatio mutua reliquorum duorum; & siuè sit excedens secundum se, siuè non sit, tantundem quæritur, ac amatur, dummodò munus nectendi, & applicandi optimè præstet: Quod in reliquis duobus finibus minimè accidit, vt per se patet. Quòd si omnes isti tres fines in eandem entitatem conueniant, absque vlla inter se distinctione, ille

erit finis omnium præstantissimus, & præeminens vnicuique eorundem finium seorsim. Idem dicitur de finibus *qui*, & *quo*, conspirantibus in eandem entitatem: Hæc enim præcedit vtrilibet eorum seorsim. Illud primum apparet clarè in Deo amante se sibi & propter se. Istud secundum apparet, inter alia, in cognitione Dei; quæ est appetibilis, non solùm tamquam id, quo Deus possidetur, sed etiam tamquam id, quod ratione sui perficit subiectum; cùm & cognitiones obiectorum contemptibilium, vt peccatorum, appetantur.

Art.2. Operari formaliter propter finem, est operari discernendo id, propter quod cætera, circa quæ versatur actus amantur, aut odio habentur, aut prætermittuntur, cum prælatione eius respectu cæterorum, tamquam causæ amandi, odio habendi, aut prætermittendi cætera. Operari materialiter propter finem est, prosequi aliquid, vel auerti ab aliquo absque eiusmodi discretione, comparatione, & prælatione, aut postpositione. Si quis ità operetur propter aliquem finem, vt nullum quidem alium vlterius intendat actualiter, non tamen omnia alia in illum referat, nec eundem rebus omnibus alijs præferat, ille erit finis vltimus negatiuè, non verò positiuè, diciturque communiter finis vltimus non operantis, sed tantùm operis. Si verò omnia alia insuper ad eum referat, eumque omnibus alijs anteponat formaliter, vel æquiualenter, nolendo vlteriùs aliquid quærere, sed in illo omninò conquiescere; ille erit finis vltimus etiam positiuè, & non solùm respectu operis, sed etiam respectu operantis. Quòd si eiusmodi prælatio proueniat solùm, vel ex errore intellectus, vel ex abusu voluntatis, rei prælatæ conueniet per accidens tantùm ratio vltimi finis; per se verò, si eadem prælatio fundetur in natura ipsa rei propter præeminentiam bonitatis eius, comparatione cæterorum omnium.

Art.3. Certum est, homini conuenire, vt agat

formaliter propter finem. Quia homo est præditus intellectu, cuius proprium est comparare vnum cum alio, & discernere, atque dijudicare quid cui præferendum sit, & cui primus locus tribuendus sit in affectu; cui secundus; Voluntas autẽ operatur iuxta propositionem intellectus, & cognitionis, qua dirigitur. Ergò voluntas humana operatur præferendo vnum alterij, atq; ordinando minus bonum in melius: idest, volendo melius formaliter ratione sui, & vt finem; ratione verò alterius, & vt medium, quod est minus bonum, iuxta apparentiam vtriusque boni ex parte intellectùs. Suffragatur experientia volentium pugnam propter victoriam, & hanc propter patriæ incolumitatem, ac felicitatem: præsentiam medici propter remedia opportuna; hæc propter salutem, & hanc propter operationes, quibus quisque deditus est.; & sic de alijs eiusmodi. Brutis non inest talis vis discernendi, & comparandi. Quia, cum iudicare nihil possint, ne quidem comparare vnum alteri, aut præferre formaliter possunt. Appetunt igitur rem, quæ ab Auctore naturæ intenditur formaliter, vt finis ipsorum; non tamen eam appetunt formaliter, vt finem, sed tantùm materialiter.

Art. 4. Certum rursus est, dari finem aliquem vltimum respectu hominis. Quia si non daretur aliquid vltimũ, quo obtento quiesceret; neq; aliquid primum dari posset, à quo inciperet: Nemo enim desperans de fine vltimo, ac termino suæ actionis, ac motus, incipit agere, ac moueri, vt dicit Philosophus. Necesse autẽ est, vt desperet de termino, & fine vltimo, is, cui nihil reipsa vltimum propositum est, si hoc aduertat ante operationem, & motum. Ergò si non daretur aliquis finis vltimus hominis, solùm per accidens agere, ac moueri posset homo ex ignorantia, aut errore, & non per se, atque ex intentione Auctoris naturæ, dè cuius vtique intentione neque ignorantia est, neque error. Absurdum autem

tem est dicere, vti suggerit Philosophus. 1. Ethic. c.7. ad med. hominem per se, & ex intentione antecedenti naturæ, esse animal otiosum, & nihil vnquam acturum humano modo, & cum præuia deliberatione. Accedit finem in operabilibus, esse, sicut principium in demonstrabilibus, vt dicitur. 2. Phys. text. 89. In principijs autem demonstrationum non datur processus in infinitum, sed sistitur in aliquo primo, vt liquet ex 1. Post. à text. 6. Ergò nec in finibus datur processus in infinitum, sed sistitur in aliquo vltimo: & sicut nihil esset cognitum ratione alterius, si nullum esset primum cognitum, seu cognitum ratione sui tantum: ità nihil esset volitum ratione alterius, si nullus esset vltimus finis volitus ratione sui tantùm.

Art. 5. Ex his deducitur omnes actus humanos ex suo conceptu referri intrinsecè ad vltimum finem, nihilque aliud posse esse volitum actu proprio humano, quod non sit volitum propter ipsum vltimum finem. Non enim dicuntur actus propriè, ac strictè humani, quicunque ab homine procedunt, qualitercumque ab eo procedant, quique vel nihil differunt intrinsecè ab actibus brutorum, vel solùm differunt ab illis ex parte principij, absque vlla differentia ex parte obiecti, & modi illud attingendi, sed necesse præthereà est ex doctrina Philosophi 1. Ethic. c. 7. post med. & D. Thomæ q. 1. art. 1. ad rationem actus humani, vt differat ab actibus irrationalium etiam ex parte obiecti, & ex modo illud attingendi, vtque fiat ab homine, quà homo est, & quatenus est ratione præditus, habeatq; proinde obiectum præstantius, circa quod exerceatur; vel certè modum nobiliorem attingendi illud. Huiusmodi differentia hominis elucet maximè in libertate, & dominio, quo carent inanimata, & irrationalia. Vnde soli actus mediatè, vel immediatè liberi dicuntur propriè, & strictè humani à D. Thoma in dicto art. 1. vtpotè intento, prout ipse aduertit, ad solam morali-

tem nostrorum actuum in tota ista parte Theologiæ, de cuius moralitatis conceptu est libertas. Dici nihilominus absolutè possunt humani, ij etiam actus, qui præeminent actibus liberis, tametsi nec mediatè, nec immediatè liberi sint, quales imprimis sunt actus beatifici habiti à Christo Domino, & à paruulis beatis absque vlla libertate, nec non intentio vltimi finis secundum se, quæ ab omnibus necessariò concipitur, & est principium omnium actuum liberorum, vt infrà dicetur. Dici igitur potest cum Philosopho cap. illo 7. propiùs ad finem, quam ad Med. discrimen actus humani à non humano in hoc vniuersaliter consistere, quod actus humanus versatur circa bonum vniuersale, & latiùs patens, quàm bonum sensibile, & imaginabile, quodque proinde sit attingibile per solam rationem, & intellectum. Omnis autem actus liber, omnisque actus necessarius præeminens actibus liberis, & terminatus ad bonum vniuersale; refertur intrinsecè per se ipsum ad finem vltimum, neque quidquam aliud velle potest, quin velit propter ipsum. Quia quiquid volumus dependenter à cognitione repræsentante rationem vniuersalem boni, quam vtique cognitionem præsupponunt ex suo conceptu omnes actus liberi, vt infrà dicetur, & à fortiori actus necessarij præeminentes liberis; vel volumus, vt bonum perfectum, & se solo sufficiens; vel vt bonum imperfectum, incompletum, & se solo insufficiens. Si primum; patet actum immediatè, & formaliter versari circa vltimum finē. Quia ratio vltimi finis soli conuenit bono perfecto, & sufficienti se solo, vt dicit Philosoph. & exponetur ex eodem in quæst. sequen. Si secundum; patet similiter actum versari circa suum obiectum immediatum, referendo illud ad finem, vltimum, tamquam ad rationem supremā volendi, vel formaliter, & explicitè, vel saltem virtualiter, & implicitè. Necesse namque est, vt bonum incompletum, & inadæquatum appeta-

rur

tur in ordine ad completum, & adæquatum ab eo, qui præcognoscit vtrumque, vti planè præcognoscit, qui præcognoscit rationem vniuersalem boni. Hæc enim subordinatio imperfecti ad perfectum, & incompleti ad completum, apparet vniuersaliter in omnibus, quæ fiunt tum à natura, tum ab arte. Quia neutra incipit, aut progreditur, absque intentione complementi, & perfectionis.

Art, 5. Confirmatur. Quia finis vltimus comparatur cum alijs finibus proximo, & intermedijs, sicut causa prima efficiens cum causis secundis efficientibus, iuxta illud Apoc. 1. 8. *Ego sum α, & ω, principium, & finis*. Eodem videlicet modo subordinans sibi cætera sub vtroque conceptu. Ergo sicut causæ secundæ efficientes nihil agere possunt absque cooperatione causæ primæ efficientis; ità reliquæ causæ finales mouere nullatenus possunt independenter à motione vltimi finis. Confirmabitur idem rursus infrà inter exponendum diuisionem actuum humanorum in liberos, & necessarios; & liberorum in bonos, & malos: ostendetur enim de singulis, ratione peculiari, ordo eorum intrinsecus ad vltimum finem. Confirmatur interim postremò auctoritate Philosophi præmittentis. 1. Eth. c. 2. *Esse finem aliquem, quem propter ipsum, & propter quem alia volumus, neque omnia ob aliud eligimus*; nec non Augustini dicentis, ex consensu Philosophorum, lib 19. de Ciuit. c. 1 sub initium, *Illud esse finem boni nostri, propter quod amantur catera, illud autem propter se ipsum*: & lib. 13. de Trinit. c. 5. *Propter hoc* (felicitatem, & vltimum finem) *catera quacumque appetunt omnes homines*. Hoc ipsum docet ex professo Boet. lib. 3. de Cõsol, prosa 2. D. Thomas in hac q. 1. art. 6. & alij communiter ibidem aduersus Scotum, & nonnullos alios.

Ad 1. Finis omnium præstantissimus, & præeminens cæteris finibus est primus in intentione, & vltimus in executione; idest, causalita-

tem finalem exercet primus, vt præexistens intellectualiter in cognitione sui; simulque terminat vltimus causalitatem efficientem prout existens physicè in se ipso: ideòque est primus & vltimus sub diuersa consideratione. Quod nullius est incommodi. Absolutè autem dicitur potius finis vltimus, quia genus causæ efficientis est notius, & quia ad vnumquodque attenditur magis, vt est in se intrinsecè; ideòque hinc potius sortitur nomen.

Ad 2. Actus voluntatis constituentes beatitudinem formalem, & finem vltimum, vt *quo* maximè omnium sunt propter beatitudinem obiectiuam, & vltimum finem *qui*, vt apparebit q. 3, atque de isto fine, & beatitudine procedit quæstio. Actus verò, & motus hominis ad alia distracti, non sunt propriè, & strictè humani, vt apparet ex art. 5. Quia procedunt ex bono imaginato, aut ex ratione non transcendente limites imaginationis. Ista secunda pars responsionis est D. Thomæ in q. 1. ar. 1. ad 2. Circa responsionem eiusdem ibidem ad priorem partem argumenti videri multa possunt apud Caiet. & alios interpretes ibi, quibus tamen nequaquam opus est nobis propter diuersam notionem actus humani præmissam ex Philosopho in dicto art. 5. quæ videtur esse legitima.

Ad 3. Tam irrationalia, quàm rationalia agunt propter vltimum finem, quidquid agunt; sed cum hoc discrimine; quod irrationalia, eorumque innatus appetitus diriguntur, atque determinantur ad finem, & ad ea, quæ sunt ad finem, ab Auctore naturæ, & ab eius Sapientia, ac voluntate: sicut sagitta dirigitur ad scopum à sagittante, ideòque aguntur potiùs quàm agant. Rationalia verò dum rationaliter operantur, diriguntur, ac determinantur etiam per se ipsa ad finem, & ad media ex vi præcognitionis, ac deliberationis præexistentis in ipsis intrinsecè, ideòque modo peculiari mouent se

ipsa ad finem ab intrinseco, & peculiari proindè cum proprietate dicuntur agere, & non tantùm agi. Sola autem huius discriminis expressio intenditur re ipsa in doctrina tradita circa actus humanos.

Ad 4. Species actuum non desumitur ex fine vltimo saltem solo; sed etiam, vel vnicè ex fine proximo, ac intermedio, qui est multiplex, & varius, sicut sunt multiplices causæ secundæ efficientes, quæ inducunt diuersitatem specificam effectuum dependentium vniformiter à causâ prima.

Ad 5, Certum est, finem per se vltimum omnium hominum, aliarumque rerum omnium esse vnum, ac eundem, nempè Deum Optimum Maximum, vt patebit magis quæst. sequen. Cæterum fines proximi agentium tum naturalium, tum rationalium sunt diuersi: Agentium quidē naturalium, iuxtà diuersam summi boni participationem singulis eorum conuenientem, & iuxtà capacitatem inde resultantem multipliciter contribuendi ad gloriam Dei, eundemque manifestandi: Agentium verò rationalium, iuxta liberam insuper electionem, tum mediorum, quibus perueniant ad vnum vltimum finem: tum rerum, in quibus, ex errore intellectus, & peruersitate voluntatis, collocant rationem vltimi finis, materialiter propterea multiplicis, non verò formaliter, vt mox dicetur, & vberiùs exponetur in loco. Istas autem solas finium diuersitates conuincit obiectio.

Art. 1. Ad 6. fieri quidem potest, vt intellectus proponat voluntati peculiarem aliquam bonitatem rei creatæ, quin actualiter consideret rationem boni vniuersalis, quæ consideratio est necessaria ad rationem actus humani, vt dictum est. Fieri tamen non potest, vt intellectus consideret rationem boni vniuersalis, quin proponat voluntati vltimum finem. Quia ratio vltimi finis coincidit formaliter cum bono vndequaq.

perfecto, completo, & sufficienti se solo. Qui autem considerat rationem boni vniuersalis, non considerat bonum cum restrictione, tamquam sufficiens, vt benè sibi sit in hoc tantùm, vel in illo genere determinatè, quod est proprium boni particularis; sed tamquam sufficiens, vt benè sibi sit absolutè, & simpliciter, quod est proprium summi boni, & vltimi finis. Impossibile igitur est, vt actus humanus, seu proprius hominis, vt homo est modo suprà explicato, non præsupponat cognitionem vltimi finis, seu prædicati conuertibilis formaliter cum vltimo fine.

Art. 2. Operans autem cum præcognitione vltimi finis, vel illum prosequitur amplectendo simul illud determinatè bonum, cui reipsa conuenit ratio vltimi finis; vel contempto, seu prætermisso isto bono, adhæret alij bono, cui non conuenit reipsa ratio vltimi finis. Nec enim datur medium inter hæc extrema. Si primum; patet actum versari formaliter circa vltimum finem. Secundum autem euenire non potest, quin bonum illud, quod voluntas eligit, & præfert de facto, proponatur cum apparentia præeminentis illi bono, quod reipsa est vltimus finis, vt conuenientis illi potiùs bono, quod eligitur, & præfertur de facto; & quin hæc apparentia moueat de facto efficaciter voluntatem. Ostendetur enim infrà, voluntatem nostram non posse esse liberam inter extrema, quorum alterum cognoscitur præponderare alteri, quin, & hoc vicissim repræsentetur, vt aliquatenus præponderans illi; atque ista ratione præponderantiæ moueri, ac determinari, in quamcunque demum partem determinetur: Itaque in euentu proposito retinetur necessariò motio vltimi finis per vtramuis electionem, nec exercetur libertas; nisi in collocanda ratione vltimi finis, in hac determinatè re potiùs, quàm illa. Hoc ipsum dicitur de peccatore, quippè qui ita deserit illud bonum, quod reipsa est vltimus

timus finis, vt nihilominus proſequatur rationẽ ipſam vltimi finis; eamque collocet, per ſuum affectum falſa apparentia ſeductum in eo bono, cui adhæret de facto, & cuius proſecutione auertitur reipſa à ſuo vero vltimo fine. Sed de his fuſius infra.

Art. 1. Ad 7. Eſto, ſit de ratione boni, vt ſit diffuſiuum ſui: non tamen eſt de ratione eius, vt ſit diffuſum ab alio. Imò neceſſe eſt dari aliquod bonum à nullo alio bono procedens, nempè ſummum, & infinitum bonum, quod eſt Deus, vti demonſtratum eſt *quæſt. 2. de Deo*. Vnde patet non dari proceſſum in infinitum ſurſum verſus. Sed neque deorſum verſus ille datur. Quia illud idem ſummum, & infinitum bonum eſt præditum libertate, qua cætera omnia moderatur, & conſtituit effuſioni, & progreſſui bonorum, terminum vniuerſo congruentem, dum omnia in menſura, & numero, & pondere conſtituit, vt dicitur Sapientiæ 11. 21.

Art. 2. Iam dependentia finium à ratione non eſt dependentia à cauſa, ſed tanquam ab applicatione, quæ nõ eſt multiplicatiua applicatorũ, ſed ea applicat, qualia, & quot ſunt in ſe à parte rei. Reflexiones verò numeri, & proportiones geometricæ, non dependent priores à poſterioribus, ideoque ſiſtitur gradus vbiuis pro libito, abſque vllo inconuenienti: cum è conuerſo finium ordinatorum per ſe ſit mutua dependentia in diuerſo genere, ideòq. in ijs opus ſit, & primo, & vltimo, per ſe talibus, & non tantum per accidens, vt notatum eſt de ordine purè intellectuali, ſeu rationis purè ſpeculatiuæ.

Art. 3. Conceditur denique poſſe, tum diuerſos homines pro eodem tempore, tum eundem hominem pro diuerſis temporibus collocare ſuum vltimum finem in rebus diuerſis, modo paulò priùs indicato; negatur tamen fieri poſſe, vt appetitus eiuſdem hominis pro eodem tempore feratur in plura, tamquam in vltimos ſuos

fines

fines adæquatos. Quia vltimus finis dicitur bonum sufficiens, & satiatiuum appetitus se solo. Repugnat autem appetentem aliquid, tamquam satiatiuum, seque solo sibi sufficiens, simul appetere similiter aliquid aliud; cum appetitus satiari non possit absque omnibus, quæ appetit tamquam satiatiua sui. Necesse igitur est, vt vna solum res, aut vna sola rerum collectio appetatur, per vnumquemque actum humanum; tamquam vltimus finis, nec non ab vnoquoque homine pro vnaquaque temporis differentia.

QVÆSTIO II.

Vtrum finis vltimus et beatitudo obiectiua hominis sit summum et infinitum bonum, quod est Deus?

VIDETVR non esse, sed esse aliquid creatum finitum, ac limitatum. 1. Quia capacitas finita, & appetitus in ea fundatus, tum innatus, tum rationabiliter elicitus expletur bono finito. Capacitas autem hominis, cui cōmensuratur omnis eius appetitus, est finita, vtpotè indistincta ab entitate eius, quæ finita est; atque bonum expletiuum est bonum beatificum, vtpotè sufficiens eo ipso per se solum, atque perfectè quietatiuum. Ergò bonum beatificum hominis est quid finitum, & limitatum.

2. Necesse est hominem esse felicem, ac beatum habita omni sua perfectione, & corporis &

& animæ. Eo namque ipso habet, quidquid desiderare, ac velle potest: atque secundum Augustinum lib. 13. de Trinit. c. 4 & 5. Et alibi non semel, *Beatus est, qui habet omnia, quæ vult, & nihil malè vult.* Omnes autem perfectiones humanæ, tum corporis, tum animæ sunt aliquid creatum. Ergo beatitudo hominis est aliquid creatum.

3. Beatitudo obiectiua est illud bonum, cuius affectui cedunt, ac obediunt cæteri omnes affectus; & quo, vt dicit Boet. lib. 3. consol. pros. 2. constituitur *status omnium bonorum aggregatione perfectus*; ac demum, cuius desiderium est interminatum, ac infinitum. Hujusmodi autem bonum est pecunia, quia vt dicitur Eccles 10. 19. *Pecuniæ obediunt omnia*; quod spectat ad prędominium. Deinde, vt dicitur 5. Eth. cap. 5. nec non 1. Polit. c. 6. & 7. *Ad hoc nummus institutus est, vt sit quasi fideiussor habendi pro eo, quodcunque homo voluerit*; quod pertinet ad continentiam omnium bonorum in se. Demum, vt dicitur Eccles. 5. 9. *Auarus non implebitur pecunia*; quod pertinet ad interminationem, & infinitatem desiderij. Ergò beatitudo hominis consistit in diuitijs.

4. Beatitudo est maximum virtutis præmium ex Philosopho 2. Eth. c 9. Est quo homo euadit maxime similis Deo, quodque est maximè proprium Dei: & est id, propter quod cætera meritò contemnuntur. Hujusmodi autem est honor, & quæ ad honorem per se consequitur, fama, & gloria, & quæ vtrumque sibi deuincit, potestas super alios. Quia Philosophus 1. Ethic. cap. 3 dicit honorem esse maximũ virtutis præmium; atque Rom. 8. 18. passionibus Sanctorum sola retribuitur gloria. 1. verò ad Timoth. 1. 17. dicitur: *Soli Deo honor, & gloria*: & Exod. 22. 28. atque alibi non semel dicuntur Dij, qui sunt in potestate constituti, propter eximiam vtique similitudinem cum Deo. Demum homines faci-

sè patiuntur iacturam in rebus omnibus alijs, ne quam honoris iacturam patiantur, neque quidquam aliud volunt, nisi saluo honore. Ergò in his beatitudo consistit.

5. Finis vltimus, & beatitudo est, quod appetitur præcisè ratione sui, & cuius volendi nulla vlterior superest causa, vt dictum est in q. præced. Huiusmodi autem est voluptas. Quia vt dicitur 10. Ethic. cap. 2. *Ridiculum est quærere ab aliquo propter quid velit delectari.* Ergo beatitudo in voluptate, & delectabilibus consistit.

6. Qui laborat multiplici, vehementi, ac diuturna ægritudine, extrema inedia, publica infamia, & odio vniuersali, delusione sensuum, & peruersione intellectus, ac voluntatis. nequit esse beatus, vtcunque simul sit dispositus circa summum, & infinitum bonum, quod est Deus. Bona autem illis malis opposita sunt quid creatum. Ergo beatitudo nostra consistit in bonis creatis saltem partialiter, & inadæquatè, nec potest appetitus hominis, illis negatis, ita expleri sola Dei bonitate, vt consequatur plenũ, & vndequaque perfectum gaudium, neque quidquam aliud desiderandum supersit.

Art. 1. Respondetur. Beatitudo obiectiua dicitur ab omnibus cum Philosopho 1. Ethic. c. 2. maximè verò 7. & lib. 10. cap. 6. *Bonum sufficiens*; expletiuum videlicet appetitus tum innati, tũ eliciti, & toti indigentiæ subueniens; & cũ voluntate, & quod cũ subiecto beatificabili cõparatur, sicut comparatur cum vnoquoq. corpore centrum eius: ita vt illo obtento, nihil amplius cum sollicitudine, & anxietate quærendum supersit ob indigentiam; ad ipsius verò consequutionem, tamquam ad vltimum finem cætera omnia dirigi debeant: ac proindè ipsum ratione sui tantum, & cætera omnia ratione eiusdem amabilia, ac appetibilia sint per se. Nihil autem creatum tale bonum esse potest. Quia vt arguit D. Thomas q. 2. art. 8. voluntas humana est vniuersalis circa bonum, sicut intelle-

tellectus circà verum, ideòque illa est capax omnis boni, sicut hic est capax omnis veri. Nihil autem creatum; nullaque rerum creatarum collectio est omne bonum; cum Deus sit bonum quoddam minimè contentum in rebus creatis, sed eas omnes excedens infinitè. Nihil igitur creatum, nullaque rerum creatarum collectio explere potest se sola capacitatem humanæ voluntatis, aut eandem donare perfecta quiete, ac satietate. Imò omne bonum creatum sine Deo relinquit in voluntate vacuitatem quandam, & sollicitudinis, atque anxietatis materiam quodammodo infinitam comparatiuè, & secundum se infinitam simpliciter.

Art. 2. Accedit omnem bonitatem creatam esse defectuosam, & defectibilem: Defectuosam quidem, quia deest illi perfectio infinita Dei, nec non multiplex perfectio creata semper de nouo possibilis vltra quamlibet iam existentem. Defectibilem verò, quia omne bonum creatum prout distinctum ab actibus intellectus, & voluntatis, vti modò distinguitur, ac præscinditur, est contingens, & iam habitum deficere deinde potest, aut simpliciter interitu suo, aut respectu habentis, per violentiam alterius, aut per voluntatem Diuinam. Quà autem defectuosa est, repugnat illi, vt constituat statum cum felicem non indigentis vlla alia re. Quia vbi adest defectus, necessariò adest indigentia eius, quod deficit, respectu potentiæ respicientis vniuersaliter rationem boni vt sic. Quà verò defectibilis est & amissibilis, repugnat quieti, & tranquillitati animi. Quia possibilitas amissionis tenet cũ sollicitum, & inquietum, & eò magis, quò maius est bonum. Neque verò irrequietam eam sollicitudinem pellere quidquam potest, quod à bono defectibili prouenlat, quatenus ab eo prouenit, vt patet; quandoquidem fundatur in ipsa defectibilitate bonorum. Quæ quidem rationes militant validius aduersus constitutionem beatitudinis, & finis vltimi per bona fortunæ, &

cor-

corporalia, vtpotè contractioris entitatis, ac bonitatis, magisque obnoxia corruptioni, & quæ multiplici de causa facilè amittuntur. Nihil igitur creatum, nullaque rerum creatarum collectio, præsertim sensibilium, & corporalium, potest esse bonum beatificum hominis.

Art.3. Demonstratur hoc ipsum clarius, descendendo in particulari ad singula genera rerum creatarum, quæ omnes possunt in tres classes distribui. Prima est rerum extra nos positarum, inter quas eminent, quæ dicuntur bona fortunæ, nempè diuitiæ, fama, potestas, de quibus differit D. Thomas q. 2. per quatuor priores articulos. Secunda est earum, quæ nobis inhærent intrinsecè, atque pertinent ad corpus, & partem sensitiuam vt, sanitas, vires, perspicacia sensuum, voluptates, de quibus agitur ibidem art.5. & 6. Tertia est earum, quæ pertinent ad animam quatenus rationalem, atq; illi inhærent, de quibus differitur ibidem ar.7. Nihil autem horum sufficit ad beatitudinem, secluso Deo. Non sufficiunt in primis bona fortunæ. Primò quia, cum sint extrinseca, non possunt immediatè per se perficere hominem, & cum sint inferioris ordinis, non possunt gignere vi sua actus admodum perfectos, qui imperfectionem miseriæ excludant ab homine. Secundò, quia possideri non possunt à singulis absque detrimento aliorum; Vnde odium, & contentiones, semen, aut germen miseriæ, aut potiùs vtrumque. Tertiò, quia non satiant appetitum, sed magis accendunt, & siti maioris cumuli cruciant; vt experientia liquet omnium adhærentium eiusmodi bonis, eaque aut non habentium, aut quærentium semper maiora. Quartò, quia qui contemnit talia bona, æstimatur propterea melior ab optimis, & sapientissimis; cum beatitudo omninò contemni non possit, nec debeat. Quinto quia nihili fiunt absque sanitate, & alijs bonis corporis, aut certè comparatione eorum; cum beatitudo seclusis omni-

bus alijs, & comparatiuè ad omnia alia sit summum bonum, summeque æstimabile

Art.4. Præterea, descendendo magis in particulari intra idem genus; diuitiæ maximè cum anxietate quæruntur, & conseruantur; feliciùs, & laudabilius erogantur, quàm congeruntur; nec sunt appetibiles propter se, sed vt instrumenta & sumptus vitæ; vndè fit, vt minuantur fruitione sui, sitque proindè fruitio dolorosa, aut concomitanter, aut consequenter. Deinde honor exhibitus à creatura supponit excellentiam honorati, quæ procul dubio præponderat notitiæ, quam de honore sibi exhibito idem honoratus habere potest. Hæc autem sola notitia perficit honoratum, cum honor ipse sit potiùs in honorante, tamquam bonum proprium ipsius, eundemque solum afficiens intrinsecè. Id verò est contra conceptum beatitudinis vtpotè manifestè præponderantis reliquis beati bonis. Euidens porrò est plurıs haberi meruisse honorem exhibendum, quàm nouisse exhibitum, ne dicatur, quod absurdissimum est, honorabiliorem aliquem reddi notitia honoris sibi exhibiti, quàm priori meritò, & causa eiusdem exhibendi. Rursus hoc bonum pendet ex arbitrio alterius indifferentis ad iustum, & iniustum. Eadem est ratio de fama, quæ consistit in opinione hominum. Commune insuper vtrique est, quod honestè contemnitur, nec non quod proueniat à iudicio fallibili. Denique potestas temporalis est indifferens ad vsum, & abusum, atq; perfectio eius est ex actione sibi superaddita; cum vera felicitas sit bonum repugnans malo, & non progrediens vlteriùs, vt perficiatur.

Artt.5. Iam bona corporis, tametsi maioris aliquantò momenti sint, nec ipsa sola ad beatitudinem sufficiunt. Primùm, quia sunt inferiora bonis animi, vtpotè præstantioris, & quodammodo sunt communia cum brutis; cum beatitudo excellat cæteris bonis, atque homo etiam miser habeat bonum, quo bruta omnia superet.

Dein-

Deinde quia præditus bonis corporis vtcumque magnis, si simul careat honore, fama, & alijs extrinsecis, vti carere facilè potest, est miser; cum beatus, nulla re, nulliusque rei defectu miser simul esse possit. Tertiò, quia hæc bona, sicut & præcedentia fortunæ, sunt compossibilia cum peccato, & peruersitate hominis, atque adeo cum merito pœnarum, & inimicitiæ Dei; eumque ipsis pœnis, & inimicitia, quæ felicitati repugnant. Denique voluptates corporis, quibus maximè nonnulli beatitudinem deuinciunt, si sint immoderatæ, opponuntur rectæ rationi, & bonis spiritualibus, nocentque saluti, atque iucundæ, ac vegetæ corporis constitutioni. Si autem moderatè vsurpandæ sunt, vt ex reipsa sunt; hoc ipsum demonstrat non esse expetendas propter se præcisè, atque illimitatè; quo tamen modo expetendus est vltimus finis: sed esse appetendas, quatenus moderatæ sunt, & sufficiunt pro tuenda vita, & obtinendis alijs finibus per se seorsim honestis.

Art. 6. Bona demum animi duplici differentia continentur. Alia namque sunt principia operandi; alia sunt operationes ipsæ intellectus, & voluntatis. Principia operandi dantur homini propter operationem, tamquam propter finem. Vnde liquet ipsa principia non esse vltimum finem, quo habito quiescere iure possit homo; tamquam in centro: Et quidem si homo principijs operandi nullam adijceret operationem, foret imperfectissimus, & infelicissimus, atq; meritò contemnendus. Deindè si ea principia sunt præcisè naturalia, sunt eò ipso indifferentia ad operationes bonas & malas; hoc est, ad felicitatem, aut minorem infelicitatem, atque ad magnam infelicitatem. Si verò supernaturalia sint, euehunt hominem ad obiectum se ipso maius, seu ordinis superioris. ergo istud potius obiectū seu aliquid ordinis eius superioris, erit beatitudo obiectiua. Operationes autem ipsæ, vt possint esse beatitudo formalis, & vt quo; beatitudo tamen obiectiua, & vt quod, seu

vlti-

vltimus finis qui possidendus per alias cognitiones, aut volitiones reflexas nequaquam esse possunt. Quia si excellentes sint; erunt inferiores suis obiectis, vt patet in cognitione, & amore Dei, Angeli, & ipsius hominis. Vnde ea potiùs obiecta erunt beatitudo obiectiua; cum obiectum beatificum sit præstantissimum omnium. Si verò excellentes non sint, eo ipso sunt minùs aptæ, quæ beatitudinem constituant, atq; beatificent obiectiuè.

Art.7. Quod autem homo se solo (quæ sola & Angeli consideratio superest extra Deum) non possit esse sua beatitudo obiectiua, sicut est Deus respectu sui, ex eo patet clarissimè; quia indiget multis a se distinctis, sine quibus malè habet, & est infelix; cum beatitudo sit bonum sufficiens, vt dictum est. Idem suo modo dicitur de Angelo, vtpotè ob eandem rationem insufficiente sibi, ac proindè misero, si nihil aliud sibi superaddatur. Patet autem cognitionem, & amorem Angeli quatenus miseri, non sufficere ad hominis felicitatem. Vndè Angelo, & homini hoc est commune, vt vterque beatificetur bono ab eis distincto, eisdemque præstantiori. Quod enim fuerit summum bonum vnius, erit etiam summum bonum alterius; cum vterque sit capax omnis boni, vt dicebatur de homine art.1. De qualibet porrò creatura perfectiori, & perfectiori in infinitum syncategorematicè potest institui eadem prorsus argumentatio, vt apparet consideranti. Constat igitur ex ratione vniuersali, & ex sufficienti partium enumeratione nihil creatum secluso Deo esse beatitudinem obiectiuam hominis.

Art.8. Dicendum itaque est, pertinere quidem ad integritatem, & ad perfectionem accidentalem seu secundariam beatitudinis humanæ bona aliqua creata; ea nimirum, quæ pertinent ad perfectionem, & complementum intrinsecum corporis, & animi, & cadunt sub vtriusque appetitum innatum, nec non elicitum con-

for-

formem innato: cæterùm eandem beatitudinem essentialiter, & quoad suum conceptum primarium constitui adæquatè per solam bonitatem Dei; idque esse omninò certum. Prior pars de multiplici bonitate creata requisita secundariò ad integritatem, & adæquatum complementum beatitudinis, apparet satis ex rationibus dubitandi, & apparebit magis ex responsionibus earum, multo verò clariùs ex ijs, quæ adijcientur q. sequenti. Posterior pars de essentia, & conceptu primariò eiusdem beatitudinis adæquatè constituto per infinitam Dei bonitatem, deque huius rei certitudine, colligitur communiter à Sanctis PP. & à Theologis ex illo ps.72. 26. *Pars mea Deus in æternum*: ps.143. fine; *Beatus populus, cuius, Dominus Deus, eius*. Ioann. 17.3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*: & ex similibus permultis, quæ sunt obuia apud Auctores in præsenti circa dictum art. 8. D. Thomæ. Vndè August. inter alios, lib. 19. de Ciuit. cap. 16. *Vt vita corporis, anima est*, inquit: *ita vita beata hominis, Deus est.*

Art. 9. Ratio est: quia Deus est omne bonum continens in se formaliter omnem puram bonitatem, omnemque perfectionem sine imperfectione; atque eminenter, & causaliter omnem aliam bonitatem. Ipse igitur est bonum essentialiter vniuersale se solo potens, atque sufficiens satiare appetitum nostrum, & explere totam, quanta est, capacitatem nostræ voluntatis. Cuius videlicet sphæra protendi non potest vltra ambitum totius bonitatis, & quæ indigere nulla re potest, si possideat bonum formaliter infinitum secundum se in omni genere, & inductiuum omnium aliorum bonorum, quibus intrinsecè afficientibus, & quomodolibet extrinsecè fouentibus, ac perficientibus indigere potest homo ex sua natura, & quibus propterea indigere amplius non potest ex suppositione, quod possideat Deum, ex quo ea omnia percipiuntur. Solus igitur Deus est primariò, & essen-

essentialiter bonum illud sufficiens; depulsiuum se solo omnis indigentiæ, & perfectè quietatiuum appetitus, cui bono beatitudinem nostram obiectiuam deuinxit Philosophus supra, & ex eo omnes deinde alij.

Art. 10. Accedit, Deum esse rerum omnium principium, vt patet ex q. 2. de Deo. Ergò idem est finis vltimus rerum omnium, vt inferebatur in q. præced. Beatitudo autem coincidit cum fine vltimo. Quia obtenta beatitudine nihil superest, quò tendat vlterius voluntas nostra, sed in ea perfectè, ac vltimatè quiescit. Accedit rursus, beatitudinem nostram formalem consistere in perfectissima nostra operatione, vt dicetur in q. seq. Obiectum autem formale adæquatum, motiuum, & causatiuum perfectissimæ nostræ operationis est sola perfectio diuinæ essentiæ, vt ibidem patebit, atque beatitudo obiectiua constituitur adæquatè per obiectū formale adæquatum beatitudinis formalis. Ergò perfectio Diuinæ essentiæ constituit se sola adæquate conceptum essentialem ac primarium beatitudinis nostræ obiectiuæ. Accedit denique, quò maius est vnumquodque bonum, eò esse maius gaudium, quod resultat ex eius possessione. Deus autem se solo est summum bonum, nec maior, ac æstimabilior bonitatis cumulus consurgit ex ipso cum creaturis coniuncto, quam ijsdem seclusis. Quia cætera omnia sunt puræ participationes bonitatis Diuinæ, vt præcontinentis illa in se adæquatè, modo etiam perfectiori, quàm sint in se ipsis intrinsecè. Ergò ex sola Dei solius possessione resultat summum gaudium, tamquam ex fonte satiatiuo omnis appetitus. Patet verò ex sola beatitudine obiectiua, tamquam ex bono per se solum sufficienti resultare summum gaudium satiatiuum, & perfectè, ac adæquatè quietatiuum appetitus humani. Ergò solus Deus est essentialiter beatitudo nostra obiectiua.

Art. 11. Conuenit autem Deo, vt sit summum bo-

bonum nostrum, nostraque beatitudo obiectiua, in actu quidem primo proximo per sua prædicata necessaria secundum se; in actu verò secundo nobis extrinseco, per liberam suam voluntatem. Deo enim necessariò, ac essentialiter inest plenitudo omnis bonitatis in omni genere non solùm respectu sui, sed etiam respectu aliorum omnium, atque ideò se solo est essentialiter necessariò bonum perfectè, & completè sufficiens, tum sibi, tum alijs, possessum à se, sibiq; summè communicatum, ac proinde summè beatificans se ipsum necessariò, & similiter potens dare se se, & communicare alijs, ac proinde beatificare alios quoslibet, quantum fert, cuiusque capacitas. Quia verò hoc præstare potest sola sua voluntate, & potentia, cui nihil resistere potest; propterea se solo essentialiter est beatitudo quorumlibet aliorum in actu primo proximo, & aptitudinaliter: At in actu secundo, & actualiter constituitur summum bonum cuiusque proprium, eiusque beatitudo obiectiua per liberam suam voluntatem, quà vult se ipsum dare, & communicare alijs permanenter. Nempè Deus est sui iuris essentialiter, ideòque non potest possideri ab aliquo alio, & fieri bonum proprium, & suum eiusdem, præterquam sua ipsius libera voluntate.

Art. 12. Quòd si hæc diuina voluntas non fuerit dandi, & communicandi se permanenter cum stabilitate æternùm inuariabili, eo ipso non erit voluntas beatificandi, aut proximè, & actualiter sufficiens ad beatificandum. Quia non erit sufficiens ad securitatem, & assensum omninò certum, quo is, cui Deus se se communicauerit, firmissimè sibi persuadeat se numquam fore miserum. Quæ tamen securitas, & certitudo eius assensus est de conceptu beatitudinis formalis, vt apparebit in quæst. seq. Quapropter sicut Deus est obiectum formale fidei, quatenus reuelans; & spei quatenus promittens, & charitatis, quatenus mutuò beneuolus: ità est obiectum

ctum actus beatifici, quatenus æternum inuariabiliter dans, & communicans se ipsum; idest, beatitudo obiectiua est summum, ac infinitum bonum quatenus proprium, & suum ipsius beati permanenter, ac inuariabiliter; proprietate, & suitate vltimò completa per voluntatem ipsius summi boni indistinctam realiter ab eodem.

Ad 1. Omnis capacitas entitatiuè finita expletur bono intrinsecè afficienti finito, aut infinito quatenus finitè tantum, ac limitate perfectiuo; at obiectiuè, & extrinsece expleri nequaquam potest capacitas intellectus, & voluntatis humanæ, nisi per bonum infinitum, vt infinitũ. Quia vtraque potentia est extrinsece, & obiectiuè capax boni simpliciter infiniti, vtpotè pertingens vniuersaliter ad rationem veri, & boni vt sic, quatenus complectitur sub se finitum, & infinitum. Vndè neutra potest habere in se intrinsecè summam suam perfectionem entitatiuè finitam, ac limitatam, idest, operationem suam perfectissimam, quin simul habeat obiectiuè, & extrinsecè verum, & bonum simpliciter infinitum. Hinc patet etiam ad secundum, quod laborat falsa suppositione. Quia non potest haberi omnis perfectio intrinseca propria animæ rationalis, nisi habito simul obiectiuè, & extrinsecè summo, ac infinito bono.

Ad 3. Vt effectui pecuniæ cedant aliquatenus cæteri affectus, qui versantur circa bona corporalia, & commutabilia, quatenus omnia eiusmodi bona quodammodo continentur in pecunia, non tamen cedit eidem, nisi per accidens, affectus circa bona spiritualia, & propria animæ, quæ videlicet pro pecunia haberi non possunt, nec in ea vllo pacto continentur, vt habetur ex prouerbior. 17. 16. *Quid prodest stulto diuitias habere, cum sapientiam emere non possit?* Ex quo vlteriùs apparet, appetitum diuitiarum non esse interminatum per se, & secundum rectam rationem justè æstimatiuam ipsarũ

Quia non possunt appeti honestè, nisi quatenus sufficientes, ac vtiles ad comparanda alia bona necessaria, & vtilia pro conseruatione, & perfectione vitæ corporalis, ideoque appetuntur ratione alterius vt finis, & sub mensura ab eodem præscripta; contemnuntur verò honestiùs, & reputantur vt stercora, ac detrimenta, exemplo Apostolico, comparatione bonorum spiritualium. Neutrum autem horum cadit in bonum beatificum, vt patet. Quapropter quòd auarus non impleatur pecunia, non prouenit ex vi beatifica pecuniæ, & ex merito, ac dignitate eius, sed ex vitio, & inordinato affectu auari, & ex infelicitate, quæ vitio, ac inordinationi essentialiter inest, vtpotè expolianti hominem maxima sua perfectione, maximèque decenti,

Ad 4. Honor, fama, & gloria humana retribuitur virtuti ab hominibus, quia nihil habent maius, quod retribuant, aut quo vsque adeò indeficienter abundent, erga omnes benemeritos. Cæterum non ea est illud præmium, propter quod agendum est virtuosè, aut etiã agi virtuosè potest. Quia, qui propter gloriam, & honorem humanum operatur, ambitiosus, ac proindè vitiosus est, & miser; atque ad hypocrisim potiùs, quàm ad veram virtutem moueri inde potest motione positiua, & libera operanti. Prætereà virtus; & dignitas honoris, ac famæ, quæ inest vnicuique intrinsecè, est maius ipsius bonum, quàm honor, & gloria humana indè resultans, & afficiens, ac perficiens intrinsecè solùm honorantem, vt dictum est suprà. Beatitudo verò consistit in maximo bono. Honor itaque, & gloria, verè, & legitimè, ac adæquatè compensatiua virtutis, est, quæ habetur apud Deũ. Quia hæc gloria, non est causata à bonitate, quæ inest honorato, sed est causatiua bonitatis, & dignitatis, per quam honoratus, & glorificatus à Deo fit maximè similis ipsi, proptereàque dignus honore, & reuerentia apud alios. Hic idem honor, & gloria apud Deum est id, propter

per quod meritò contemnuntur cætera omnia ſeparabilia ab ipſo; non verò honor, & gloria humana. Qua videlicet contempta per infamiã, & bonam famam proſecuti ſunt viri Sancti iter ſalutis glorioſum apud Deum. Non igitur bona omnia abſolutè, ſed bona alia temporalia tantū ſunt contemptibilia præ honore, & gloria humana. Iam poteſtas ſuper alios, cum, vt dictum eſt, ſit indifferens, ſicut reliqua bona temporalia, ad vſum, & abuſum, ideòque ad dignitatem laudis, & vituperij; meritum, & demeritum, felicitatem, & miſeriam; apparet quod ſit participatio Diuinitatis valdè imperfecta, & inſufficiens ad beatitudinem.

Ad 5. Delectationes corporales, quia ſunt maxime notæ, eaque de cauſa, tamquam maxima bona à pleriſque quæruntur, ac præferuntur delectationibus ſpiritualibus, nomine voluptatis abſolutè prolato, tanquam vnicæ intelliguntur communiter. Cæterum delectationes ſpirituales, & propriæ ſubſtantiæ rationalis, & hominis, quà homo eſt, ſunt incomparabiliter maiores. Quia cum ſubſtantia rationalis, & homo, quà homo eſt, ac differt à brutis, ſit longè perfectior; eſt vtique eatenus capax boni incomparabiliter maioris. Bonum autem maius eſt cauſatiuum maioris delectationis. Vnde, ſi beatitudo obiectiua hominis eſſet collocanda in delectationibus; in ſpiritualibus vtique delectationibus, & non in corporalibus, collocanda eſſet. Eo vel maximè, quia, vt dictum eſt ſuprà, delectationes corporales poſſunt eſſe nimiæ, corruptiuæ ſalutis, & perturbatiuæ rationis, atque deordinatiuæ appetitus rationalis; ideſt, ſummè nociuæ reſpectu corporis, & animæ. Bono autem beatifico repugnat, vt ſit nimium, aut nociuum ratione ſui qualiſcumque augmenti. Quia nimirum repugnat, vt quis ſit nimiùm Beatus, eaque præciſe de cauſa male habeat, aut animo, aut corpore, & ſit proindè miſer, quia eſt quàm maximè beatus, vti fieri po-

est, vt malè habeat, quia est nimiùm deditus voluptatibus corporalibus. Voluptates igitur corporales non sunt quærendæ absolutè ratione sui, sed ratione alterius, & sub mensura ab alio præstantiori fine præscripta. Consequenter non est absolutè stultum, quærere, quarè quis corporaliter delectari velit, atque istud delectationis genus in talem vsque determinatum gradum vsurpare. Quapropter Philosophus solùm intendit stultam esse quæstionem de voluptate, & delectatione; præcisè, quà voluptas & delectatio est. Id enim perinde est, atque quætere rationem, ob quam quis velit bonum, quà bonũ est, eiusdemque boni possessionem. Quia vnumquodque bonum constituit vnum integrum obiectum volibile simul cum possessione, & fruitione sui. Sicut ergò quæri nihilominùs sapienter, & reddi potest ratio, ob quam quis velit tale determinatum bonum potiùs, quàm aliud incompossibile cum illo: ità etiam sapienter quæritur, & redditur ratio, ob quam quis velit talem determinatam delectationẽ potiùs, quàm aliam incompossibilem cum illa; atque circà voluptates corporales debet semper vnicuique suppetere talis aliqua vlterior ratio, propter causam iam indicatam.

Ad 6. Impossibile imprimis est, vt qui possidet perfectè summum, ac infinitum bonum, quod est Deus, illique penitus adhæret; patiatur nihilominus peruersionem intellectus, aut voluntatis per cognitionem falsam aut per actum peccaminosũ. Quia veritas Diuina est idea adæquata omnium aliarum veritatum, & Diuina bonitas est similiter vinculum totius honestatis; ideoq; repugnat, vt intuens clarè Deum, eundemque diligens ex ea visione, simul aut assentiatur alicui falsitati, aut incidat in aliquod peccatum. Impossibile rursùs est, vt possidens perfectè Deum, patiatur simul malum aliquod, aut vexationem, atque molestiam, seu animi, seu corporis absque lucro maiori inde prouenturo.

Quia

Quia cui Deus donat se perfectè possidendum, eo ipso constituit se amicum eius amicitia perfectà, est autem contra conceptum amicitiæ, vt amicus amicum vexet inutiliter, & sine lucro, & absque intentione, vt tandem aliquando perueniat ad plenam tranquillitatem expertem omnis vlteriùs vexationis, atque molestiæ. Impossibile denique est, vt gaudium resultans ex summo, ac infinito bono perfectè possesso non ita absorbeat sensum doloris, vtcumque acerbi inducibilis per passiones, & temporales, & lucrosas, vt ijs non obstantibus, reddat animum absolutè tranquillum, ac felicem, atque hilariter dominantem cruciatibus eiusmodi, prout accidit de facto in Christo Domino, dum fuit viator simul & comprehensor. Impossibile igitur est, vt non sit beatus, qui perfectè possidet summum, ac infinitum bonum quod est Deus, atque in ipso tamquam in radice, & causa, cætera omnia bona, vel de præsenti vel saltem de futuro indefectibiliter.

QVAESTIO III.

Vtrum beatitudo nostra formalis consistat in sola visione Dei essentialiter inamissibili?

VIDETVR non consistere in ea saltem sola. 1. Quia visio Dei est quid creatum, Nihil autem creatum est beatitudo nostra formalis. Quia beatitudo est sũmum bonum, & vltimus finis; quorum neutrum conuenit vlli rei creatæ ex q. præcedenti, sed soli Deo. Vndè August. lib. 1. de doctr. Christ. c. 4. 5. & 22. dicit, & ex ipso dicunt cæteri omnes, solo Deo fruendum esse. Beatitudo autem est obiectum fruitionis; cùm vsus sit eorum tantùm, & omnium, quæ ad aliud, nempè ad ipsam beatitudinem referuntur. Eodem pertinet, obiectum spei, quà vtique speratur beatitudo, esse solum Deum. vt liquet ex q. 33. de virt. Theol. Nihil igitur creatum est beatitudo nostra formalis.

2. Visio Dei est quædam ipsius videntis operatio. Beatitudo autem non est operatio ipsius beati. Quia beatitudo est status quidam ex Boet. suprà; est vna vnius, & auctore, atque vnico largitore Deo, cæteris inest omnibus. At operatio non est aliquid ex se permanens, vti est status ex suo conceptu, sed est transiens, ac variabilis, & in vnoquoque multiplex; & insuper, quæ vitalis est, vti est visio, est ab intrinseco, eoque existens auctore, cui inest.

3. Visio Dei est operatio purè intellectualis. Beatitudo autem hominis non potest consistere in sola operatione purè intellectuali. Quia beatitudo est, bonum se solo sufficiens. & perfectum

est ex Philosopho suprà. Operatio autē purè intellectualis non potest esse tale hominis bonum; Quia nequit perficere hominem secundum omnes suas partes, nempè secundum partē etiam sensitiuam, ac animalem. Imò nulla operatio intellectualis humana potest esse perfecta, nisi præexistente perfectione operationis sensitiuæ. Quia intellectus humanus dependet à sensu, & perfectio illius à perfectione huius. Ergò, vt homo sit adæquatè perfectus, seque toto benè habeat secundum animam, & corpus, imò & secundum animam præcisè, requiritur perfecta operatio sensus.

4. Primo principio correspondet vltimus finis, vt dictum est suprà. Voluntas autem per suam operationem est in vnoquoque primum principium mouens. Quia suo Imperio mouet reliquas omnes potentias ad operandum. Ergò eadem per suam aliquam operationem est vltimus finis, tribuens reliquis potentijs perfectam quietem, satietatem, & pacem; quæ est finis vltimus, & beatitudo formalis hominis, iuxta illud ps. 147. 14. *Qui ponit fines tuos pacem*. Confirmatur; Quia beatitudo obiectiua est summum bonum, vt dictum est suprà. Summum autem bonum, vt tale, pertinet formaliter ad voluntatem. Ergò ad eandem pertinet beatitudo formalis, atque in eius operatione essentialiter consistit.

5. Operatio nobilissimæ potentiæ est nobilissima, atque beatitudo formalis, si quidem consistat in operatione, consistit vtique in operatione nobilissima; voluntas autem est nobilissima potentia, & præeminet intellectui simul cum reliquis potentijs. Primùm, quia est potentia libera, & dominatiua; atque liberum, & dominatiuum præeminet obsecutiuo, & determinato ad vnum. Deindè finis omnium operationum intellectus est perfecta operatio voluntatis: nempè ad ipsam, tamquam ad scopum, & terminum progredimur per illas, tamquam per media;

neque eâ habita quidquam vlterius superest, cui impendatur actiuitas naturæ rationalis. Qua de causa dicit Ansel. lib. 2. *Cur Deus homo* c. 1. *peruersum esse ordinem amare, vt intelligas.* Rursus, voluntas trahitur per suos actus ad obiectum, eiusque induit naturam, & inclinationes. Intellectus verò è conuerso, trahit ad se obiectum suum, ipsumque quodammodo transformat in naturam suam. Melius autem est hominem transformari in Deum, quàm Deum in hominē. Ergò maior est perfectio voluntatis, quàm intellectus, saltem comparatione Dei, vt obiecti, atque adeò & simpliciter. Demum reliquæ potentiæ mouentur impulsu voluntatis. Ergò non possunt quiescere, donec quiescat voluntas, ipsaque quiescente necessariò quiescunt. Quies igitur voluntatis, quæ procul dubio habetur per actum ipsius, nempè per fruitionem summi boni, est perfectio, essentia, & vinculum totius beatitudinis formalis.

§6. Proprium, & peculiare amoris amicitiæ est, ex Philosopho, & alijs communiter, vt bona amicorum reddat illis communia, & sua cuiusque, quæ sunt alterius. Ergò, quousque visioni Dei nō intelligatur adiūcta amicabilis dilectio eiusdem, non intelligitur summum bonum factum proprium, & suum ipsius videntis, ac proindè non potest de eodem gaudere, & delectari, tanquam de bono proprio: sine qua tamen delectatione, vel certè absque proxima dispositione, & possibilitate summæ delectationis voluptatis, & gaudij, conceptus beatitudinis perfectæ nequaquam subsistit. Ergò ad conceptum essentialem beatitudinis, & perfectam summi boni possessionem, requiritur, vltra visionem, amor amicitiæ erga Deum. Accedit, alia bonorum genera, vt agros, domos, & similia non possideri, nec fieri propria videntis, per solam eorum visionem. Ergò nec summum bonum, quod est Deus, possidetur per solam eius visionem. Accedit rursus aspectum hominis non esse de-

lecta-

lectabilem, nec conferre ad felicitatem videntis, si non sit amicus, & potius contristare; si sit inimicus. Ergò nec Deus visus delectare, & felicitare potest, quin visioni superaddatur amor amicitiæ.

7. Beatitudo inchoata, & imperfecta viatoris, aut vnicè, aut saltem præcipuè constituitur formaliter per dilectionem charitatis. Ergò beatitudo etiam completa, & perfecta patriæ constituitur formaliter per eandem. Patet antecedens; Quia perfectio charitatis est maior, quam perfectio fidei, & reliquorum donorum gratiæ, quæ habentur in via, vt constat ex 1. ad Corinth. toto c. 13. vbi demum concluditur. *Maior autem horum est charitas*. Beatitudo autem formalis est maximum, & perfectissimum in vnoquoque bonum. Probatur consequentia; Quia omnes habitus, & actus crescunt in patria sub eadem proportione supra habitus, & actus viatoris. Ergò charitas patriæ præeminet similiter reliquis donis, & actibus proprijs eius status. Eadem ferè paritatis ratio instruitur ex statu puræ naturæ. Quia vltima eius beatitudo includeret in suo conceptu primario dilectionem Dei; qua videlicet seclusa non posset solidari homo pro eo statu, in conseruatione stabili innocentiæ, & immunitate à peccatis, idest, à summa miseria. Ordo autem supernaturalis imitatur ordinem naturalem, eidemque iustà quoad omnia proportione correspondet, vtpotè fundatus in ordine naturali, atque ad eundem, non destruendum, aut inuertendum, sed promouendum, ac perficiendum institutus.

8. In sacris litteris significatur communiter beatitudo nomine gaudij, & voluptatis; Matth. 25 21. *Intra in gaudium Domini tui*; Ps. 35. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Ob quæ & alia similia quamplura concludit August. lib. 8. de Ciuit. c. 9. *Quisquis ergò fruitur eo, quod amat, verumque, & summum bonum amat; quis eum beatum, nisi miserrimus, negets* Atque hic profectò

videtur esse communis hominum sensus, in summa voluptate summam felicitatem sitam esse, eandemque esse florem simul, & fructum cæterorum omnium bonorum. Huc etiam pertinet sententia suprà memorata Philosophi, de prosecutione delectationis nullam quæstionem, nullamque vlterius rationem esse posse: cum de prosecutione cæterorum quorumlibet inquiri meritò possit, & optimè respondeatur: Quia placet: Quia delectat. Ergò beatitudo formaliter consistit in actu gaudij; atque delectatio, & gaudium est suprema, & vltima cæterarum omnium ratio, & id, propter quod cætera volumus, ac proindè est summum bonum inter ea, quæ vnicuique intrinsecè inhærent; quandoquidem ex Philosopho in illo c. 7. id, propter quod cætera, sit maximum.

9. Omne ens creatum est annihilabile, aut corruptibile à Deo, saltem de potentia absoluta. Quod est vsque adeò certum, ac indubitatum ex testimonijs scripturæ, & communi consensu Patrum, vt Tannerus, Ripalda, & nonnulli alij non dubitauerint oppositum dicere, vt minimùm, temerarium, ac erroneum. Cum ergò visio Dei sit aliquid creatum, non potest esse intrinsecè, ac essentialiter inamissibilis, ac proindè hæc eius conditio non pertinet ad conceptum beatitudinis humanæ.

10. Non potest esse beatus, qui non cognoscit suam summi boni possessionem, seu possideri à se suum summum bonum. Quia non potest gaudere de summo bono vt suo, deque eius possessione, non præeunte cognitione ipsius possessionis, & suitatis. Hæc autem cognitio habetur per reflexionem supra visionem directam Dei, quæ videlicet est possessio summi boni. Ergò beatitudo nostra formalis non constituitur per visionem Dei, sed per cognitionem reflexam huius visionis, vti arguunt nonnulli apud Bacchonum.

11. Perfecta, & adæquata coniunctio homi-

nis cum Deo, nec habetur per solam visionem Dei, nec per solam eiusdem dilectionem, sed vtramque simul, visione quodammodo trahente dilectorem ad Deum, propter vim repræsentatiuam, & attractiuam obiecti propriam visionis, & propter vim ecstaticam, & transformatiuam amantis in amatum, similiter propriam dilectionis, vt tradit Dionysius, & ex eo cæteri communiter. Essentia autem beatitudinis nostræ formalis consistit adæquatè in perfecta, & adæquata coniunctione mutua cum Deo. Ergò beatitudo nostra formalis, neque consistit in sola visione Dei, vt docet D. Thomas, & ex eo Vasquez, & alij: neque in solo actu voluntatis, vt volunt Scotus, & alij: sed in vtroque actu simul, vti pluribus contendunt Suarez. Molina, Valentia, & Alij, secuti D. Bonauenturam cum fundamento haud quaquam leui in Scriptura, & Sanctis PP. adscribentibus promiscuè beatitudinem nostram, modò visioni; modo dilectioni, seu fruitioni Dei; nec non in Extrauag. *Benedictus*, in qua Benedictus XII. definit, visione, & fruitione Dei Animas esse verè beatas.

Art. 1. *Respondetur*. Certum imprimis est, requiri aliquid distinctum à Deo, & homine, vt homo reddatur actualiter, & formaliter beatus. Fieri namque potest, vt existente Deo, & homine deficiat nihilominùs actualis, & formalis beatitudo hominis; vt apparet in multis hominibus coexistentibus Deo, & nihilominus miseris. Necesse autem est, ea inter se distinguere realiter, quæ sunt separabilia quoad existentiam, seu quorum alterum potest non existere existente altero. Nec vacat dicere, Deitatem habentem se diuersimodè in ordine ad hominem posse per se ipsam præcisè, nulla superaddita entitate creata, modo in miseria illum relinquere, modò beatum reddere. Quia modus ille diuersus se habendi est separabilis realiter à Deitate, & homine, secundum se consideratis; ergò est distinctus realiter ab vtrisque. Nec sufficit, si rursus di-

catur modum illum diuersum esse purè intentionalem, & indistinctum à volitione libera Diuina, quæ potest diuersimode denominare, & præstare effectus formales diuersos nulla superaddita re creata. Non, inquam, sufficit; quia oportet designare obiectum speciale eius liberæ volitionis, & quidem diuersum pro diuersitate instantium, pro quibus præstat diuersas, siuè denominationes, siue effectus formales; quia si vult idem semper, & pro semper, necesse est, vt idem semper præstet, & pro semper: nempè Deus solum præstare potest ex vi suæ voluntatis, quod vult, & quando vult. Hinc refellitur opinio, quę cōmuniter tribuitur Henrico quodl. 13. quæst.12. de constitutione nostræ beatitudinis formalis per illapsum Deitatis in animam. Si enim nomine illapsus non intelligatur donum aliquod creatum afficiens intrinsecè animam beatam, prout ille insinuat, licet perobscurè; incidit manifestè ea opinio in impugnationē modò prælatam. Nempè si vox *illapsus* superaddatur vocibus *Dei*, & *hominis*, quin superaddatur vllum obiectum obiectis significatis per istas duas posteriores voces; deprehenditur clarè perperam vocem vocibus superaddi, & illusoriam loquutionem vsurpari, atque implicantia dici, cum intenditur dari eadem præcisè, quæ anteà, simulque dari aliquid, siue absolutum, siue modale de nouo.

Art.2. Certum rursus est, eiusmodi requisitum ad beatitudinem formalem hominis distinctum realiter à Deo, & homine, & ab vtriusque coexistentia, non esse vnionem, seu physicam, seù intentionalem naturæ, aut personæ Diuinæ cum homine, aut natura humana, ratione cuius vnionis substantia creata reddatur formaliter, aut intelligens, aut volens, per intellectionem, aut volitionem increatam. Constat enim ex quæst.27. de Incarnat. hoc esse impossibile & notum prætereà ex fide soli Christo Domino obtigisse vnionem hypostaticam. Necesse igitur

gitur eſt Beatitudinem noſtram formalem conſtitui per aliquid purè creatum diſtinctum realiter à Deo, & à nobis, & non vniens phyſicè Deum cum homine beato.

Art.3. Certum denique eſt, actualem, ac formalem beatitudinem noſtram non conſiſtere in aliquo nobis extrinſeco ſecundum ſe præcisè conſiderato, ſdd in aliquo nobis intrinſecè inhærenti, atque vnito phyſicè nobis. Primùm, quia ex ijs, quæ nobis non inhærent intrinſecè, nihil eſt tam ſufficiens, & idoneum ad beatificandum formaliter, quàm ſumma, ac infinita bonitas Dei; quam tamen oſtenſum eſt ſecundū ſe præcise non poſſe nos beatificare formaliter, ſeu in genere cauſæ formalis, ſed oportere, vt aliquid præterea ſuperaddatur realiter. Deinde menſura bonitatis comparatiuæ conuenientis vnicuique rei reſpectu cuiuſque ſubiecti, eſt vis perfectiua, & melioratiua eiuſdem ſubiecti. Nemo enim computauerit inter bona ſua, id, quo nihil in ſe perficitur immediatè, & ex quo præterea nihil reſultare poteſt, quo meliùs habeat in ſe, & perficiatur intrinſecè. Nempè eatenus præcisè vnumquodq; bonum æſtimatur, atq; diligitur ab vnoquoq; per amorē ſui, quatenus, vel eo, ſvel ex eo benè habere poteſt in ſe intrinſecè. Contemnuntur enim ab vnoquoque, quatenus dilectore ſui, ea omnia, cum quibus, & ſine quibus æquè benè habet in ſe intrinſecè. Confirmatur paritate malorum. Quia nullum reſpectu cuiuſquam malum cenſetur, quod nullam auſert perfectionem intrinſecam, aut mentis, aut corporis, nullamque inducit, aut inducere valet qualitatem intrinſecè deterioratiuam, ac nocentem. Nullum igitur ſimiliter reſpectu cuiuſquam bonum eſt, quod neque eſt vlla perfectio eius intrinſeca, neque eſt inductiuum vllius talis perfectionis. Cum ergò Beatitudo noſtra formalis non ſit id, per quod mediatè tantum, & cauſaliter reddimur beati, ac felices, ſed id, per quod immediatè, & formaliter conſtitui-

stituimur tales; oportet, vt sit aliquid intrinsecè inhærens beato, ipsumque physicè informans, ac perficiens. Oportet verò præterea, vt id ipsum sit aliquod accidens, aut aliqua accidentium collectio; quandòquidem præmissum initio est, beatitudinem formalem hominis esse separabilem, & distinctam realiter ab eius substantia adæquatè sumpta.

Art. 4. Accidentia porrò afficientia intrinsecè hominem alia pertinent ad actum primum operandi, vt habitus; alia sunt operationes ipsæ, vt actus intelligendi, & volendi. Beatitudo autem formalis non constituitur per ea, quæ pertinēt ad actum primum, sed per operationē, aut collectionem aliquam operationum, vt docet Philosophus 1. Ethic. cap. 8. D. Thom. q. 3. art. 2. alijquè communiter. Ratio est; quia finis præeminet ijs, quæ sunt ad finem; & quod propter se, ijs, quæ propter aliud. Finis autem cuiusque potentiæ operatiuæ est operatio illi correspondens, vt dicit ibidem Philosophus; & propterea est frustrà ex eodem, & ex D. Thoma potentia, quæ non reducitur ad actum; cum id omne, & solùm sit frustrà, quod non assequitur suum finē. Ergò operatio præeminet potentiæ ad operandum, & habet rationem finis; idest, potens operari habet pro fine se ipsum, vt operantem; qua expositione occurritur dubitationi Vasquez aduersus istam probationem Philosophi, & D. Thomæ. Beatitudo autem est quod præeminet cæteris; & est finis cæterorum. Ergò beatitudo consistit in operatione. Cùm ista probatione coincidit alia probatio eorundem Philosophi, & D. Thomæ, quæ in hunc ferè modum proponitur à D. Thoma. Ens in potentia est imperfectum; perfectum verò, quod est in actu. Qui enim potest esse sapiens, & est insipiens, est imperfectus; perfectus verò, sapiens actu. Qui potest esse probus, & est improbus, aut non probus, est imperfectus; perfectus verò, qui est probus actu. In sūma, quidquid, & quis quis potest agere,

& est

& est in otio, eo ipso contemnitur; liberatur verò à contemptu depulso otio. Beatus autem, est absolutè perfectus, neque contemni iure potest. Ergò beatus quatenus talis, est operans, & non solum potens operari; ac proindè constituitur formaliter, & proximè in ratione beati per operationem & non per solam potentiam operandi.

Art. 5. Verùm quia operationes hominis sunt multiplices, videndum superest, an per omnes illas, an per aliquam, vel aliquas ex illis reddatur beatus. Certùm imprimis est, operationes pertinentas ad partem sensitiuam, non pertinere ad essentiam, seu substantiam beatitudinis formalis, sed solùm ad accidentalem perfectionem, & complementum eius. Quia in quæst. præced. exclusa sunt à substantia, & conceptu primario obiecti beatifici omnia sensibilia. Indidem prætereà deducitur, nec etiam pertinere ad essentiam eiusdem beatitudinis, actus rationales intellectus, & voluntatis, qui versantur directè, & immediatè circa obiecta creata, quatenus cognita, & amata ratione sui. Quia ibidem ostensum est nihil creatum posse esse obiectum essentialiter, ac substantialiter beatificum. Sed neque quilibet promiscuè actus circà Deum sufficiunt ad beatitudinem. Quia etiam in damnatis qui sunt extremè miseri datur aliqua Dei cognitio, & aliqua existentiæ diuinæ volitio, vt infrà dicetur. Immò neque cognitio, quæ habetur de Deo per fidem, & dilectio Dei per eam cognitionem directa, sufficiunt ad beatitudinem perfectam, & simpliciter talem. Quia viri Sancti habentes vtrumque eum actum, & quidem, in gradu valdè perfecto, concupiuerunt nihilominus *dissolui & esse cum Christo*, vt dicebat Apostolus: idest, transire ab eo statu, in quo erant, ad alium præstantiorem, & de illis actibus ad alios perfectiores; Cùm tamen nemo concupiscere possit status perfectè & simpliciter beati, & operationum sic beatificantium di-

missionem, ac permutationem.

Art. 6. Ratio huius rei est duplex. Prima est, cognitione abstractiua Dei, & amore amicitiæ per eam directo, accendi potiùs, quàm extingui, seu expleri desiderium cognoscendi Deum perfectè; videndo eum vt est in se, & amandi ipsum; eodemque fruendi per actum ea visione directũ. Proprium namque amicitiæ est desiderium vidẽdi amicum, eundemque amandi, vt visum, & perfruendi consuetudine ipsius, maximè si cognosci non possit tam perfectè abstractiua, quam intuitiua cognitione, prout accidit in Deo. Altera ratio est; quia actus fidei, & dilectionis in ea fundatæ, non habent ex se permanentiam, & stabilitatem: cum ipsi, & habitus, ex quibus dependent, possint amitti peccando. Permanentia autem, & stabilitas expers timoris incidendi in miseriam, & inimicitiam cum Deo, est de conceptu beatitudinis formalis, vt ex se satis patet, & paulò pòst confirmabitur magis. Hinc colligitur à fortiori nullos actus intrinsecè naturales intellectus, & voluntatis sufficere ad beatitudinem perfectè, & simpliciter talem, quia sunt imperfectiores fide, & dilectione supernaturali. Constat igitur, ad beatitudinem perfectam, & simpliciter talem, necessariam esse visionem immediatam Dei, vt est in se.

Art. 7. An verò sola visio immediata Dei sufficiat ad essentiam, & conceptum primarium beatitudinis; an solus amor, seu amicitiæ, seu fruitionis; an vterque actus requiratur, atque in eo conceptu includatur, ingens apud nonnullos controuersia est; leuis apud alios, & purè vocalis; apud Gabrielem verò, Valentiam, & non nullos alios perobscura, & prorsus indeterminabilis, ingenioque hominis viatoris, quoad excessum perfectionis, & mutuam inter eos actus comparationem. Dicendum verò est, essentiam & conceptum primarium beatitudinis nostræ formalis consistere adæquatè in sola visione Dei immediata, eaque intrinsecè, ac essentia-

liter indefectibili, seu respiciente Deum, vt summi videntis boni in actu secundo iuxta explicationem præmissam in quæst. præced. art. 11. & 12. actum verò voluntatis, qui consequitur ad hanc visionem, & est amor amicitiæ, simul & fruitionis circa Deum, vt infra dicetur, pertinere ad conceptum secundarium eiusdem beatitudinis, tamquam partem integralem, & cõplementum substantiale ipsius. Et quidem quòd beatitudo formalis essentialiter consistat in solo actu intellectus; quòd visio sit principalior in beatitudine, quàm delectatio; & quòd delectatio consequatur ad beatitudinem formalem iam præhabitam, tamquam proprietas eius, docet ex professo D. Thom. quæst. ista 3. art. 4. & q. 4. art. 2 & 1. par. q. 26. art. 2. Vbi habet hæc verba: *Id autem, quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia. Vnde cuiuslibet intellectualis naturæ beatitudo consistit in intelligendo*; nẽpè perfectissimè per visionẽ Dei.

Art. 8. Quod caput est, hanc sententiam insinuant, haud leuiter, Sacræ litteræ. Matth. enim 5. 8. *Beati*, dicuntur, *mundo corde: quoniam ipsi Deũ videbunt*. Quæ causalis esset inadæquata, & insufficiens, si beatitudo non consisteret in sola visione. Simili causali vtitur Christus Dominus Matth. 18. 10. ad demonstrandã felicitatẽ & eximiam Angelorum dignitatem dicens: *Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Ergò hoc solo sunt felices, & summa, cuius sunt capaces, æstimatione digni. Prætereà Apostolus conferens miseriam vitæ præsentis cum felicitate futura, & imperfectionem istam puerilem cum illo alio statu adultæ, & perfectæ ætatis, recurrit vnicè ad eandem visionem. 1. Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum; tunc autem facie ad faciem*. Ergò sola facialis visio est formalis ratio mutationis status, & transitus à miseria, & imperfectione, ad perfectionem, & felicitatẽ. Eodem sensu dicitur 1. Ioan. 3. 2. *Scimus, quoniam,*

cum

cum apparuerit, similes ei erimus (in quo consistit summa hominis perfectio, & felicitas) *quoniam videbimus eum sicuti est*. Ergò per visionem Dei constituitur formaliter summa hominis conformitas cum Deo, & (quod indè consequens est) indidem euadit homo perfectè particeps felicitatis Diuinæ; In cuius profectò participatione perfecta consistit perfecta felicitas creata. Huc etiam pertinet ex interpretatione August. Ruper. Innoc. 3. & aliorum, illud Ioann. 17. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum*. In hunc sensum maximè propendent, circa hæc, & similia, in psalmis præsertim frequentia testimonia, quàm plures Sancti PP. apud Vasquez in præsenti.

Art. 9. Esse autem, de conceptu visionis perfectè beatificantis, intrinsecam ipsius indefectibilitatem, & æternitatem à parte post; ità vt ipsa visione, quæ procul dubio est essentialiter vera, cognoscat Beatus, nunquam eam defuturam sibi esse, docetur in primis apertè ab August. lib. 10. de Ciuit. cap. 3. fin. vbi de vita beatorũ concludit sic. *Quæ beatissima esse non poterit, nisi de sua fuerit æternitate certissima*: & rursus ibidem; *Non enim beata erit, nisi secura*. Similiter lib. 11. eiusdem operis c. 25. *Sed etiam*, ait, *ipse iustus non viuit, vt vult, nisi eò peruenerit, vbi mori, falli, offendi non possit, eique sit certum ità esse futurum*. In hanc eandem sententiam de certissima æternitatis notitia propria beati, quà beatus est, loquitur sæpè sæpiùs luculenter; & clarè idem August. lib. 21. & 22. eiusdem operis de Ciuit. nec non lib. 5. & sequentibus de Trinit. & alibi.

Art. 10. Ratio huius rei efficax, & manifesta est: Quia beatitudo ex suo conceptu est depulsiua mœroris, & anxietatis perturbantis, ac deijcientis animum; estque perfectè possessiua sũmi boni. Neutrum autem haberetur per visionẽ, si ipsa non cognosceret æternam sui durationẽ, atque indefectibilitatem intrinsecam. Si quis

enim ità videat Deum immediatè, vt simul cognoscat defuturam sibi esse eam visionem intra diem, mensem, annum, aut quamuis aliam determinatam durationem, non potest non habere tantam mœroris materiam ex iactura imminenti, quanta suppetit gaudendi materia ex præsentia summi boni. Nempè quod habetur cũ gaudio, non amittitur absque æquali doloris sẽsu, cæteris paribus. Quod si ignoretur euentus conseruationis, aut amissionis; ipsa hæc incertitudo, & periculum relapsus in miseriam, iam præappræhensum, non poterit non vehementer angere, ac cruciare animum; sicut non posset plurimùm consolari damnatos, eorumque mitigare miseriam, quælibet vel minimæ spei scintillla, aut suspicio etiam leuissima, euadendi tandem aliquando ab eo statu ad felicitatem. . Est igitur de ratione actus beatifici, notitia penitùs certa dè sua perpetuitate, Idem colligitur ex conceptu possessionis summi boni; est enim de ratione beatitudinis possessio summi boni. Et rursus est de ratione possessionis potestas stabilis, & interminata vtendi, ac fruendi re possessa. Quæ enim habentur ad horam, mensem, annum, non possidentur propriè, sed habentur precariò, commodato, in deposito &c. & dicuntur possideri tantum secundum quid, & impropriè. Necesse autem præterea est, vt ea firmitas, ac stabilitas interminata innotescat possidenti, alioquin enim erit purè materialis possessio, nec res habebitur animo verè possessorio, ac dominatiuo. Ergò notitia perpetuitatis est de rati one visionis beatificantis.

Art. II. Confirmatur validè. Quia tale confertur præmium beatis, videturque collatum visione beatificante. quale promittitur viatoribus, & ab eisdem creditur, atque speratur conferendum. Nempè hæc vniformitas promissionis, & collationis, est de conceptu præmij fideliter soluti. Promittitur autem; & creditur, atque speratur præmium æternum, vt æternũ,

iuxta

iuxta illa Oracula: *Æternum gloriæ pondus operatur: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis: Gratia Dei, vita æterna*; & similia quam plura. Confertur igitur, & accipitur præmium æternum, vt æternum, nec latet beatum accipientem, taliter illud sibi conferri, qualiter crediderat, ac sperauerat, atque promissum fuerat conferendum. Accipitur autem tantum illud bonum per visionem, & per eandem constituitur, vt *quo*, saltem partialiter, aut remotè. Ergò visio beatifica fertur in Deum, vt volentem communicare se beato, eiusque appetitum explere fruitione sui pro tota æternitate. Ac proindè beatus ea ipsa visione cognoscit in Deo illum suum statum esse æternum, & consequenter fore æternam eandem visionem, vtpotè constitutiuam eius status, vel saltem præsuppositam essentialiter ab eodem.

Art. 12. Quòd autem huiusmodi visio se sola adæquatè constituat conceptum essentialem, ac primarium beatitudinis formalis ex eo perspici potest. Primò, quia essentia in vnoquoque dicitur primum eius discretiuum à rebus omnibus alijs, quodque simul est radix cæterorum omnium, quæ insunt eidem. Vtrumque autem conuenit eiusmodi visioni Dei, quia nemo videns Deum, vt summum suum bonum in actu secundo, potest esse miser, aut potest carere vlla re necessaria ad felicem statum, & ad perfectionē adæquatam mentis, & corporis. Si enim fieri posset alterutrum ex his, fieri vtiq. posset, vt, aut visio Dei immediata redderetur falsa; aut frustraretur voluntas Diuina. Neutrum autem horum fieri potest, vt patet. Ergò neutrum illorum fieri potest. Patet sequela. Quia visio, qua videtur Deus, vt summum videntis bonum in actu secundo, videt Deum velle efficaciter se communicare æternùm videnti, atque cum eodem æternùm agere amicabiliter; ideoque illi conferre æternam bonorum omnium animæ, & corporis abundantiam, imò & superabundantiā,

iuxta

iuxta illud Luc.6.28. *Mensuram bonam, confertam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Quam Diuinam voluntatem, patentem modò fidei nostræ, præmissum est, exponi, etiam in patria, visioni Beatorum propriæ. Ergò sequela proposita negari minimè potest Quia verò ante visionem nihil præsupponitur inhærens intrinsecè beato, quod essentialiter connectatur cum ea bonorum omnium abundantia æternà; quodque per se formaliter sit intima ipsius sũmi boni præsentia, & communicatio perfecta; siquidem solum præsupponitur lumen gloriæ, cui secundum se non repugnat, vt de potentia absoluta impediatur ab omni operatione, vtque desinat esse, Deo, nolente, aut illi cooperari, aut ipsum conseruare, atque vtrouis ex his modo, destruitur conceptus beatitudinis, eique substituitur miseria: Colligitur planè, visionem esse primum discretiuum intrinsecum beati à non beato, primamque radicem cæterorum bonorũ omnium spectantium ad complementum, & totalem beatitudinis perfectionem; atque ideò eandem visionem, se sola esse beatificatiuam essentialiter, ac formaliter.

Art. 13. Ex hoc discursu colligitur præterea eandem visionem Dei se sola esse perfectam summi ac infiniti boni possessionem. Quia eo res quælibet perfectè possidetur, quo quis ità præsentem illam sibi reddit, suaque in potestate ità constituit, vt nulla vlterius superaddita suà, aut alterius actione possessoria, seu iuuante quomodolibet possessionem, possit illa frui, & omne commodum, atque oblectamentum percipere, quod ex illa percipi absolutè potest. Nulla enim reperitur optabilior, magisque perfecta possessio, quàm ista, vti facta inductione per omnia possessionum genera manifestè cuiq; patebit. Visio autem Dei, qualis nuper exposita est, & ostensa existens de facto, Deum reddit eo modo præsentem videnti, atque in eiusdem potestate constitutum. Repugnat enim

Deum

Deum aliter reddi magis præsentem, aut alium ex eo fructum percipi, quàm perfectissimum amoris, & fruitionis genus, circa ipsum, & superefluentem aliorum omnium bonorum redundantiam ex eodem, quæ omnia, supposita eiusmodi visione, constituuntur in proxima potentia videntis metaphysicè inimpedibili, vt iam innotuit. Ergò ea visio est possessio summi, ac summi, ac infiniti boni vndequaque perfecta.

Art. 14. Indidem vlteriùs deducitur, eandem visionem præeminere absolutè perfectione, & æstimabilitate dilectioni, & fruitioni summì boni. Quia præcipua laus vniuscuiusque collocatur in consecutione potiùs, & possessione bonorum, quàm in amore, & dilectione eorum deinde subsequenti: neque magni quisquam æstimatur, quia delectatur bonis suis iam præhabitis; sed magis, quia habet, vnde verè delectetur, & gaudeat. Certè miles non laudatur, nec magni fit, quia gaudet de obtenta victoria; sed quia obtinuit; & qui finem suum, atque felicitatem reponunt in diuitijs, aut etiam in voluptate; non propterea se se alijs præferunt, aut putant se magni faciendos comparatione aliorum, quia delectantur illis bonis iam habitis, eademque plurimo prosequuntur amore; sed potiùs quià possident magnas diuitias; quia ingentem honoris, & gloriæ cumulum compararunt; quia consecuti sunt latè patentem super alios potestatem, & quia delectabilibus, omnibusque ad delectationem necessarijs abundant. Constat itaque ex communi hominum consensu præcipuam cuiusque perfectionem, & æstimabilitatem sitam esse in ea potiùs operatione, quà obtinetur, & possidetur maximum eius bonum, quàm in amore, & gaudio deinde subsequenti. Præeminet ergò visio Dei, qua obtinetur, & possidetur summum bonum, amori, & fruitioni eius deindè subsequenti. Alia huius rei ratio à priori videri potest in quæst. 46. de Virt. Theol. §. *Quando verò* & Vbi etiam tradita est

est legitima ratio concordiæ inter hanc doctrinam, quæ proculdubio est D. Thomæ, vt præmissum est, & quædam alia eius loca, in quibus videtur docere, quòd voluntas absolutè præmineat intellectui.

Art. 15. Concluditur itaque beatitudinem nostram formalem perfectam, & simpliciter talem consistere essentialiter, & primariò in sola visione Dei, siuè dicatur eam constitui possessione summi boni, vt dicit D. Thom. vbi suprà, ex August. vbi suprà, & alibi, definiente sæpè beatitudinem per habitionem eorum, quæ quisque vult, quin velit aliquid malè; siue dicatur constitui operatione perfectissima, vt vult idem D. Thom. in hac q. 3. art. 2. ex Philos. 1. Ethic. c. 7. siuè aggregatione omnium bonorum, vt tradit Boetius vbi suprà, siuè vita vndequaque delectabili, quo plurimorum inclinat sententia, Hæc nimirum omnia, quæ eòdem reipsa coincidunt, vt contendit Philo. 1. Ethic. c. 8. ostensum est inesse visioni Dei; formaliter quidem possessionem summi boni, & rationem operationis perfectissimæ; radicaliter verò, & æquiualenter tamquã primo discretiuo Beati à misero, aggregationem omnium aliorum bonorum, & consequenter vitam vera delectatione affluentẽ. Iam verò amorem summi boni, & fruitionem delectabilem eiusdem pertinere ad integritatem, & complementum substantiale beatitudinis, quæ est postrema pars nostræ sententiæ, non indiget peculiari probatione; licet enim Philosophus dicat 10. Ethic. c. 4. delectationem comparari cum operatione perfecta, sicut comparatur cum iuuentute decor, qui ad eam consequitur, i dest, comparari tanquam perfectionem suam accidentalem: hoc tamen accipiendum est, ex intẽtione eiusdem Philosophi, de delectatione, quæ habet pro obiecto ipsam operationem; non verò de delectatione, cuius motiuum non distinguitur re ipsa à motiuo operationis præexistentis cuiusmodi est comparatio præsens. Nam delectatio

ratio, & operatio ſpecificatæ ex eodem reipſa motiuo, eo ipſo habent ſubſtantialem perfectionis, & gradus inter ſe communionem; & comparantur mutuò, ſicut prædicatum primarium, & ſecundarium intrinſecum rei. Eſt igitur fruitio ſummi boni prædicatum ſecundarium ſubſtantiale beatitudinis, vtpotè habens perfectionem eiuſdem generis, cum perfectione viſionis, eamq. præſupponens tamquã primò diſcretiuã beati à miſero, & tanquã primã radicem proximam ſui, atq. aliarum ſubindè perfectionum accidentalium ſtatus beatifici nimirũ operationum habentium pro obiecto formali bona creata.

Art. 16. Conſtat igitur concluſionem ſuprà poſitam eſſe veram quoad omnes ſuas partes; & ex eius probationibus apparet; præterea controuerſiam de eius veritate non eſſe purè vocalem, ſed maximè realem. Tametſi enim controuerſia ſit forte de voce, quid quiſque nomine beatitudinis formalis intelligat ſecundum conceptum eius quidditatiuum, & abſtractiuum: iuxta eius varietatem nuper indicatam; tamen quænam determinatè res ſit ea; de qua primò, & per ſe verificatur ille qualiſcumque conceptus, tam eſt controuerſia realis, quàm realis eſt diuerſitas actus intelligendi ab actu volendi, & vtriuſlibet actus ab aggregato ex vtroque, vel ex alijs prætereà operationibus.

Ad 1. Neceſſe eſt finem noſtrum vltimum, vt quo, & beatitudinem formalem eſſe aliquid creatum, vt liquet ex art. 1. & 2. hujus quæſtionis. In quæſtione autem præcedenti actum eſt de fine vltimo *qui*, & de beatitudine obiectiua. De eadem ſola loquitur ibi Auguſtinus, quia obiectum fruibile dicitur motiuum formale vltimum actus delectantis, quale motiuum ſolus debet eſſe Deus, ſoluſque ipſe eſt, ratione cuius cognoſcuntur, & diliguntur à beato, ipſi etiam ſui actus beatifici, tanquam obiecta materialia; nec aliter ſperantur ijdem à viatore, vti expoſitum eſt in *illa* ipſa q. 33.

Præc

Præeminet nimirum ex genere suo finis *qui* fini *quo*, ac proinde beatitudo obiectiua beatitudini formali, vt liquet ex ex q. 1. art. 1. Finis verò vltimus *qui*, & vera nostra beatitudo obiectiua, quæ est Deus, ita præeminet, vt sint tanquã nihil cætera omnia, quæ insunt, & adsunt beato. Vnde respectu actus perfectissimi circa Deum, sunt obiecta purè materialia beatitudo tum formalis, seu finis vltimus *quo*, & reliquæ perfectiones beatorum.

Ad secundum. Operationes naturales hominis, maximè viatoris, multiplici de causa interrumpuntur, ac variantur, ideoque nequit homo præsertim viator naturaliter esse perfectè beatus, sed tantum secundum quid, vti agnoscit Philos. 1. Ethic. c. 10. concludens in fine: *Beatos autem dicimus vt homines* idest, non simpliciter, & perfectè; sed juxta capacitatem humanæ naturæ. At supernaturaliter confertur Iustis in patria operatio perfectè beatifica, vtpote essentialiter permanens, æternumque inuariabilis, vt dictum est, ac proindè se sola constituens statum propriè talem. Quia verò ea *visio non prouenit ex* sufficientia nostra, sed ex *gratia Dei* eleuante naturam humanam vltra limites actiuitatis sibi connaturalis, propterea adscribitur absolutè soli Deo, vt auctori, tametsi potentia entitatiuè naturalis, quatenus obedientialis est, formaliter cooperetur etiam partialiter, vt eleuata per gratiam juxta dicta in genere de operibus supernaturalibus q. 18. de gratia.

Ad 3. Conceptus essentialis, & primarius rei non complectitur in se formaliter omnia, quæ requiruntur ad perfectionem, & complementum eius, & sine quibus, vtcumque repugnat ipsam existere; quod cum sit notum apud omnes, non necesse est vllis, aut exemplis, aut testimonijs confirmare; Solùm itaque complectitur eam, seu formalitatem, seu entitatem, per quam primò discernitur ab omnibus alijs, & in qua, tanquam in prima radice, virtualiter continentur reliquæ

C per-

perfectiones,& requisita.Ostēsum autem est huiusmodi esse visionem Dei, vt summi boni nostri in actu secundo nobis extrinseco. Et specialiter circà perfectionem partis sensitiuæ docet August.epis.56.ad Dioscor. antè med.quòd ex beatitudine animæ,fiet quædā refluentia in corpus, & in sensus corporeos, vt in suis operationibus perficiantur, Ex quo apparet in statu illo fælici ordinem & processum fore contrarium ei, quem experimur in præsenti miseria. Nunc enim ex sensibilibus procedimus ad intelligibilia propter vim rationabilitatis perfectè dominātis supra corpus, & exemptæ ab ijs eius imperfectionibus, quibus modò aggrauatur, vt dicit Apost.

Ad 4. Intellectus non dependet ab imperio voluntatis quoad præcipuos suos actus; certè quoad eos,quibus dirigit primos actus voluntatis, non dependet ab eius imperio. Voluntas è cōuerso dependet,quoad omnes suos actus ab intellectu. Nihil enim volitum, quin præcognitum. Ergò ex ratione primi principij intrinseci potiùs deducitur vltimum finem hominis, vt *quo*, seu intrinsecum ipsi consistere in actu intellectus; quare pax ad beatitudinem formalem se habet solùm antecedenter, & consequenter, quatenus præsupponuntur sublata omnia perturbantia ex vi decreti Diuini Beatificantis, & ad visionem eius subsequitur tranquillitas,& quies. Ad confirmationem. Imò quia beatitudo formalis habet rationem præcipuæ bonitatis,& cōsequenter est obiectum voluntatis præcipuum extra Deum; arguitur,vt infert optimè D. Thom.in hac quæst.3. art.4. ad 2. non constitui eam per actum voluntatis. Quia nullius potentiæ obiectum primum, ac præcipuum constituitur vel etiā partialiter per actum ipsius. Obiectum enim potentiæ visiuæ non est visio, sed visibile; & sic de similibus.

Art.I. Ad 5. Potentia volitiua, seu natura intellectualis, quatenus volitiua, non est maioris perfectionis, quam potentia intellectiua, seu eadem natura quatenus intellectiua, sed è conuerso

uerso, vt liquet ex dictis suprà art. 14. circa comparationem actuum pertinentinm ad vtramque.

Ad primam rationem in contrarium. In omni natura intellectuali præeminent actus necessarij actibus liberis ex genere suo, atque illi sunt horum principium, vt patet in Deo, cuius actus circa se ipsum secundum se est necessarius, & perfectissimus, & est principium virtuale terminationum liberarum, idemque patet proportionaliter in actibus beatificis cæterorum. Ergò maxima perfectio intellectus, & voluntatis, est examinanda solùm per compationem mutuam actuum necessariorum vtriusque potentiæ. Deinde libertas voluntatis radicatur in indifferenti propositione intellectus, vt infrà dicetur. Ergò ipsa libertas radicaliter, & causaliter, adeoq; nobiliùs est in intellectu, quàm in voluntate, sicut bonus ordo Reipublicæ, & exercitus, est præcipuè penes Gubernatorem, & ducem, non verò penes Ciuem, & militem.

Art. 2. Ad secundam. Actus voluntatis perfectissimus, est finis omnium operationum naturæ rationalis; tamquam terminus, & limes, vltra quem non progreditur necessariò agendo rationaliter: Cæterùm non est finis vltimus, tamquam id, propter quod. Sub hac autem posteriori ratione consideratur finis in præsenti, & non sub priori, vt patet ex præmissis in prima quæstione. Neque verò coincidunt inter se, hæc duo, quandoquidem postremi actus beati sunt liberi, præsupponentes statum beatificum, propter quem cætera omnia concupiscuntur, & præterea operationes externæ habent rationem finis vltimi, sũpti pro postrema operatione; quæ tamẽ sunt admodũ imperfectæ, nec beatificæ dici possunt.

Art. 3. Ad tertiam. Cæteris paribus, meliùs est habere in se bonum, quàm esse bonum habitum ab alio. *Amabile enim bonum, vniuique autem proprium*, vt dicitur 8. Ethic. c. 2. Eò autem bonum est magis proprium cuiusque, quo magis inest eidem, estque magis apud eundem. Ergo

visio, per quam Deus possidetur, præeminet dilectioni, ratione cuius potiùs possidetur ipse videns. Quod ad conformitatem inclinationis attinet; visio Dei eam in se continet perfectè respectu Dei; quia videns Deum, per ipsam visionem determinatur, atque omninò necessitatur ad totalem conformitatem cum voluntate Diuina. Ergò etiam ex hac parte præeminet visio. Est autem hoc peculiare in visione Dei; quia aliarum substantiarum visiones, non inducunt necessariò perfectum amorem videntis erga visum. Ex hac porrò experientia creata redundat apparentia falsa circa Deum, & facilè irrepit assensus non consideranti attentè discrimen datum.

Art. 4. Ad postremam; iam dictum est intellectum potiùs esse, cuius impulsu mouetur voluntas ad omnes suas operationes. Ergò eadem voluntas quiescit potiùs in supremo actu intellectus. Verùm hic rursùs redundat apparentia falsa ex eo, quòd omnes operationes humanæ sensibiles parent voluntati, eiusdemque imperio, & impulsu determinantur, sed est eleuanda consideratio vltra ordinem sensibilium. Adde, voluntatem ex sua natura prospicere bono omnium potentiarum, & non tantum suo. Ergò ex sua natura conquiescit in ea operatione, per quã obtinetur bonum vniuersale omnium potentiarum, quod est Deus, quem dictum est obtineri, ac possideri per visionem.

Art. 5. Ad 6. Amor amicitiæ reddit communia bona amantis respectu amati, & non è conuerso; quia si amatus non amet vicissim, bona eius non communicantur amanti ipsum. Vndè fit, vt prospectus amati non redamantis, delectabilis simpliciter esse non possit. Nempè bona cuiusque subsunt voluntati eius, & non alterius independenter ab eius consensu; & vnusquisque delectatur bonis, quæ videt, quatenus aliqualiter proprijs. Beatitudo autem nostra formalis non consistit in eo, quòd bona nostra sint pro-

pria

pria Dei, quod conuenit etiam miseris: sed in eo, quòd bona Dei fiant nostra, eo modo, quo nostra esse possunt, & consequenter fiant delectabilia respectu nostri. Quod fit formaliter per visionem Dei, & causaliter per voluntatem diuinam, qua nos prædiligit, & vult nobis communicari, & quam patefacit visione sui, quæ beatifica est iuxta dicta.

Art 2. Ratio porrò, ob quam res aliæ non possideantur per solam visionem sui; Deus verò per eam solam possideatur, iam suprà tradita est; nimirum, quòd res aliæ non subsint ex vi visionis præc sè, potestati videntis quoad percipiendos inimpedibiliter omnes fructus perceptibiles ex illis, seu quoad omnem vsum, & fruitionem earum; subsit verò Deus ex vi visionis, quà videtur, vt summum bonum nostrum in actu secundo ratione suæ liberæ voluntatis manifestatæ eidem visioni; quale nihil inesse potest pecuniæ, agro, domui, indifferentibus ex se, vt fiant cuiuslibet ex ijs, à quibus videntur.

Art. 3. Adde, eandem Dei visionem, quatenus est inspectiua eiusmodi voluntatis, esse appropriatiuam bonitatis diuinæ respectu nostri, ideòque inducere necessariò in vidente summam dilectionem de summo bono, vt iam perfectè proprio, neq; iam amplius contemptibili, seu amissibili, & multò minùs odibili, cum sit purum bonum absque vllo defectu motiuo cõtemptus, aut odij, atque, vt tale perfectè appareat ipsi videnti. Nihil autem huiusmodi contingere potest in substantia creata secundum se, etiam dilectrice videntis ipsam; cum nihilominus subsit multiplici defectui, ob quem contemni, ac reicij, aut etiam odio haberi possit. Vnde homo nondum intelligitur, vt obiectum delectabile respectu alterius hominis, quousque intelligatur mutuus inter vtrumque amor: Deus verò intelligitur in ratione obiecti delectabilis respectu nostri ratione solius suæ dilectionis ergà nos, vt manifestatæ nobis.

Art. 1. Ad 7. Beatitudo imperfecta, & secundum quid tum hominis eleuati, dum est in via, tum etiam in termino, respectu puræ naturæ, includit in suo conceptu essentiali actum voluntatis perfectissimum, qui est actus amoris Dei super omnia. Quia omnis cognitio abstractiua Dei tam supernaturalis, quam naturalis, est cõpossibilis ex se cum peccato; id est, cum summa miseria, nec illi repugnat ex magnitudine suæ perfectionis. Actus autem dilectionis Dei directus per eandem cognitionem est incompossibilis intrinsecè cum peccato, & miseria summa, eidemque repugnat ratione suæ perfectionis, ideòque stabilire potest hominem multo magis, ac permanentiùs in coniunctione cum summo bono, atque ob hæc omnia est perfectior qualibet cognitione abstractiua Dei. At pro statu eleuationis datur iustis post hanc vitam, visio Dei immediata, præcisè ratione sui incompossibilis essentialiter cum peccato, & miseria, & similiter inductiua actus charitatis necessarij, eidemq; præeminens perfectione, propter perfectam, & intrinsecè æternam possessionem summi boni, vt suprà ostensum est. Nulla igitur est paritas ab antecedenti obiectionis, quod benè ibi probatur, ad consequens, cuius probatio est insufficiens.

Art. 2. Ratio discriminis inter vtrumque est; quia neque pro statu eleuationis à viatore, neq; vnquam vlla cognitione naturali potest cognosci Deus immediatè ratione sui, tanquam obiectum formale motiuum, sed solùm mediantibus creaturis, & in ænigmate, tanquam obiectum materiale: potest tamen diligi immediatè ratione sui, tanquam motiuum formale immediatum, non solùm supernaturali dilectione viatoris, sed etiam dilectione purè naturali: nempe bonitas cognita ratione alterius, potest nihilominus diligi ratione sui, dummodo cognoscatur simul, vt diligibilis, seu digna amari ratione sui; vti profectò cognoscitur Deus mediantibus

crea-

creaturis: siquidem mediantibus ipsis innotescit, vt præeminens ijsdem infinite. Patet autem obiectum plùs communicare perfectionem suam actui, ad quem mouet immediatè, quã actui, à quo attingitur ratione alterius, & mediatè. Cæterum respectu obiectorum, quæ immediatè, & ratione sui attinguntur vniformiter ab intellectu, & voluntate, siue naturaliter, siue obedientialiter agente, maior est perfectio actuum intellectus, quàm voluntatis propter rationem superiùs adductam, & distinctiùs expositam In q. illa 40. de Virt. Theol. Per visionem autem beatificam cognoscitur Deus immediatè, & ratione sui, non minùs, quàm diligatur per amorem directum eadem visione. Præeminet ergò cognitio supernaturalis perfectissima Dei perfectissimæ dilectioni supernaturali, licet opposito modo se habeant cognitio, & dilectio eiusdem, tum quælibet naturales, tum etiam supernaturales propriæ viatoris. Quapropter proportio perfectionis tum inter actus naturales, & supernaturales, tum supernaturales proprios viatoris, & comprehensoris, viget cæteris paribus non verò cæteris imparibus. Non autem sunt cætera paria, quando ex vna parte fit transitus ab obiecto materiali ad formale, ex altera nõ fit.

Art. 3. Accedit ad hæc, quòd Intelligere est quoddam pati, ex 3. de anima text. 12. 28. velle verò est potiùs agere, ex 2. Phys. text. 58. & 59. & ex D. Thom. ibi lect. 6. Ethic. c. 7. initio. In statu autem beatitudinis supernaturalis magis se habet passiuè, quàm actiuè tota substantia rationalis creata propter exuberantiã, & imperium influxus Diuini in beato. Pro statu verò viatoris, & maximè pro statu quouis purè naturali se habet è conuerso, actiuè magis, quàm passiuè, propter tenuitatem influxus cooperatiui, & actiuitatis tenentis se ex parte creaturarum. Mirum igiter non est, si operatio intellectualis præualet operationi volũtatis pro eo statu in quo præualet ipsũ pati, seu modus habẽdi se passiuè magis

gis, quàm actiuè, vti dictum est accidere pro statu beatitudinis supernaturalis; tametsi oppositum contingat pro alio quouis statu.

Ad 8. Sensus non est capax, qui attingat rationem vniuersalem boni: nec enim *animalis homo percipit ea, quæ sunt Spiritus*, vt dicit Apost. 1. ad Cor. 2. 14. Sed solum attingit rationem delectabilis. Vnde appetitus sensitiuus, & operationes eius respiciunt, ex particulari eius intentione, tamquam finem, solùm bonum delectabile, solamque delectationem. Sensibilia autem sunt homini maximè nota, & mediantibus ipsis, atque ad modum eorundem concipit spiritualia, nec aliter cōcipere ea potest pro statu præsenti. Hinc prono assensu feruntur plures, maximè indisciplinati ingenij, aut non admodum attenti ad discrimen intellectus à sensu, in sententiam affirmantem finem vltimum hominis, etiam quà rationalis est, esse bonum spirituale, quà delectabile est; ipsamque spirítualem delectationem, seu fruitionem. Eadem de causa in sacris litteris Spiritus Sanctus, vt se accommodet modo concipiendi humano, suggerit sæpè nobis beatitudinem nostram nomine solius gaudij, & voluptatis. Cæterum intellectus complectitur rationem vniuersalem boni, quæ in honestate consistit, continentem in se omne genus boni, id est, omne bonum cuius est capax natura intellectualis. Vnde appetitus rationalis, & operationes quatenus ratione directæ, eleuātur supra purè delectabile, puramque delectationem, & feruntur, tanquam ad finem ad bonū vniuersale, seu vndequaque completum, quod re ipsa est Deus, quem ostensum est possideri per visionem tāquam bonum expletiuum totius capacitatis omnium potentiarum, atque in eas omnes inimpedibiliter redundans per visionem. Ità vt hæc sit causa, & radix totius reliquæ bonitatis intrinsecè inhærentis beato, & beatificantis formaliter, ideòque sit forma primitùs, ac essentialiter, maximèque perficiens, & beatificans

ficans formaliter: Quapropter in Sacris litteris ipsa potiùs, quàm gaudium, & voluptas exprimitur, dum per propositiones causales, redditur ratio à priori, & designatur causa prima formalis beatitudinis vt innotuit suprà art. 8. Itaque in testimonijs obiectionis beatitudo significatur à posteriori per proprietatem primam, & complementum integrale ipsius, dum exprimũtur gaudium, & voluptas; sicut dum exprimuntur negationes illæ; *vbi non erit ampliùs luctus, neque clamor &c.* De Auctoritate porrò Philosophi negãsis rationem vlteriorem volendi voluptatem, & delectationem, & quòd hæc habeat rationem vltimi termini, iam iterum dictum est suprà.

Art. 1. Ad 9' Scriptura, & SS. PP. eodem modo, quo docent quodlibet ens creatum esse annihilabile, aut corruptibile à Deo, saltem de potentia absoluta, docent etiam totum vniversum, & quamlibet rerum creatarum collectionem, esse annihilabilem, seu corruptibilem ab eodem. Certum autem nihilominus est apud omnes, posita fide, quà credimus, decedentes in gratia esse victuros æternùm cum gloria itidem æterna, & positâ insuper morte aliquorum in gratia, esse prorsus impossibilem annihilationẽ totius collectionis rerum creatarum; neque hanc impossibilitatem prouenire ex suppositione extrinseca collectioni, & absolutè separabili ab ea. Quia fides nostra redderetur falsa, si annihilaretur tota ea rerum creatarum collectio. Quòd autem fides nostra non possit reddi falsa, non prouenit ex suppositione extrinseca eidem fidei, & separabili absolutè ab ipsa, sed est intrinsecũ, & essentiale fidei theologicæ, vt est certum apud omnes.

Art. 2. Dicendum itaque est ex intentione scripturæ & Sanctorum PP. nulli entitati creatæ, nullique rerum creatarum collectioni conuenire posse repugnantiam intrinsecam, præcisè propter magnitudinẽ suæ perfectionis, quominùs annihiletur à Deo de potentia saltem abso-

suta; Cæterum conuenire eisdem posse, repugnantiam intrinsecam annihilationis, propter connexionem intentionalem intrinsecam cum decreto Diuino de non annihilando: Neque enim in hoc inuoluitur vllũ inconueniens contrarium, aut perfectioni libertatis, dominijque diuini, aut vilitati, & contemptibilitati rerum creatarum respectu Dei; immò oppositum esset maximè absurdum. Quia sequeretur Deum non posse reddere certas, ac penitùs securas substantias rationales creatas, de æterna ipsarum, & fælicis sui status perseuerantia; id est, iuxta documentum Augustini clarà ratione superius stabilitum, non posse illas extrahere à miseria; nec vera, ac perfecta felicitate donare, atque reddere conscias de eleuatione sui supra conditionem vilitatis propriæ per gratiam Diuinam.

Art. 3. Cum ergò visio Dei beatificans hominem dicatur à nobis esse inteinsecè indefectibilis, atque inannihilabilis, non propter magnitudinem suæ perfectionis, sed præcisè propter intrinsecam ac essentialem connexionem intẽtionalem cum decreto Diuino; de æterno amicitiæ, & intimæ coniunctionis fædere inter ipsum Deum, & hominem beatum: patet nullum esse inconueniens in nostra doctrina de intrinseca incorruptibilitate, & inannihilabilitate visionis beatificæ, nullaque ex parte eandem doctrinã repugnare legitimo sensui, & veræ intentioni Scripturæ, & Sanctorpm PP; sed potiùs deuiare ab eadem, quoad testimonia superiùs pro nobis allata, oppositam sententiam de intrinseca defectibilitate visionis beatæ. Si cui nihilominus libeat dicere (quod tamen necesse nequaquam est; nec vllius momenti est, vt dicatur, prout apparet ex principio huius responsionis) vnamquamlibet visionem determinatè sumptam, esse defectibilem, licet tota collectio visionum deficere nullatenus possit iam semel beato, eo quòd ipse videat se semper fore beatum vel per eam

ipſam viſionem, quam de facto habet, vel per aliquam aliam: Si hoc, inquam, dicere libeat, dicatur porrò: Quia id nihil nocet conceptui ſtatus beatifici, vt patet.

Art. I. Ad 10. Viſio Dei eſt perfectè reflexiua per ſe ipſam ſupra ſe, vt habetur ex D. Thom. q. iſta 4. art. 3. in quo, cum oſtendiſſet, comprehenſionem ſumptam pro habitione, ac tentione inductiua fruitionis, ac delectationis circa ſummum bonum, vt præſens, eſſe de conceptu beatitudinis formalis, iuxta illud Paul. 1. ad Corinth. 9. 24. *Sic currite, vt comprehendatis*; ad 3. ſubdit ſic: *Comprehenſio non eſt aliqua operatio præter viſionem, ſed quadam habitudo ad finem iam hab tum: vndè etiam, ipſa viſio, vel res viſa* (formaliter vtique, vt viſa) *obiectum comprehenſionis eſt*. Ergò viſio eſt obiectum ſui ſimul cũ re, quæ videtur; ſiquidem eſt obiectum comprehenſionis, quæ non eſt operatio diſtincta à viſione, & manifeſtum eſt, quòd nec ſit aliquid realiter diſtinctum ab omni operatione. Ratio eſt; quia eſſentia Diuina eſt ratio formalis motiua ad viſionem ſuæ viſionis, non minùs quàm ad viſionem aliarum rerum creatarum, quandoquidem eſt contentiua eius non minùs, quàm aliorum; & prætereà communicatur videnti formaliter quatenus viſibilis eſt; ideòque eſt impoſſibile, vt videns Deum, tanquam obiectum formale motiuum, non videat in ipſo ſimul, ac indiuiſim ſuam viſionem tanquam obiectum materiale, atque conijciat ſua ipſa viſione ſe videre. Quia verò communicatur Deus beato, vt æternùm videndus, ac poſsidendus ab ipſo iuxta dicta; hoc quoque neceſſe eſt, vt videatnr eadem Dei viſione, quæ beatifica eſt. Nulla igitur opus eſt cognitione reflexà viſionis Dei, & durationis eius, diſtinctà realiter ab ipſo viſione directa pro cõceptu adæquato beatitudinis formalis, & perfectæ poſſeſſioois ſummi boni.

Art. 2. Deinde ſi cognitio reflexa ſuperaddita viſioni Dei, & cognoſcens ſimul cum ipſa

æternam eius durationem, esset necessaria ad beatitudinem formalem, atque pertineret ad cõceptum eius essentialem, vt opinantur Card. de Lugo, Arriaga, & nonnulli alij; eàdem ratione opus esset tertia alia cognitione reflexa cognoscente priorem eam reflexionem, eiusque æternam durationem. Quia seclusa noua ista reflexione ignoraret Beatus, se esse, semperque fore beatum, siquidem ignoraret saltem partialiter essentiam suæ beatitudinis cõstitutam per priorem reflexionem, & æternam eius durationem, ideòque beatus non foret beatus. Daretur ergò, ob eandem rationem semper similiter recurrentem, processus infinitus reflexionum, vt patet consideranti. Denique cognitio reflexa, realiter distincta à visione directa Dei, est admodum imperfecta, comparatione eiusdem visionis directæ. Quia formale motiuum illius est aliquid creatum, nempè ipsa visio directa: cùm huius visionis motiuum adæquatum sit Deus; atque perfectio cognitionum commensuratur perfectioni motiuorum. Beatitudo autem nostra formalis consistit in operatione perfectissima, vt suprà conclusum est ex Philos. & D. Thoma. Non ergò consistit in eiusmodi cognitione reflexa realiter superaddita visioni Dei.

Ad 11. Coniunctio hominis cum Deo essentialiter, & integraliter, ac accidentaliter perfecta, & vndequaque completa, non includit in suo concepto solam visionem, & dilectionem, ac fruitionem Dei; sed totam collectionem dispositionum, & operationum, quibus perficitur natura quoad animam, & corpus, ità vt cor, & caro exultent in Deum viuum, vt habetur ex ps. 83. 3. & tamen non pertinent ea omnia ad conceptum primariùm, & essentialem beatitudinis, vt est inconfesso apud omnes. Ea igitur sola perfectio coniunctionis cum Deo; est essentia beatitudinis, quæ potissima est, simulque est prima radix inimpedibiliter inferens reliquam omnem coniunctionem cum Deo, qualis ostensa

est

est esse visio Dei se sola; Ità scilicet trahens formaliter Deum ad hominem, vt simul caussaliter trahat hominem ad Deum. Iam in Sacris litteris non significatur specialiter beatitudo per conceptum suum, vel etiam partialiter essentialem, vt iam iterum præmonitum est suprà, præsertim circa 8. Similiter Benedictus 12. exposuit beatitudinem absque præcisione conceptus essentialis ab integrali complemento, idque expressit, quod est certum, debetque esse certissimum apud omnes; nempè homines esse verè beatos, visione, & fruitione Dei, siuè alterà essentialiter, alterà intergraliter tantùm; siue vtràque essentialiter, & eodem modo sint verè beati; cuius Scholasticorum controuersiæ determinatio non erat necessaria ad communem, & vniuersalem instructionem fidelium intentam à Pontifice; sed nec apud ipsos Scholasticos est magni secundùm se præcisè momenti; licet ob circumiacentia, minimè contemnenda, documenta illi conserta, meritò habeatur in pretio.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum amor beatificus sit indiſtinctus à fruitione, & gaudio, & differat ſpecie à dilectione, & fruitione viæ.

VIDETVR diſtingui à gaudio, & nõ differre ſpecie à dilectione viæ. 1. Quia motiuũ amoris amicitiæ eſt diuerſum formaliter à motiuo dilectionis, & gaudij cõcepti à viatore. Ratio prioris partis eſt; quia motiuum amoris amicitiæ erga Deum, eſt bonitas Diuina quatenus bona ipſi Deo; motiuum verò fruitionis, & gaudij eſt eadem bonitas, quatenus bona gaudenti: quas patet eſſe rationes formaliter diuerſas, non minùs, aut aliter, ac diuerſæ ſunt rationes formales; à quibus ſpecificantur ſpes, & charitas. Ratio poſterioris partis eſt; quia motiuum diligendi Deum, eodemque fruendi, eſt omninò idem in via, & in patria. Quia vtrobique mouet eadem Dei bonitas. Impoſſibile autem eſt eos actus differre ſpecie, quorum motiua non differunt ſpecie.

2. Amor eſt principinm omnium aliarum affectionum, vt docet, præter alios communiter, D. Thom. 1. contra gent. c. 91. Repugnat autem, vt non diſtinguãtur inter ſe principium, & principiatum. Ergò amor Dei, & gaudium de Deo diſtinguuntur inter ſe realiter; quandoquidem gaudium eſt alia affectio ab affectione charitatis, & dilectionis amicitiæ.

3. Amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ ſibi inuicem aduerſantur, ſaltem ſecundum maximam vtriuſque perfectionem, ac intentionẽ. Quia quò quiſque magis ſibi adhæret per amorem,

rem, eo minùs se alteri per eundem communicat; & è conuerso, quò magis adhæret alteri per amorem, eò plus se alteri cómunicat, & fit quodammodo extra se. Ergò amor amicitiæ erga Deum, & gaudium de Deo possesso, quod est amor concupiscentiæ, vsque adeò non possunt in eundem realiter actum conuenire, vt nequidem eidem subiecto simul inesse posse videantur.

4. *Charitas nunquam excidit*, vt dicitur 1. ad Corinth. 13.8; cum tamen fides ibidem dicatur euacuanda. Ergò charitas viæ manet inuariabibiliter in patria.

5. Licet fides repræsentet Deum ad modum creaturarum: charitas tamen directa per fidem attingit ipsum Deum, vt est in se, nec diligit ad modum creaturarum; ideòque charitas viæ superat cognitionem fidei. At Charitas patriæ nō superat similiter visionem, qua dirigitur, sed est minoris perfectionis quàm ipsa, vt apparet ex quæst. præcedenti art. præsertim 14. Dilectio igitur Dei mediæ inter fidem, & visionem, perfectionis, potest sub vtraque esse eadem saltem quoad speciem.

6. Anicus absens, æquè, eodemque modo amari potest, atque præsens, vt assumunt Durandus, & ex eo Vasquez, atque experientia ipsa videaur satis demonstrari. Ergò Deus quasi absens respectu viatoris, & perfectè præsens respectu beati, potest pro vtroque statu æquè, eodemque modo similiter amari.

7. Habitus charitatis manet prorsus idem in patria, qui modò est; quod vt minimùm concluditur ex testimonio Apostoli nuper indicato, nec de hoc dubitant Theologi. Manente autem eodem principio necesse est manere eundem effectum.

8. Charitas erga Deum exercita in via est causa obtinendi visionem Dei. Nulla autem causa excluditur per existentiam sui effectus; quinimò hic cum ea connectitur intrinsecè.

Art. 1.

Art. 5. Respondetur. Tametsi quæst. præcedenti ostensum sit, beatitudinem nostram formalem quoad conceptum suum primarium, ac essentialem, constitui adæquatè sola visione Dei, atquè ex eadem inde subsequi, tanquam quid secundarium, & minùs principale, dilectionem, & fruitionem Dei, tanquam vltimum exequutionis, & actionis terminum, & non tanquam finem vltimum *propter quem*; atque inde vlteriùs pateat vulgare illud: *Quod est primum in intentione, est vltimum in exequutione*; accipiendum esse de obiectis directè volitis, non de actu ipso voluntatis reflexè intento; qui videlicet non seorsim consideratur, sed simul cum obiecto directè volito, tanquam quid accessorium respectu ipsius, & consequens ad eius possessionem primariò, & principaliter intentam. Tametsi inquam, hoc ità habeat; conuenit nihilominus apud omnes dilectionem, & fruitionem Dei præeminere saltem post visionem inter ea omnia bona, quæ pertinent ad statum beatitudinis. Quapropter expedit vtramque diligentiùs considerare, vt status beatifici perfectio, & excellentia peculiaris magis innotescat. Communior Theologorum sententia astruit duos actus voluntatis necessariò subsequentes ad visionem Dei; alterum charitatis, seu amicitiæ, quo amatur Deus secundum se, & eius bonitas præcisè quatenus est bonum ipsi; alterum fruitionis, & concupiscentiæ, quo amatur eadem Dei bonitas præcisè quatenus est bona videnti. Prætereà nonnulli cum Lessio distinguunt realiter istos duos actus à fruitionibus, seu gaudijs circa easdem rationes formales obiectiuas. Alij cum Suarez docent vtrumque eum amorem esse indistinctum realiter à gaudio, seu fruitione sibi correspondenti.

Art. 2. Dicendum autem potiùs videtur, voluntatem Beati vno actu realiter simplici complecti indiuisim eas omnes rationes formales obiectiuas, seu bonitatem Diuinam, vt bonam sibi, & vt bonam ipsi beato; nec non secundum

se, & quatenus præsentem, atque possessam. Probatur, & explicatur, Beatus in primis vno simplici actu visionis cognoscit Deum, vt bonũ, tam sibi quam beato, & quatenus possessum per ipsam visionem, quod non eget probatione, & apparet satis ex quæst. præcedenti, & ex hac præterea ratione, quia alioquin visio beata non cognosceret perfectè Deum vt est in se à parte rei. Deinde ea obiecta seu potius rationes formales obiectiuæ nullam habent inter se incompossibilitatem respectu eiusdem actus; Imò sunt inuicem connexæ, & ità mutuò coordinatæ, vt non possint perfectè amari seorsim, possint verò perfectissimè coniunctim: Hoc, vt intime innotescat, vtque euanescat apparentia falsa in contrarium ex rebus creatis, & amoribus, & fruitionibus, quæ versantur circa ipsas, notandum est maximum quoddam, inter alia, discrimen amicitiæ hominum mutuæ àb amicitia eorundem cum Deo ex doctrina tradita fusiùs q. 39. de Virt. Theol.

Art. 3. Cum omnes homines sint per se capaces earũdem omnium vtilitatam, sitque præterea vnicuique vtile, tum vt bona sua nullam respectu alterius seruitutem patiantur, tum vt bona alterius respectu sui illam patiantur; quantum vtilitatis destinatur alteri per amorem amicitiæ, hoc est sistendo in ipso; tantundem deperit amanti, euaditque iactura propria æqualis lucro alterius; E conuerso verò, quantum vtilitatis sibi quisque vult per amorem concupiscentiæ hoc est sistendo in se ipso, & nolendo, seu formaliter, seu virtualiter alium quemquam participem illius facere; tantundem alteri, quem excludit à participatione, deperit, euaditque ei iactura alterius æqualis lucro proprio. Apparet igitur manifestè amorem amicitiæ & concupiscentiæ inter duos homines, seu hominis ad hominem esse inuicem incompossibilem, quia obiecta volita sunt inuicem incompossibilia.

Art. 4. At in amicitia inter Deum, & hominẽ secus

secus res habet. Cum enim Deus sit incapax percipiendæ vtilitatis alicuius ex re aliqua creata; & creatura sit similiter incapax excellentiæ summæ, ac proinde dignæ, quæ rebus omnibus præferatur: omnis vtilitas honesta creaturæ est compossibilis cum tota excellentia Diuina, eiusque prælatione respectu omnium cæterorum. Nulla igitur est incompossibilitas inter amorem amicitiæ, & concupiscentiæ hominis ad Deum; quandoquidem incompossibilitas actuū desumitur ex incompossibilitate obiectorum. Certè in præsenti nihil adest aliud, ex quo illā suboriri excogitare quisquam possit.

Art. 5. Imò quia omnis nostra vtilitas honesta est ex sua natura intrinsecè ordinata ad gloriam Dei, & proueniens à voluntate Dei, qua nobis benè vult, atque eadem voluntate vult respectu beati se esse bonum illius; sit planè non solùm eos duos amores esse compossibiles, sed insuper beatum non posse perfectè amare vtilitatem suam, & Deum, quatenus vtilem sibi, quin omnem eam vtilitatem velit propter bonitatem Diuinam, tanquam propter motiuum amatum ratione sui: quia tunc perfectè vnumquodque amatur, cum propter illud amatur, propter quod ex sua natura existit à parte rei: Nec rursus posse perfectè amare amore amicitiæ bonitatem Diuinam, tanquam vltimum suum motiuum, quin simul velit omnem suam, qua de facto potitur, vtilitatem; quia non potest quis amare alium perfecto amore amicitiæ, quin conformetur eius voluntati, quatenus licet, & decet Ergò, cum in Deo detur voluntas de omni vtilitate beati, necesse est istum, ex vi amoris amicitiæ erga Deum indiuisim velle omnem suam vtilitatem. Constat igitur beatum eodem actu velle bonitatem diuinam, quatenus est bona Deo, & quatenus est bona sibi.

Art. 6. Hinc deducitur non dari in beatis vllum actum puræ concupiscentiæ; quia actus puræ concupiscentiæ sistit in amante, tanquam

in motiuo intrinseco adæquato, quod ostensum est à beato fieri non posse, licet fieri possit, vt seclusis imperfectionibus puræ concupiscentiæ respiciat bonum proprium, quatenus proprium ratione sui, tamquam motiuum secundarium, & subordinatum alteri. Quia verò hic ipse modus volendi placet Deo, eidemque nihil officit, ideò nec officere quidquam potest perfectioni purissimæ charitatis, vt officeret respectu creaturæ. Indidem vlterius deducitur, cur nihilominus oportuerit, vt dum sumus in via, habeamus diuersos non solum actus, sed etiam habitus, alterum spei, quo respicimus bonum proprium, tanquam motiuum formale adæquatum ipsius; alterum charitatis quo respicimus bonum Dei quatenus Dei; quia scilicet dum sumus in via, bona Dei, & nostra non habent eundem statum; siquidem felicitas Dei existit iam, ipsumque afficit de præsenti; nostra autem non dum existit, atque in ea obtinenda adest specialis difficultas, cui superandæ necessaria est specialis virtus, quæ ratio cessat in beato. Deducitur tertiò, eandem identitatem asserendam esse inter gaudium correspondens amori charitatis, & quod correspondet amori concupiscentiæ, non solum vtroque hoc gaudio inuicem immediatè comparato, sed etiam comparato cum vtroque eo amore. Quia bonitas Dei propria tam intrinseca, quàm extrinseca, cognoscitur à beatis indiuisim, secundum quidditatem, & secundum existentiam, ac possessionem. Et quidem existente in beatis cognitione indiuisibili Dei secundùm omnes formalitates, quas vterque hic amor, & vtrumque gaudium respicit, & vtroque, tam amore, quam gaudio necessariò subsequentibus ad eam cognitionem (quæ duo sunt certa, & meritò apud Theologos) non video quo fundamento astrui possit realis eorum actuum pluralitas. Deducitur quartò, Amorem, & gaudium beatificum esse reflexiuum supra se non minus, quam visionem; quia sicut est cognoscibilis in

Deo

Deo; itá amor, & gaudium sunt cognoscibilia; & amabilia in Deo, & propter Deum, non minùs, quàm alia obiecta materialia, vt modò taceam rationes vniuersales de reflexione actuum intellectus, & voluntatis supra se.

Art. 7, Infertur postremò proportionaliter actus charitatis viæ, & patriæ esse inter se distinctos specie. Quia amor beatificus est essentialiter gaudium de bono diuino, vt proprio; quod non conuenit charitati viæ, vt patet ex dictis. Verùm quia huic illationi, quam ego puto verissimam, aliqui vehementer contradicunt; expedit illam al js prætereà rationibus confirmare. Confirmatur itaque primò. Quia amor beatificus est necessarius; liber autem, qui exercetur in via. Atqui actus necessarius differt specie, ab actu libero. Quæ duo principia patebunt ex dicendis infra de libertate. Secundò, quia in amorem beatificum influit efficienter immediatè, & quantum potest, visio Dei, nec non fides in amorem viæ: licet hæc non necessariò influat quantum potest. Ex causis autem specie diuersis, operantibus vtrisque, aut saltem altera, eaq; præstantiori, quantum possunt, proueniunt effectus specie diuersi, maximè quando (vti accidit in præsenti) sunt adæquati, & præcipui respectu causarum. Antecedens complectitur doctrinam nostram vniuersalem de influxu efficienti illustrationum in actus volũtatis, quem pluribus stabiliui q. 17. de Gratia, præsertim ad 2. Tertiò. Quia fides communiter dicitur media inter cognitionem Dei naturalem, & visionem. Parit autem amorem Dei dissidentem specie ab eo, qui correspondet cognitioni naturali. Ergò & ab eo, qui correspondet visioni, licet enim non sit media mathematicè, sed plus distet à cognitione naturali, quam à visione, indè tamen solùm deduci potest amorem supernaturalem viæ plùs distare ab amore naturali, quam ab amore patriæ; non verò nil ab isto distare secundùm speciem. Quartò. Quia dilectio patriæ est præ-

mium dilectionis viæ. Præmium autem æternæ vitæ differt specie secundùm omnes suas partes præcipuas à merito præsenti, illudque superat excessu propè infinito, vt dicetur infrà q. 33.

Art. 8. Interim excessum istum luculenter commendat August. cap. 36. de spir. & litt. aiens dilectionem Dei præsentem non tantam esse, quantam posteà futura est; nec vllo modo illi, tanquam de proximo comparandam; illamque futuram esse maiorem non solum ista, vt est in se, sed etiam petitione, & intelligentia nostra. Quæ non rectè cadunt in solum excessum intensionis, qui & comparationi subest sub mensura homogenea, nec vota, aut intelligentiam nostrã prætergredi potest. Idem significat apertiùs D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. ad 3. & in q. disputata de gratia Christi art. 3. ad 1. aiens dilectionem viæ & patriæ habere quantitates diuersæ rationis, & comparari inter se, sicut lineam & superficiem; quæ comparatio translata ad actus spirituales, & simplices, pro sua accõmodatione postulat diuersitatem specificam: nam pura intensio vtcumque maior, minoris augmento ad æqualitatem, & vniformitatem redigitur. Vndè eadem comparatione rectè vtitur D. Thomas in corpore illius art. 3. vt ostendat gratiam puræ creaturæ, etiamsi crescat in infinitum, pertingere non posse ad æqualitatem cum gratia Christi in esse gratiæ; sub qua ratione dubitari non potest agnosci ab illo specificam distinctionem.

Art. 9. Confirmatur denique principaliter ratione à priori; quia Deus per visionem exprimitur secundum plura prædicata specie distincta ab ijs, secundùm quæ exprimitur per fidem; At obiectum expressum secundùm prædicata specie distincta, mouet ad actus voluntatis specie distinctos. Ergò Deus quatenus expressus per visionem, & per fidem, mouet ad actus voluntatis specie distinctos. Probatur. Maior. Deus per visionem exprimitur vt est in se; per Fidem autem

ad

ad instar rerum creatarum, quæ à nobis immediatè cognoscuntur. Ergò eo ipso exprimitur per visionem secundùm plura prædicata specie distincta ab ijs, secundum quæ exprimitur per fidem. Patet consequentia. Quia Deus, ut est in se, continet plura prædicata specie distincta ab ijs, quæ exprimi possunt adinstar rerum creatarum, quæ à nobis immediatè cognoscuntur de facto. Continet enim prædicata, quæ exprimi possunt adinstar aliarum rerum creatarum perfectiorum & perfectiorum in infinitum, quæ sunt possibiles vltra eas, quæ à nobis cognoscuntur de facto. Illa autem prædicata sunt specie distincta, ab ijs, quæ à nobis cognoscuntur de facto expressè; sicut distinguitur specie prædicatum, quod exprimitur de Deo per conceptum, quo cognoscitur adinstar substantiæ intellectualis, ab eo prædicato, quod exprimitur, per conceptum, quo cognoscitur solum adinstar substantiæ purè sensitiuæ; aut viuentis præcisè; aut incorruptibilis, & sic de cæteris.

Art. 10. Accedit, conceptus omnes particulares, quos formamus de Deo per fidem, esse confluxum quendam conceptuum communium, abstrahentium cõfusè rationes communes Deo, & creaturis. Priùs enim formantur conceptus positiui viuentis, intelligentis, potentis &c. cõmunes, vt patet, Deo, & aliquibus creaturis; deindè verò conceptus negatiui excludentes has, vel illas imperfectiones, verbi gratia, mortalis, discurrentis, superabilis &c. communes similiter Deo. & aliquibus creaturis: Ac demum coniuncta aliqua ex illis perfectionibus, cum ratione communi excludentis imperfectiones, & ratione itidèm communi omnis perfectionis, vel simpliciter, vel in aliquo genere, conflatur conceptus particularis soli Deo conueniens. Nec aliter contingere potest, dum cognoscimus per species rerum creatarum; quia istæ semper repræsentant simul res creatas, à quibus ortæ sunt. Patet

tet autem visione Dei repræsentante ipsum, vt est in se, nihil creatum per confusionem admissum iri, atque ideò exprimendum esse prædicatum simplex positiuum specie diuersum formaliter ab omni prædicato simplici, quod nunc occurrere nobis potest, ac proinde Deum motuum esse ad amorem specie diuersum, atque infinito propè interuallo distinctum ab amore, quem modò exercemus. Sic nempè distat cognitio clara Dei, vt est in se, à cognitione eiusdem adinstar creaturarum. Ex his igitur omnibus apparet amorem beatificum esse vnicum, & realiter simplicem, nec distingui realiter ab vlla fruitione, & gaudio beatifico, eundemque differre specie ab omni dilectione, & fruitione propria viatoris.

Ad 1. Patet ex nuper dictis, rationes formales obiectiuas, ad quos feruntur amor amicitiæ, & fruitio beatifica, ità esse ratione diuersas, vt tamen sint mutuò connexæ, & vt tales proponantur indiuisim beato per visionem Dei. Motiuum verò actuum beati, & viatoris circa Deum ità esse vnum, & idem realiter, vt tamen sit formaliter diuersum, atque diuersimodè repræsentetur secundùm prædicata specie diuersa; ideoque priorem illam diuersitatem nullius esse inductiuam distinctionis in actibus beati; posteriorem verò diuersitatem esse causam distinctionis specificæ inter actus proprios beati, & viatoris.

Ad 2. Certum est, amorem esse principium omnium aliorum affectuum distinctorum realiter ab ipso. Falsum tamen est, omnem amorem propriè talem distingui realiter ex suo conceptu ab omni qualibet alia ratione formali affectus peculiaris, vt apparet clare inter alia in amore Dei erga se indistincto realiter à gaudio, & fruitione sui, iuxtà dicta quæst. 24 de Deo ab art. 2. Similiter ergò dicitur amorem beati erga Deum esse realiter indistinctum a gaudio de Deo, eaque de causa gaudium istud ab eo amore non procedere. Ad 3. Patet ex dictis suprà ab art. 3.

Ad 4. Fides dicitur euacuanda, & euacuabitur re ipsa pro statu beatitudinis, quia illi succedet cognitio, non solùm diuersa vtcumque secundum speciem, sed etiam opposita quoad modum cognoscendi, ac proinde minimè conueniens cum illa quoad rationem communem propriæ fidei. Charitati autem, & dilectioni præsenti succedit beatifica, diuersa quidem secundum speciem, non tamen illi similiter opposita; sed contenta sub ratione communi proprijssimæ charitatis, & dilectionis. Eodem porrò modo dici posset mansuram esse in patria cognitionem Dei; quia in ratione significata per hoc nomen conueniunt propriè fides, & visio.

Ad 5. Tametsi per dilectionem præsentem velimus Deo omnem suam bonitatem, vt est in se; nihilominus non attingimus eam distinctè secundùm prædicata specialia, quæ innotescent per visionem, & modò latent; sed solùm attingimus secundum conceptum imperfectum, ac confusum excedentis omnia creata. Quapropter licet non amemus Deum ad modum creaturarum quoad intentionem, aut vim appretiatiuam amoris; qua de causa, idem Amor præeminet fidei sub nulla ratione cognoscenti Deum meliùs, quàm creaturas; amamus tamen Deum ad modum creaturarum quoad rationem formaliter mouentem ad amandum. Hæc enim mouet, vt proponitur ab intellectu: proponitur verò ad instar creaturarum; ænigmaticè videlicet, & in speculo. Id autem minimè contingit in amore patriæ attingente nimirum Deum formaliter, vt proponitur per visionem; id est, vt est in se distinctè, & formaliter qua de causa non præeminet visioni, imò hæc illi præeminet. Patet igitur comparationem non rectè institui in obiectione.

Ad 6. Homo absens potest tantundem, eodemque modo amari atque præsens; quia ipse, omnisq. eius bonitas substantialis, & accidentalis possunt

possunt æquè distinctè, & clarè cognosci quoad totam suam perfectionem specificam in absentia, ac in præsentia: quandoquidem sunt eiusdẽ omninò rationis specificæ cum amante præsente sibi, & cum eiusdem bonis, atque in alijs obiectis motiuis continentur adæquatè. Quod ostensum est respectu Dei accidere minimè posse, ob rationem prorsus contrariam. Quarè mirum meritò videri potest, viros doctos, & acutos Durandum, & Vasquez ea paritate moueri potuisse.

Ad 7. Conceditur habitum charitatis manere eundem in patria, qui fuit in via. Verùm influit inprimis visio Dei simul cum habitu in amorem beatificum, vt dictum est. Deindè eadem causa cum diuersis requisitis ac dispositionibus operatur effectus specie diuersos. Denique habitus charitatis, cum intrinsecè sit proprius Filij Dei, suapte natura postulat præsentiam Patris, eàque obtenta collocatus in statu sibi connaturali exerit omnes suas vires; atque interim peregrinando, violentiam quandam patitur, nec tantundem agere potest remotus à centro.

Ad 8. Dilectio Dei orta ex fide est causa non efficiens, sed meritoria visionis; atque obtento præmio præsertim vltimo, atque inuariabiliter iam permansuro, cessant actus meritorij, eisque succedit fruitio.

D QVÆ-

QVAESTIO V.

Vtrum actus beatifici sint æquales in omnibus beatis?

VIDENTVR esse æquales, atq; esse de conceptu beatitudinis, vt beatus pertingat ad summum suæ perfectionis gradum sibi absolutè possibilem. 1. Quia est de conceptu beatitudinis, vt excludatur omnis materia mœroris, atque tristitiæ. Nequit autem deesse omnis materia mœroris, & tristitiæ cui deest pars aliqua perfectionis alicuius peculiaris sibi absolutè possibilis: quælibet namque pars maioris bonitatis, & perfectionis vnicuique possibilis, est materia gaudij, & delectationis, dum habetur; nec fieri potest, vt priuatio rei gaudiosæ, & delectantis, non sit tantundem dolorifera, atatque contristatiua. Necessè igitur est, omnes beatos æqualiter constitui in summo perfectionis culmine.

2. Quodlibet augmentum gloriæ est magnæ vehementis desiderij, atque assiduæ sollicitudinis materia. Cui autem deest bonum vehementer desideratum, & magna sollicitudine meritò quærendum, non potest non æquè vehementer dolere de iactura eiusdem boni. Igitur beati inferiores alijs, quoad aliquam partem augmenti gloriæ, eo ipso essent magno dolori, ac mœrori obnoxij; idest, aliqui beati non essent beati.

3. Si Christus Dominus careret visione, ac fruitione Dei intrinsecè afficiente eius animam, eo ipso non esset beatus quatenus homo, tametsi nihilominus haberet bonum longè maius visione,

ne, & fruitione; nēpè vnionē hypostaticam. Ergò similiter non esset beatus purus homo, carens peculiari aliqua intensione visionis, & fruitionis Dei, tametsi possideret visionem, & fruitionem eandem, quoad substantiam, atque hæc supponatur secundum se præeminere cuilibet vtriusque intensioni vlteriùs possibili. Patet consequentia à fortiori; quia vnio hypostatica superat excessu longè maiori visionem, & fruitionem Dei purè intentionaliter, & extrinsecùs communicantes diuinitatem humanitati, quàm substantia visionis, & fruitionis Dei intensionem earundē, vtpote homogeneam, eiusdemque rationis cum ea substantia. Ergò si vnio hypostatica non posset sopire, aut impedire dolorem, atque tristitiam de iactura visionis, & fruitionis Dei; multò minùs visio, & fruitio Dei posset impedire, aut sopire dolorem, atque tristitiam de iactura maioris suæ intensionis absolutè possibilis. Augetur difficultas: quia si beati possent pati aliquem eiusmodi intensionis defectum; cum vtique paterentur ob defectum meritorum, idest, ob negligentiam, & imperfectionem suam moralem, dum essent in via. Quæ profectò esset iusta magnæ confusionis, & amaræ pœnitentiæ materia; sicut opposita beatiorum diligentia, & perfectio esset materia iusta gloriationis peculiaris in Deo, atque gaudiosi triumphi. Patet autem cōfusionem, atque pœnitentiam ex præteria negligentia subortam, æternùmque puncturam contradicere plenitudini gaudij, quæ est de conceptu beatitudinis.

4. Omnes beati erunt æquales quoad dotes gloriosas corporis, subtilitatem, agilitatem &c. quæ videlicet quatenus sunt propriæ corporis gloriosi, consistunt in indiuisibili. Penetrabilitas enim vnius corporis cum alio, seu potiùs corporis alicuius cum quibuslibet alijs corporibus, non potest vna esse maior, quàm alia; eademque est ratio de alijs eiusmodi dotibus gloriosis. Ergò similiter erunt æquales omnes

beati, quoad habitus, & actus pertinentes ad animam. Patet consequentia: tùm quia gloria corporis redundabit ex gloria animæ tamquam ex suo principio, ac radice, adeòque tamquam à mensura sua. quatenus perfectio principij ex suo conceptu est mensura perfectionis conuenientis effectui: tum quia nulla est maior ratio æqualitatis quoad corporalia, quàm quoad spiritualia; quandòquidem vtraque vniformiter retribuuntur meritis accumulatis in statu viæ.

5. Omnium damnatorum miseria erit prorsus æqualis. Ergò similiter erit æqualis gloria omnium beatorum. Patet consequentia, quia in Sacris litteris vbique proponuntur proportionaliter æqualia momenta pœnarum, & præmiorum, pro bonis; & malis operibus. Probatur antecedens. Primum, quia priuatio visionis, & dilectionis Dei, quæ est maximum malum reproborum consistit in indiuisibili, vt patet. Deindè quia ex 2. Iac. 10. *Quicumque totam legem seruauerit offendat autem in vno, factus est omnium reus*, hoc est, perindè punitur, atque si offendisset in omnibus, nullique parti legis satisfecisset. Demum quia omnes reprobi sunt expertes omnis omninò consolationis. Quod non esset verum, si omnium pœna non esset æqualis, quia minùs puniti comparatione deteriorum, magisque infelicium consolari aliquatenus possent, vt docet experientia eiusmodi comparationis quoad calamitates vitæ præsentis & quia minus de malo est plus de bono, vt dicit Philosophus; atque quodlibet plus de bono est causa alicuius consolationis.

6. In parabola operariorum c. 20. Matt. tempore longè dispari inæqualiter laborãtes eandem nihilominùs omnes mercedem accipiunt, & querelæ inde subortæ eorum, qui plus laborauerant reijciuntur, tamquam irrationabiles, & iniquæ. Illa autem parabola est typus eorum, qui meritis suis consequuntur vitam æternam. Ergò hæc æqualiter, & sub eadem prorsus mēsura

Iura rependitur omnibus, eandem vtcunque merentibus.

Art. 1. Respondetur. Certum est ex fide, præmium vitæ æternæ inæqualiter singulis rependi iuxta inæqualitatem meritorum, ac proinde actus beatificos visionis, & fruitionis, quibus illud constituitur, esse inæqualis intensionis iuxta inæqualitatem eorundem meritorum, vt liquet ex testimonijs, productisque æst. 13. de Deo, ar. 13. vbi expositæ sunt difficultates huius dogmatis desumptæ ex indiuisibilitate Dei, atque Diuinæ cognoscibilitatis. Iam pro diluendis difficultatibus, quas ingerit conceptus beatitudinis, quæ specialiter pertinent ad hunc locum, obseruandum est. Primò beatitudinem tum obiectiuam, tum formalem, quod ad essentiam attinet, esse in omnibus beatis non solùm æqualem, sed etiam eandem: formalem quidem quoad speciem, vt liquet ex q. illa 13. obiectiuam verò etiã numero, vt liquet ex dictis suprà q. 2.

Art. 2. Obseruandum rursus est, augmentum vlterius possibile gloriæ, seu maioris intensionis in actibus fruitionis, & visionis esse materiam maximæ sollicitudinis, & vehementis desiderij respectu viatoris. Primò quia ea sollicitudo, ac desiderium confert indiuisim ad maiorem securitatem non amittendi substantiam beatitudinis; quatenùs, qui pluries exercetur actibus meritorijs: ijsque magis intensis, & præstantioribus, atque maiorem indè nanciscitur gratiam habitualem, & sanctitatem, cuius mensuræ correspondet mensura gloriæ; eò reddit magis certam, seù minori expositam periculo suam perseuerantiam finalem in gratia, adeòque consequutionem gloriæ quoad substantiam: cuius vtique consequendæ maior qualibet certitudo, & spes meliùs fundata, est profectò res digna magnà sollicitudine; atque expetenda vehementi desiderio. Secundò quia eodem modo cognoscitur à viatore maior, & minor intensio, substantia, & augmentum beatitudinis;

ideòque accenditur vtrinque affectus simili modò. Apprehenditur enim tam substantia, quàm maior intēsio, per species abstractiuas; & ad instar rerū materialiū, in quibus, quod additur, & cui additur sunt saltem, vt plurimū, eiusdem prorsùs rationis. Demū, idq; maximè, quia Deus cuius voluntati conformari tenemur, vult vt dū sumus in viâ, crescamus semper de virtute in virtutem, & accumulemus incessanter æternos gloriæ thesauros; atque hæc conformitas nostræ voluntatis cum Diuina, est quærenda omni conatu possibili; cum ab ea dependeat, imò in ipsa situm sit omne nostrum bonum.

Art. 3. Ob rationes contrarias non est similiter materia magni doloris, ac mœroris, respectu videntis Deum, vt est in se, eodemque fruentis, quod deficiat augmentum aliquod maius, & aliqua vlterior intensio visionis, ac fruitionis; sed obtentà qualibet eius mensura est simpliciter contentus, quicumque videt Deum; atque eo ipso redundat tanto gaudio, vt omnis doloris, ac mœroris sensus ob defectum cuiuslibet vlterioris cumuli bonorum penitùs absorbeatur. Primùm enim ex nullo maioris intensionis, & cumuli defectu redundat vlla contingentia, & periculum amissionis, & iacturæ quoad substantiam possidendi Deū eodemquè perfruendi vt liquet ex dictis suprà quæst. 3. de indefectibilitate intrinsecâ, & essentiali æternitate à parte pòst cuiuslibet visionis beatificæ. Deinde, quicumque videt Deum, cognoscit intuitiuè & perfectè eum gradum visionis, & fruitionis, quo potitur defacto; reliquam verò intensionem, quæ sibi deficit, solùm cognoscit abstractiuè, minùsque perfectè: & præterea discernit clarè maiorem quamlibet intensionem absolutè possibilem esse perfectionem accidentalem status substantialis, in quo est; ità videlicet, vt augmentum visionis per maiorem intensionem non sit simile augmento rei materialis per partes æquè æstimabiles, secundum se seorsim; atque

atque æstimabiles sunt partes, quibus fit additio; sed solùm per additionē, quæ essētialiter fit additio, totamq; suā præcipuam æstimabilitatem habeat ab eo, cui quasi superadditur, nempè à substantia videndi, ac possidendi Deum. Postremò beatus videt clarè, Deo, cuius voluntati necessariò acquiescit, & cōformatur totaliter, quicunque ipsum videt, placere, vt eum solum gloriæ gradum ipse obtineat, quo potitur defacto; eidemque placuisse eum solum meritorum cumulum sibi donare, aut eam solam partem hæreditatis æternæ, quam defacto est consequtus. His igitur de causis quilibet beatus tranquille gaudet de bono suo, nec est amplius capax qui contristetur, & turbetur de vllo defectu vlterioris augmenti suorum bonorum, nec vllo inde dolore concuti potest, propriè, & simpliciter tali, idest, perturbatiuo, ac prædominanti, atque prædito vi auertendi animum à summa quadam, & inexplicabili gaudendi, ac perfruēdi voluptate.

Art.4. Confirmatur, quia tunc desiderium, propter absentiam maximè irreparabilem, rei desideratæ, parere potest dolorem sibi proportionatum, & æqualem gaudio, quod resultaret ex eiusdem rei præsentia, & possessione, quando priuatio boni desiderati non est compossibilis, aut non componitur de facto cum possessione boni incomparabiliter maioris, atque excessu in explicabili præponderantis malo per eandem priuationem inducto: non verò si componatur cum præsentia; & possessione talis boni, maximè si bonum, quod adest, quodque deest, intra idem genus contineantur, atque alterum ex sua natura sit additamentum alterius, atque alterum essentialiter includens in se, quoad suā iustam æstimabilitatem, & appetibilitatem. Quod multiplici exemplo ex rebus materialibus Regnorum, agrorum, domorum, facilè sibi quisque persuadere potest. Ostensum autem est bonum videndi simpliciter Deum, eodemque fruendi, ità comparari cum qualibet accessione, ac in-

tensione possibili visionis, & fruitionis. Nullius igitur vllius maioris intensionis defectus impedire potest gaudium absolutè plenum, ac felix vllius videntis Deum, æternumque visuri; ac proindè non repugnat conceptui beatitudinis inæqualitas quoad intensionem actuum beatificantium, in alijs, atque alijs beatis.

Ad 1. Priuatio cuiusuis perfectionis absolutè possibilis respectu vniuscuiusque est dolorifera, si simul non adsit bonum incomparabiliter maius, præsertim eiusdem generis, ac rationis, sufficiens se solo ad explendum animum, & ad exhauriendam omnem vim amatoriam, ac fruitiuam conuenientem subiecto eiusmodi priuationis secundum se considerato, seu nō superadditis supernaturaliter viribus sufficientibus ad amandum magis, magisque fruendum. Adest autem cuiuis beato tale bonum præponderans, vt dictum est. Nulli igitur beato potest esse dolorifera, & contristatiua simpliciter, & propriè, priuatio vllius maioris intensionis in visione, & amore Dei: tametsi quælibet accessio, ac intensio maior eorundem actuum causet eidem peculiare gaudium, & delectationem, quatenus non similiter inest beato malum aliquod præponderans, quod obruere possit vim exhillaratiuam, atque inductiuam gaudij conuenientem prædictæ intensioni, & quod proindè ad se trahat necessariò omnem vim, & actiuitatem subiecti ad concipiendum dolorem, atque tristitiam, & sic indirectè impediat omnem actum gaudij, & delectationis de bono minori præsente, licet terminatiuo, ac inductiuo, quantum est ex se, gaudij, & delectationis. Ad 2. patet ratio discriminis ex dictis art. 2. & 3.

Ad 3. Concesso antecedenti, negatur consequentia. Primùm, quia Christo Domino ratione vnionis hypostaticæ debentur visio, & fruitio Dei, quarum proindè priuatio habet rationem mali propriè, & strictè talis respectu Christi Domini. At purò homini videnti Deum, eo-

dem-

demque fruenti non debetur intensio ea maior vtriusque huius actus, ac proindè priuatio talis intensionis non habet rationem mali propriè, & strictè talis; siquidem malum propriè tale constituitur per solam boni debiti priuationem. Patet autem nullam esse consequentiam ex vi causatiua doloris, & tristitiæ, atque impeditiua perfectæ delectationis, conueniente malo propriè tali, ad vim similem inductiuam eorundem effectuum adscribendam priuationi seu carentiæ, quæ non est propriè mala. Deinde Christus Dominus non superadditis vnioni hypostaticæ visione, & fruitione Dei, careret possessione summi boni propriè tali. Quia possessio propria substantiæ rationalis, quæ sola est possessio propriè dicta, dari non potest absque intentionali animi ad rem, quæ possidetur, applicatione, quà fiat proximè potens ad percipiendos fructus contentos in re possessa. & præsertim ad percipiendum gaudium, ac delectationem. Non igitur esset beatus Christus Dominus ratione vnionis hypostaticæ, si careret visione, & fruitione Dei, tametsi haberet bonum secundum se maius, quàm sit visio, & fruitio Dei, quatenus vnio hypostatica intimiùs, multòque magis communicat humanitati perfectionem diuinitatis, quàm visio, & fruitio intentionalis, atque eadem vnio est radix, & causa earundem visionis, & fruitionis; idest, est radix, & causa ipsius beatitudinis formalis, eiusdemque proindè contentiua in se virtualiter. Non, inquam, esset beatus ex ea suppositione, quia careret proximè, & formaliter beatitudine formali, solumque eam haberet radicaliter, & remotè per habitionem formalem, & immediatam summi boni, maiorem quidem, ac æstimabiliorem absolutè, diuersæ tamen rationis, ac generis, ac sit beatitudo ipsa formalis. Nequit enimuerò supplere bonum præsens, vtcumque maius, absentiam boni minoris pertinentis ad aliud genus, neque impedire dolorem, & tristitiam de eadem ab-

sentia, vti obseruatum est ex Philos. q. 37. de iustitia à §. *Legitima igitur*. Iam difficultas peculiaris, quæ ibi subiungitur de confusione, & pœnitentia habentium actus beatificos minùs intensos, eadem facilitate diluitur ex dictis; nempè honor, & gloria redundans in quemlibet vtcumque videntium Deum ex meritis, qualiacumque quisque habuerit, erit tanta, vt impediat omnem confusionis, & pœnitentiæ motum ob merita prætermissa; idque eadem ratione, qua substantia gloriæ impediet omnem doloris, & tristitiæ sensum ob defectum vlterioris augmenti eiusdem gloriæ. Quia cui nullum potest facessere negotium iactura præmij, quod est maioris momenti, nihil vtique mouere potest iactura, seu omissio meriti, quod est bonum minoris momenti.

Ad 4. Transeat in primis antecedens, & negatur consequentia. Ratio discriminis est; quia capacitas substãtiæ rationalis, quà rationalis est est syncategorematicè infinita; quia versatur circa obiectum simpliciter infinitum, & incomprehensibile, quod proindè qualibet data communicatione sui, potest maiorem semper & maiorem vlteriùs communicationem inducere: at verò corporis dotes, siuè naturales, siue supernaturales sint, versantur circa res materiales, quæ sunt finitæ, & limitatæ, & generis ad modum imperfecti, ideòque est facilè peruenire ad summum; estque valdè probabile minimum gloriæ gradum in anima exigere summam ex parte corporis perfectionem, & ornatum, atque ei inducendæ esse radicem sufficientem. Nec necesse est causas æquiuocas inducere in omni genere effectus inter se dispares iuxtà disparitatem ipsarum, quando causæ non sunt principaliter institutæ propter ipsos effectus, vti certissimè instituta non est gloria animæ propter gloriam corporis. probabile deindè est datum iri proportionalem inter beatos inæqualitatem quoad dotes gloriosas corporis, sed de hoc alius

erit dicendi locus exprofesso.

Ad 5. Negatur antecedens de æquali pœna, & miseria omnium damnatorum. Ad primam eius antecedentis probationem, conceditur priuationem visionis, & fruitionis beatificæ, quæ afficit omnes reprobos, consistere in indiuisibili ex parte termini negati; quandoquidem omnibus reprobis negatur totaliter omnis Dei visio, & fruitio. Negatur tamen eandem priuationem consistere in indiuisibili ex parte formæ priuantis. Quia fieri potest, vt ex formis priuantibus toto eodem bono, vna magis remoueat ab illo, magisque proindè illo priuet, quàm alia, prout exponetur in genere infrà q. 29. Deinde quoad pœnam sensus; nulla est difficultas, quod possit esse valdè inæqualis propter intensionem valdè disparem qualitatum cruciantium. Quam quidem inæqualitatem omnes facilè concipiunt propter experientiam quotidianam qualitatum materialium inæqualiter nocentium iuxtà inæqualem intensionem ipsarum. Est autem eadem prorsus ratio, licet sit occultior propter defectũ similis experientiæ, circa inæqualitatem qualitatis spiritualis priuantis visione, & fruitione Dei, vt apparebit consideranti, quæ dicentur in loco indicato. Ad secundam eiusdem antecedentis probationem; Qui offendit in vno dicitur omnium reus, quia propter quoduis peccatum lethale peccator priuatur totaliter regno Cœlorum, quod est præmium correspondens obseruantiæ totius legis. Ceterum hoc non tollit, quominùs, qui pluries, aut grauiùs peccauit, magis puniatur per maiorem elongationem à regno Cœlorum, eiusdemque deteriorem priuationem, nec non per maiorem pœnam sensus modo nuper explicato. Ad postremam probationem, dicitur proportionaliter, sicuti dictum est circa inæqualitatem gloriæ fruitionis, & meritorum; nempè tantum fore dolorem, confusionem, atque tristitiam, omnium indiscriminatim damnatorũ propter iacturam Regni Cœ-

lorum, & propter infinitam Dei maiestatem grauiter ab ipsis offensam, vt sit impeditura omnem prorsus delectationis, & consolationis sensum ex minoritate qualicumque malorū, quæ illis contingere potest, idque ob eandem proportionaliter rationem, quæ superiùs expensa est circa felicitatem beatorum.

Art. 1. Ad 5. Probabile est, vt contendit Vasquez, in ea parabola Matthæi Sermonem esse non de præmio vitæ æternæ; sed de auxilijs gratiæ actualis, quæ Deus distribuit singulis, prout vult, nullis præexistentibus eorum meritis, ac proindè absque vllius iniuria; licet labor à singulis impensus independenter ab ijsdem gratiæ auxilijs, alioquin infructuosis, præextiterit in alijs, atque alijs inæqualis. Probabile itidem est sermonem inibi esse de denario vitæ æternæ, qui omnibus prædestinatis retribuitur æqualis quoad essentiam, vt dictum est supra ar. 1. quò respicit querela operariorum laborantium tota die. Probabilissima denique, atque alijs meritò præferenda interpretatiò eius parabolæ est, quæ illam accipiendam putat de meritis ex maiori gratia habituali profectis, & exhibitis maiori conatu, & feruentiori charitate, ideoque æquantibus intra breue tempus vim meritoriā operum remissiorum, & quæ dignificauerit gratia minùs intensa, licet diuturniora ea fuerint.

Art. 2. Verùm nihil horum impedit, quominus salua veritate illius parabolæ iuxta sensus indicatos, inæquale augmentum gloriæ nanciscantur, quicumque decesserint cum meritis, absolutè, & quoad omnia inæqualibus. Multo minùs impedit veritas eiusdem parabolæ inæqualitatem accidentalem quoad aliqua, etiam ratione contraria inæqualitatis, comparatione inæqualitatis, quoad augmentum gloriæ substantialis, vt enim alia præteream contingere poterit, vt minùs substantialiter beatus, habeat nihilominùs maiorem aliquam cognitionem rerum creatarum diuersis temporibus existentium, & maiorem

iorem indidem aliquatenùs delectationem. Quā in rem ſupponendum eſt ex cōmuni PP. & Theologorum conſenſu, vnumquemque beatum cognoſcere indiuidualiter clarè, & diſtinctè ea omnia, & ſingula, quæ pertinent ad ipſum titulo peculiari talis, vel perſonæ, vel muneris, vel dignitatis, & aliorum eiuſmodi, quod ſtatuitur à Concilio Senonenſi decreto 13. his verbis. *Quàm ſit hoc non mòdò veritati, ſed ſcripturis quoque diſſonum, intelliget, qui beatis peruium eſſe non ignorat diuinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit, illuceſcat.*

Art. 3. Cum ergò ad Apoſtolos, & DD. paſtores animarum, Principes, alioſque eiuſmodi plura ſpecialiter pertineant, plura vtique ſpecialiter ſingulis eorum innoteſcent in ſpeculo diuinitatis, quæ latebunt alios arctioris in via conditionis beatis, tametſi abſolutè beatiores; atque ex eiſdem obiectis ſpecialiter manifeſtatis ſpecialis aliqua delectatio redundare in eoſdem poterit; quando euentus manifeſtati fuerint proſperi, & votis, atque conatibus cuiuſq; beati correſpondentes. Quod tamen nihil impediet quominùs abſolutè præemineant in ſublimi felicitatis, & gloriæ gradu, ij, quorum merita fuerunt abſolutè maiora. Veriſſimum nimirum eſt vulgare illud ex 5. confeſſionum Auguſtini: *Infelix, qui ſcit omnia; te autem neſcit. Beatus autem, qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui verò te, & illa nouit, non propter illa beatior eſt, ſed propter te ſolum beatur.*

QVÆ-

QVAESTIO VI.

Vtrum beatitudinem suam consequatur homo per actus suos?

VIDETVR non consequi. 1. Quia beatitudo est gratia, & donum Dei ex Rom. 6. 23. *Gratia autem Dei vita æterna*. Non autem est gratia, quod obtinetur ab vnoquoque per suos actus, ex Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam*. Ergò beatitudo non obtinetur per actus ipsius beatificandi.

2. *Dei perfecta sunt opera*. ex 32. Deuter. 3. non minùs vtique, quæ sunt propria Ipsius, vt auctoris supernaturalis; quàm quæ sunt propria eiusdem, vt auctoris naturalis. Deus autem, vt auctor naturalis, initio creauit hominem vndequaque perfectum independenter ab omni eius præuia dispositione. Ergò vt auctor supernaturalis perducit similiter eundem, vsque ad vltimã perfectionem, quæ est beatitudo, independenter ab omni præuia dispositione eius; nempè vtrobique pertinet æqualiter ad perfectionem potentiæ Dei, ne dependeat ab vlla præuia subiectorum dispositione, sicut ab ipso dependent causæ secundæ ad inducendos quoscunque effectus inducere voluerit.

3. Christus Dominus, & pueri decedentes cum baptismo antè vsum rationis, obtinent beatitudinem independenter à proprijs actibus. Ergo & reliqui. Patet consequentia. Quia ex antecedenti liquet non esse de conceptu beatitudinis, vt obtineatur per actus ipsius beati.

4. Non potest homo consequi beatitudinem per actus necessarios; quia actus necessarij non

sunt

sunt meritorij; ideòque nec inductiui maioris alicuius boni non præcontenti in actiuitate physica ipsorum: sed neque per actus liberos consequi illam potest; quia homo non est liber ad volendum, & nolendum suum vltimum finem, qui est beatitudo, sed necessariò illum intendit per omnes suos actus, vt dictũ est in q.1.&D. Augustinus lib.13. de Trinit.c.3. & alibi sæpè docet, quòd omnes volunt esse beati, & nemo potest hoc non velle. Qui autem necessariò vult aliquem finem, vult quoque omnia necessariò media determinatè requisita ad illum. Si ergò aliqui actus hominis essent media requisita ad consecutionem beatitudinis, necessariò illos,& non liberè, vnusquisque vellet, ac eliceret. Implicat ergò in terminis, quòd aliqui actus hominis requirantur ad consecutionem beatitudinis, iisdẽque sint liberi. Per nullos igitur actus suos consequi potest homo beatitudinem suam.

Respondetur constat ex fide, hominem adultum,& compotem rationis consequi beatitudinẽ per proprios actus, nec indepẽdenter ab eis obtinere illã posse dicente Christo Dom. Io.13. 18. *Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea*, & Apost. 2. ad Corinth.9.6. *Qui parce seminat: parce & metet &c.* Cuiusmod alia sunt vbique obuia, & plura habentur in Concil. Trident. sess.6. præsertim c.16. Ratio est. Quia agenti libero connaturale est, vt per suam electionem perueniat ad id, ad quod sibi conuenit libertas, & consequenter si conueniat libertas ad aliquid, sed non immediata, libera electio habebit rationem medij ad illud. Similiter est connaturale agenti, quod potest perfectè, & imperfectè operari, vt per operationem imperfectam perueniat ad perfectam operationem. In tota namque natura apparet iste progressus ab imperfecto ad perfectum vt ab alteratione, ad generationem, à calefactione remissa ad intensam, à cognitione imperfecta ad perfectiorem, & sic de similibus. Homo autem ex sua natura est liber ad beatitudinem,

dinem, & miseriam; atque beatitudo, eiusque consecutio non est operatio immediatè libera, vt infrà patebit q. 12. & 13. Conuenit similiter homini ex sua natura, vt possit operari tum perfectè, tum imperfectè; dependenter, & independenter à sensibus, circa bonum creatum, & increatum; & circa increatum, tùm vt mediatè, tum vt immediatè cognitum, prout manifestabitur ibidem. Connaturale igitur est homini, vt ab beatitudinem suam, quæ est operatio perfectissima, & minimè libera immediatè, perueniat per alias suas operationes, & liberas, & minùs perfectas. Deus autem non inuertit naturas rerum, nec perperàm cuiquam dat aliquam agendi virtutem ac idoneitatem; sed vnumquodque perducit ad finem suum, iuxta naturam ipsius, de quo alibi fusiùs. Ergò Deus non perducit hominem compotem rationis ad suam beatitudinẽ, nisi per proprios ipsius actus. Circa hoc argumentum videri possunt q. 8. de virt. Theol. & q. 10. de Iustif.

Ad 1. Patet ex verbis August. Epist. 105. ad Vitalem ante med; Ipsa, inquit, *vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata per nostram sufficientiam, sed nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideò quia meritis non datur, sed quia data sunt merita, quibus datur*: idest, dicitur gratia denominatiuè à gratia, per quam merita dantur, nondum merentibus illam, vel illa.

Ad 2. Ad perfectionem operum Dei, tam naturalium, quam supernaturalium spectat, vt ea ipsi cooperentur ad vlteriora opera, quantum cuiusque fert actiuitas, & perfectio, atque ità magis manifestent effusionem diuinitatis in se, & participationem bonitatis eius, quatenùs potentis vi sua inducere omnem suam perfectionẽ, suamque beatitudinem. Quapropter primis etiã hominibus, cæterisque rebus primò conditis eam solam plenitudinem perfectionis, & natu-

ralis,

ralis, & supernaturalis contulit Deus, absque praeuia dispositione, & cooperatione ex parte ipsorum, ad quam peruenire non poterant per dispositionē, & cooperationem propriam, & quam necesse erat ipsis protinus conferri, vt essent principium idoneum ordinis congruentis vniuerso, & propagationis, quali ipsum indigebat. Conceditur itaque ratio proportionata paritatis inter Deum; vt auctorem naturalem, & supernaturalem, solaque negatur suppositio, tum de auctore naturali non exigente, quoad fieri potest, dispositionem ex parte suorum operum etiam primorum, ad vlteriorē, & vltimam ipsorum perfectionem; tum quòd exigentia eiusmodi præuia dispositionis fundetur in solo defectu virtutis ad agendum independenter à præuia dispositione; Cum Deus non ob hoc eam exigat, sed vt manifestetur magna perfectio communicata caussis secundis, vtque seruetur in rebus ordo congruens eisdem.

Ad 3. Christus Dominus non erat liber ad obtinendum, & amittendum beatitudinem; nec ad operandum imperfectè imperfectione morali propriè sumpta, de quo pluribus in loco. In paruulis autem decedentibus antè vsum rationis nulla præit libertas, ideòque opera ipsorum supplentur meritis Christi applicatis per Baptismum nulla igitur est paritas ex ipsis ad reliquos. Neque verò assertum est, esse de conceptu beatitudinis secundum se præcisè, præuiam dispositinem, sed tantùm esse de conceptu eius, quatenus connaturaliter conferendæ agenti libero ad beatitudinē, & miseriam, & potenti operari perfectè, & imperfectè, vt patet ex fundamento superiùs producto.

Ad 4. Sicut contingit eandem rem sub alio atque alio conceptu simul sciri certò, & opinabiliter; imò sciri & ignorari, affirmari, & negari ità etiam contingit idem bonum sub vno conceptu volitum necessariò, sub alio conceptu esse nihilominùs volitum liberè; imò esse volitum

sub

sub vno conceptu, simulque omissum; aut nolitum sub alio conuertibili reipsa cum priori; Hoc igitur modo euenit, vt omnes necessariò velint beatitudinem suam, seu suum bonum per sẽctum, atque sibi benè sit simpliciter, & absolutè, sub hoc conceptu abstracto; & nihilominùs velint omnes liberè, & plures contemnant, atque reijciant eam rem, in qua vera beatitudo consistit sub conceptu determinato ipsius, & consequenter, vt liberè eliciant, aut etiam omittãt, ac reijciant eos determinatè actus, qui sunt vera media ad veram beatitudinem. Itaque omnes actus humani intendunt necessariò beatitudinem sub aliquo conceptu realiter conuertibili cum ipsa, & consequenter etiam media necessaria ad eandem, quæ sunt indistincta ab actibus humanis, sed non omnes ad illam conferunt reipsa, imò plures ab eadem auertunt. Quapropter, vt manifestetur hoc eorum actuum discrimen, considerandi sunt diligenter in progressu, actus humani, quoad omnia ipsorum prædicata; primùm quidem quoad ea, quæ sunt communia actibus conferentibus ad beatitudinem, & ijs, qui auertunt ab eadem. deinde verò quoad ea, quibus differunt inter se.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

Vtrum actus humani sint ex suo conceptu voluntarij?

VIDENTVR non esse. 1. Quia *voluntarium est, quod est ab intrinseco*, vt paulo post dicetur ex Philos. Gregorio Nysseno, Damasc. & alijs. Actus autem humani sūt ab extrinseco principio tum ex parte efficientis, tum ex parte motiui. Ex parte quidem efficientis. Quia Deus est principium omnium nostrorum actuum, iuxta illud Io. 15. 4. *Sine me nihil potestis facere*: i llud Apost. 2. ad Corinth. 3. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid* (multò minùs velle, & agere) *à nobis quasi ex nobis*; *sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ex parte verò motiui; quia voluntas hominis mouetur ab appetibili, quod est extra, & 3. de Anima text. 24. dicitur mouens non motum, & similiter 8. *Physic*. text. 28. dicitur omnem actnm nouum animalium (quales sunt omnes actus humani, siquidem nullus eorum est æternus) præueniri ab aliquo motu exteriori. Ergò actus humani, non sunt voluntarij.

2. Violentum opponitur voluntario, vt docet D. Thom. *quæst*. 6. art. 4. alijque communiter; non autem opponitur rationi actus humani: quia voluntas hominss quatenus operās humano modo, subijcitur agenti exteriori potentiori, se nempè Deo, non minùs, quàm aliæ causæ secundæ, & quælibet aliæ entitates creatæ; quod autem subest agenti potentiori, potest vtique violentiam eatenus pati ab illo, non enim esset potentius, & superius, si non posset cogere quod inferius est, contra propriam eus incli-

natio

nationem, id est, si non posset inferre violentiā. Ergò non est de ratione actus humani, vt sit voluntariùs, cum possit esse violentus. Confirmatur; quia Deus potest infundere actum propriè humanum, cuicunque voluerit, & qualem voluerit, ideòque etiam contrarium inclinationi eius, sicut potest immittere per violentiam alia accidentia purè physica; nec enim apparet in hoc vlla peculiaris metaphysica repugnantia; cùm Deus sit omnipotens, ac proindè possit se solo efficere, & vnire, quidquid efficere, & vnirè potest simul cum causa secunda. Ergò fieri potest, vt aliquis actus sit humanus, simulque violentus, & minimè voluntarius.

3. Bruta mouentur ab intrinseco ad bonum sibi propositum per sensum, tamquam ad finem suum. Voluntarium autem est, quod est ab intrinseco cum cognitione finis. Ergò appetitiones brutorum sunt voluntariæ. Ergò non est de conceptu actus humani, tamquam aliquid proprium, & peculiare ipsius, vt sit voluntarius; sed id est cõmune operationibus hominis etiam animalibus. Imò reperiri potest voluntarium absque omni actu; quia submersio nauis imputatur, tamquam voluntaria præscio & obligato ad eam vitandam; tametsi neque directè, neque indirectè illam voluerit vllo actu positiuo, & sic de similibus, vt docet D. Thom. ibidem art; 3. & plerique alij.

Art. 1, Respondetur. Voluntarium seù spontaneum definitur à Philos. 3. Ethic. c. 1. *cuius in se principium continet is, qui scit res singulas in quibus actio versatur*. Eodem modo definiunt voluntarium, Nemes. lib. 5. philos. c. 3. & Damas. lib. 2. de fide c. 24. Quia verò inter ea, in quibus versatur actio, præeminet finis, & ad ipsum cætera redigũtur, propterea iam ferè apud omnes inuoluit hæc alia definitio deriuata ex D. Thom. q. 6. art. 1. *Voluntarium est, quod est ab intrinseco cum cognitione finis*: Duo itaque requirũtur, & sufficiunt ad rationem actionis volun-

funtariæ. Primum est. vt procedat ab intrinsecco; quod est communi omni actioni vitali. Alterum est, vt dependeat, dependentia vtique per se, & formali, à præcognitione finis ad quē ordinatur; quod itidem seorsim sumptum, est omni prorsus actioni commune. Omnis siquidem actio depēdet per se à primo principio operante specialiter, ac necessariò cū præcognitione finis, ad quem ordinatur actio. Vtrumque autem coniunctim solis conuenit actionibus potentiæ appetitiuæ immediatè. Quæ videlicet solæ, cū procedant ab intrinseco, vt actiones nonnullæ purè physicæ, & omnes actiones intentionales, pendent præterea per se, & immediate à cognitione finis, vt finis est formaliter præhabità à principio, à quo procedunt, & cui inhærent. Iudicium namque procedens ab apprehensione finis, & conclusio orta ex præmissis repræsentantibus finem, non propterea procedunt à cognitione præuia finis formaliter, vt talis, quia id, cui conuenit ratio finis, solùm attingunt formaliter vt verum, non vero vt bonū, cū bonitas sit conceptus formalis finis, & præterea omnis actus intellectus procedens ab alia præuia cognitione, exprimit de nouo aliquam formalitatem obiecti, minimè expressam priùs formaliter, idque est eius munus, aut vnicum, aut præcipuum; de quo alibi pluribus. Statuitur verò in definitione data, quòd sit de ratione actionis voluntariæ, tendere in id, quod præcognitū est præcisè quatenùs præsupponitur cognitū.

Art. 2. Dupliciter autem præcognosci potest finis; primò imperfectè, & materialiter ità vt solùm apprehendatur res, quæ habet rationem finis, non autem exprimatur conceptus formalis finis facta comparatione ipsius cum medijs, & expensà mutuà eorum inter se proportione: secundò perfectè, cum opposita expressione, & comparatione. Illud primum est commune homini cum brutis, quatenùs operanti imperfectè ex prima apprehensione boni conuenientis: secundum

cundum est proprium hominis rationaliter, ac deliberatè operantis, vtentisque potentia sibi peculiari comparandi obiecta inter se per iudicium, & deliberationem. Hinc fit, appetitionibus brutorum, & ijs quæ ab homine irrationaliter concipiuntur, conuenire solam rationem voluntarij imperfecti; extensa ista voce, vti sæpè accidit vltra limites originis suæ, quæ ducta est à voluntate rationali. Ratio autem voluntarij perfecti, de quo solùm agendum nobis est, conuenit operationibus hominis perfectis quoad genus præuiæ cognitionis deliberantis, idest operationibus propriè humanis, juxta expositionem superiùs datam.

Art. 3. Ex ista vtriusque voluntarij differentia, quæ est penes cognitionem, oritur alia quoad rationem ab intrinseco. Cùm enim in omni actione præcipui, maximique momenti sit ordinatio eius in finem; quæ habent à se ipsis, non solùm, vt moueantur, sed etiam, vt moueantur in finem, siuè liberè, siuè necessariò, ea maximè & principaliter dicuntur moueri ab intrinseco; quæ verò non à se ipsis mouentur ad finē, licet à se ipsis habeant motum aliquem, magis dicūtur moueri ab extrinseco, quàm ab intrinseco & agi potiùs, quàm agere. Quàpropter bruta habentia ab extrinseco perfectam ordinationem in finem, à se verò tantùm imperfectam, & materialem, aguntur ab extrinseco magis, vi obiectorum sibi conuenientium, & instinctu indito à Deo, quàm agant se ipsa. At homo ob contrariam rationem agit se magis, quàm agatur ab extrinseco, dum operatur humano modo, si comparetur cum agentibus creatis non pertingentibus ad perfectionem operandi propriam hominis, quà homo est. Quod tamen non tollit, quin comparatione Dei agi potiùs dicatur quam se agere in operatione præsertim salutari, & supernaturali, juxta illud de filijs Dei: *Spiritu Dei aguntur*: quatenus ordinatio nostra in eum finē principaliùs prouenit à Deo, atque operatio-

nes nostræ, etiam liberæ, magis subsunt dominio, & ordinationi diuinis, quàm nostris; quamuis & istis verè proprijssimèq; subsint ad differentiam brutorum. Patet igitur rationem voluntarij simpliciter, & perfectè talem solis actibus hominis propriè humanis conuenire. Vt innotescat eandem ijsdem omnibus ità conuenire, vt esse penitus inuoluntarij nequaquam possint, oportet exponere rationem inuoluntarij.

Art.4. Inuoluntarium autem, cum sit oppositum voluntario, ex huius explicatione iam data facilè declaratur per rationem contrariā; sufficit nimirum, & requiritur ad conceptum operationis inuoluntariæ, seu non voluntariæ, vt vel non sit ab intrinseco, sed adæquatè existat vi causæ extrinsecæ; vel non procedat à cognitione finis, in quem dirigitur, præsuppositâ in causa, quæ scilicet sit eius subiectum. Vtraque enim ista conditione, vel alterà earum deficiente, perindè deficit voluntarium, atque deficit homo deficiente anima, & corpore, aut alterutro eorum. Quòd si operationi conueniet partim esse ab intrinseco, & partim ab extrinseco, aut partim adesse, & partim abesse cognitionem finis, & obiecti adæquati, circa quod versatur; operatio euadet partim voluntaria, & partim inuoluntaria, dabiturque voluntarium mixtum inuoluntario, ad eum ferè modum, quo in tepido miscentur frigus, & calor. Vnde dubitari minimè potest violentiam, & metum innaturalem, cum proueniant ab extrinseco, & aduersentur inclinationi naturali voluntatis; & concupiscentiam, atque ignorantiam, quæ opponuntur perfectioni cognitionis, quà voluntas dirigitur causare operationem inuoluntariam; omninò quidem, si illam inducant, nulla simul cooperante, vel inclinatione voluntatis, vel cognitione obiecti, aut circumstantiæ; sin minùs, secundum quid, seù mixtè. Manifestum autem est actum propriè humanum existere non posse

nulla

nulla præexistente cognitione, ac proindè neque ex concupiscentia oriri illum posse inducente totalem ignorantiam obiecti; ac demum, neque metum posse esse adæquatum principium alicuius talis actus, nullà cooperante inclinatione agentis ab intrinseco; ac proindè nihil horum inducere posse totalem inuoluntarietatem in actum humanum. Sola igitur superest violentia, de qua circa hoc dubitari possit.

Art.5. Violentum autem deffinit Philosophus semel atque iterum c. illo primo 3. Ethic. Sed maximè sub initium, dicens *Violentum esse, cuius principium est foris, id, quod nihil is, qui agit, aut patitur, confert*. Vndè communiter dicitur, *Violentum esse, quod ab extrinseco prouenit, passo non conferente vim*. Vbi Valentia, Granados, & alij communiter aduertunt, particulas, *nihil confert, non conferente vim*, accipiendas minimè esse purè negatiuè, ità vt is, qui patitur violentiam, indifferenter se habeat, quantum est ex se, ad eam, & ad oppositam actionem. Tunc enim actio esset media inter violentam, & voluntariam, seù naturalem; dicendaque magis esset non voluntaria, seù non naturalis, aut non spontanea, vt pro re simili adnotauit Philosophus eodem in cap. post med. Debet ergò patiens nihil cōferre positiuè, hoc est, reniti, ac intendere impeditionem eius actionis. Vndè si actio sit adæquatè ab extrinseco, & omninò contraria inclinationi subiecti, in quo recipitur, erit adæquatè violenta, atque omninò inuoluntaria, vt si ventus, aut alius potentior aliquò ferat omninò nolentem; aut si aliquis manu penitùs nolentis quemquam percutiat,

Art.6. Si verò actio partim sit ab intrinseco, nec omninò, aut repugnet, aut conformis sit inclinationi agentis, ea erit partim violenta, partim voluntaria, aut naturalis, vt si quis nitentem ire Orientem versus, retrahat versus Occidentem, atque ex vtriusque conatu inuicem sese impedienti, absque plena alterutrius

victo-

victoriâ, subsequatur motus versus meridiem; & is erit voluntarius petenti Orientem, idque magis, vèl minùs, quò plus; aut minùs eò appropinquat: inuoluntarius verò similiter, ac violentus, quatenus indidem recedit: & vice versa respectu trahentis Occidentem versus. Eadem est ratio de volente percutere, idque in faciem, percutiente verò in collo propter violentam alterius resistentiam; percussio enim erit illi voluntaria: quòd verò in collo, erit eidem inuoluntarium, & violentum, & sic de similibus.

Art. 7. Exhibentur autem exempla in actionibus externis. quibus mediatè solùm, ac denominatiuè ab actu interno voluntatis conuenit esse voluntarias; ideòque & ab extrinseco, cōtra inclinationem. seù innatam, seù elicitam prouenire possunt. At verò actus interni voluntatis, immediatè ratione sui sunt voluntarij, ideòque repugnat, vt sint violenti. Quia per se ipsos sunt inclinatio voluntatis respectu sui, & essentialiter præsupponunt voluntatem inclinatam erga se, aut per simplicem complacentiam, aut saltem per cognitionem, aut appetitum innatum. Quando enim aliquid volumus, aut etiam nolumus, & maximè aduersamur, & fugimus; ipsum actum, quo id præstamus, necesse est, vt quadam reflexione velimus, vti docet inter alios Suarez tract. 3. in 1. 2. dist. & alibi pluribus confirmandum est: imò nullius obiecti fuga, & odium existere potest, absque amore indiuiso erga aliquod aliud obiectum. Omne namque malum fugimus & odio habemus ex amore nostri, aut alterius, cui benè volumus. Quapropter omnis actus voluntatis essentialiter est inclinatio ex inclinatione respectu sui, ac proindè repugnat metaphysice, vt actus voluntatis sit violentus.

Art. 8. An verò volitio, aut nolitio à Deo infusa nobis merè passiuè nos habentibus, foret voluntaria, an violenta? Casus est in primis chimæricus; quia in libris de anima ostensum

est, omnibus vniuersaliter actionibus intentionalibus intrinsecè repugnare, vt prouenjant ab extrinseco adæquatè. Quarè in casu posito sequitur vtraque pars contradictionis: nempè eos actus esse, & non esse voluntarios, atque esse, & non esse violentos, si simul adsit in voluntate inclinatio contraria, aut purè innata, aut intentionalis ex cognitione: sicut si supponatur ambulationem nostram prouenire ab extrinseco adæquatè, sequitur nos ambulare, & non trahi; simulque trahi, & non ambulare. Sequitur quidem eos actus fore voluntarios, quia id, quo volumus, quodque proindè simul est volitum, nequit non esse voluntarium; cum cætera omnia voluntaria dicantur denominatiuè ab eiusmodi forma. Omnis autem actus verè afficiens voluntatem, eamque denominans volentem, est eiusmodi forma, vt dictum est. Sequitur rursus non forè voluntarios respectu eius, cui infunderentur; quia non prouenirent ab intrinseco nec penderent ab eius cognitione; atque forè violentos, si insuper aduersarentur appetitui innato recipientis illos, vt si infunderetur odium erga se.

Art.9. Deinde, si cui placebit pronunciare præcisè ex vi hypothesis, nulla habita ratione naturæ extremorum, inter quæ ipsa versatur, oportebit, vt dicat eos actus forè solum non voluntarios, aut violentos; quia hæc sola pars cōclusa modò est ex vi hypothesis, nec potest opposita concludi nisi ex conditione materiæ. Vtcunq. autem res se se habeat, licet de ea disputent fusè Valentia q.1.punt.3. & non nulli alij, nullius profecto momenti est pro directione actuum humanorum, quam intendimus, vt patet. Eiusdem ferè generis est, quod communiter docetur, voluntatem posse pati simpliciter violentiam negatiuam circa actus internos, quatenus inclinata, vel determinatè ad vnum actū necessarium, vel indeterminatè ad alterum ex duobus liberis, potest diuinitùs impediri, quominus

minùs operetur. Certum namque est, in eo casu, negationem actus, tum prioris seorsim, tum vtriusque posterioris coniunctim, fore violentam, non secus, ac violenta est cuilibet substantiæ negatio accidentium aliorum sibi connaturalium. Quidquid autem sit de negationibus actuum, & de hypothesi impossibili, concluditur ex dictis absolute actus ipsos humanos immediatè violentos, aut penitùs inuoluntarios nequaquam esse posse. Omnes igitur, & soli actus hominis: qui sunt humani, sunt ex suo conceptu voluntarij voluntarietate perfectè, & simpliciter tali.

Ad 1. Quædam actiones causarum secundarũ dicuntur ab intrinseco, ad differentiam earum actionum quæ sunt adæquatè ab extrinseco. Hæc autem differentia conuenit maximè actibus humanis. Quia licet sint inadæquatè ab extrinseco ex parte causæ physicè efficientis, & ex parte motiui; habent tamen etiam ab intrinseco directionem ad suum finem; quam aliæ actiones, tametsi alioquin sint ab intrinseco, habent ab extrinseco tantùm. In omni porrò actione habetur præcipua ratio de fine, & ex habitudine ad ipsum desumitur potissimùm denominatio.

Ad 2. Voluntas humana quatenus subordinata Deo, potest ab eo moueri in quamcumque partem ex ijs, ad quas est indifferens ex sua natura. Potest etiam violentiam pati per potentiam eius, sicut patiuntur damnati, quoad omnes suas potentias. Cæterum fieri non potest, vt voluntas per volitionem, & per actum sibi placentem, moueatur, & determinetur ad aliquid purè displicens, ac violentum, & ad quod nullam vim conferat passum, seu ipsa voluntas; sicut fieri non potest, vt denigretur aliquid per albedinem, vtque intellectus ignoret, aut obliuiscatur per actum scientificum, aut memoratiuum; ac demum, vt potentia purè physica sit violenta, aut præternaturalis respectu subiecti, cuius est perfectiua. Omnis autem actus hu-

manus essentialiter est volitio sui, & placet per se ipsum voluntati, cui inest, & similiter facit, vt ei placeat, sitque volitum ab eadem, obiectum aliquod, circa quod ipse versatur, vt dictum est. Peccat itaque obiectio in hoc, quòd ex vna parte consideret potentiam Dei secundum suã totam latitudinem, & ex alia parte restringit effectum potentiæ diuinæ ad determinatum genus repugnans intentioni eiusdem obiectionis, Ad confirmationem patet ex his, & ex art. 8.

Ad 3. Iam concessa est brutis ratio voluntarij imperfecti, & secundum quid, neque quid quam aliud ibi comprobatur. Quod dicitur de voluntario absque omni actu, expedietur q. 15. vbi ostendetur repugnare puram omissionem liberam, & consequenter imputationem moralem, ac culpabilem alicuius euentus absque omni prorsus actu positiuo libero; Atque ideò submersionem Nauis imputari ei, qui vitare tenebatur, propter actum positiuum liberum, circa aliquod aliud obiectum, incompossibilem ex sua natura cum actu positiuo, quo vitari potuit, ac debuit submersio; Esto, id contingere possit absque vllo actu terminato ad submersionem. Quod solum intendit D. Thomas, vt ibidem dicetur.

QV Æ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum metus causet inuoluntarium simpliciter, vel saltem secundum quid?

VIDETVR causare inuoluntariũ simpliciter. 1. Quia Philosophus c. illo l. 3. Ethic. dicit projicientem merces in mare metu naufragij, simpliciter inuitum id facere, nec simpliciter sponte & D. Thomas 2. 2. q. 142 art. 3. docet, quæ fiunt ex metu, non esse simpliciter voluntaria. Ergo metus causat inuoluntarium simpliciter.

2. Si nulla actio ex metu esset simpliciter inuoluntaria; nullus contractus, nullaque rerum traditio certa ex qualicunque metu, esset nulla, ob defectum voluntarietatis; quod tamen multis exemplis demonstratur esse falsum. Patet sequela. Quia quod est simpliciter voluntarium, nequit esse nullum simpliciter ob defectum voluntarij. Omne nimirum tale, vel tale simpliciter, fundatur in tali, vel tali non tantum secundum quid, sed simpliciter.

3. Violentia opponitur voluntario simpliciter, vt dictum est suprà. Aliquis autem metus incutitur per violentiam, vt patet. Ergò aliquis metus opponitur voluntario simpliciter.

Ex alia parte videtur nullum metum posse esse causam inuoluntarij; nequidem secundum quid. 1 Quia obseruantia legis diuinæ orta, ex metu pœnarum inferni, nullatenus propterea ab vllo censetur inuoluntaria, sed perfectissimè voluntaria. Et confirmatur. Quia signum inuoluntarij interuenientis in operatione aliqua

est tristitia ad eam subsequens, vti subsequitur ad proiectionem mercium. Quod signum tradit Philosop; in eodem c. 1. Operatio autem honesta, aut vtilis, aut lucratiua, orta ex metu præsertim iustè illato non est materia vllius tristitiæ, sed potius gaudij, & quidem puri, & æterni, quæ honesta est. Ergò non est de ratione metus, vt causet inuoluntarium, vel etiam secundum quid.

2. Metus inhæret voluntàti, eamque inclinat ad operationem, quæ procedit ab ipso, nec est de ratione eius, vt tollat perfectissimam cognitionem finis, & circumstantiarum. Ergò actio procedens ex metu, procedit eatenus ab intrinseco, potestque simul procedere ex perfecta cognitione singulorum, in quibus ipsa versatur. Ergò non est de conceptu metus, vt tollat, aut minuat vlla ex parte voluntarium, aut aliquod ex requisitis ad perfectam rationem voluntarij.

3. Metus ipse est maximè volũtarius; quia est ab intrinseco, cum sit actus vitalis, & ex cognitione, cum oriatur ex malo, vt apprehenso perfectè. Voluntarium autem secundum se, non potest esse ratio, & causa inuoluntarij secundũ quid, seu voluntarij imperfecti.

4. Quod hìc & nunc, atque inspectis omnibus circumstantijs est volitum absolutè, non euadit inuoluntarium, vel etiam secundum quid, ex eo præcisè, quia illud ipsum fuit nolitum priùs, aut quia secundum se præcisè non est volibile, vt patet in ambulatione ex. gr. volita nunc propter nouam circumstantiam, & priùs nolita; atque in potione amara sumpta propter sanitatem, cum secundum se præcisè non sit appetibilis. Quod autem fit ex metu, est volitum hìc & nunc, licet antecedenter esset nolitum, nec sit appetibile secundum se præcisè. Ergò quod fit ex metu, non ob id præcisè est inuoluntarium, vel etiam secundum quid.

Art. 1.

Art.1. Respondetur. Metus est fuga mali futuri difficulter vitabilis, vt docet D. Thomas infrà q.41.art.2. Vndè illa dicuntur fieri ex metu, quæ fiunt, vt vitetur malum aliquod imminens difficilè vitatu. Communis, & vera sententia est, operationes, quæ procedunt ex metu esse voluntarias simpliciter, inuoluntarias autem secundum quid. Ità docet D. Thom. q.6. art.6. ex Philosopho, & Gregorio Nysseno, quibus consentiunt omnes alij. Verùm pro clariori intelligentia mentis eorum, & pro expedita difficultatum solutione, distinguendus est duplex metus; alius per se, alius per accidens afficiens humanam naturam. Metus per se afficiens est, qui prouenit à causis quarum existentia etiam quatenus inferentium illum, est conformis appetitui nostro innato, & cui proindè metui, magis cuiusque interest, subesse, quàm non subesse. Huiusmodi est metus pœnarum inferni imminens ex peccato; metus amittendi salutem corporis imminens ex excessu cibi, & aliorum similium; metus sistendi beneficentiam amici imminens ex ingratitudine, & quicunque alius similis ortus ex lege quàlibet iusta, seù naturali, seù liberà, diuinà, aut humanà impellente, iuxtà normam rectæ rationis, ad operationes honestas, participes, ac operatrices beatitudinis perfectæ, ideòque cæteris omnibus excellentiores, ac vtiliores. Metus procedens ex istiusmodi causis nullam nequidem secundum quid inducit per se inuoluntarietatem in actum, & operationem externam, cuius est causa. Quin imò est perfectè voluntarius, & causa perfecti voluntarij absque vlla admixtione inuoluntarij. Quia scilicet est inclinatio elicita conformis absolutè, & non tantum ex suppositione accidentali, respectu inclinationis naturalis subiecti, cui inest, nec impedit, aut minuit cognitionem prælucentem sibi, aut actui subsequenti: Ideòque tum ipse, tum actus subsequens sunt omninò ab intrinseco, & cum perfecta cognitione.

Art. 2. Licet autem hunc metum prouiderit nobis Deus, vt præualeat aduersus inclinationes alias nocentes moribus, aut propriæ conseruationi, ideòque actus ex illo procedens sit contra inclinationem aliquam subiecti, in quo est: id tamen voluntarietati, ideò nulla ex parte nocet per se, quatenus est voluntarietas humana, quia nulla nobis inest inclinatio saltem per se ad simultatem bonorum, in quæ tendit vtraque illa inclinatio, atque appetitu innato postulat humana natura, vt circa eiusmodi obiecta operetur libere; idest, cùm duplici inclinatione inuicem contraria ad bona mutuò incompossibilia. Quapropter actus procedens ex metu explicato, est conformis inclinationi humanæ naturæ, non solùm quoad substantiam, sed etiã quoad modum superandi inclinationem aliam resistentem, ratione cuius euadit lucrosa electio, qua superatur talis inclinatio; Vnde si quis eam electionem vellet dicere aliqua ex parte inuoluntariam, deberet consequenter cognoscere voluntariam inuoluntarietatem, quatenus talem formaliter. Qui tamen foret abusus locutionis inter Scholasticos nunquam sic, aut æquiualenter locutos, & exorbitaret à definitione voluntarij postulante quidẽ, vt operatio sit conformis inclinationi causæ, eiusdemq; simul subiecti, non tamen vt nulli alij eiusdẽ inclinationi resistat; præsertim nõ prædominanti, nec præcipuæ.

Art. 3. Metus per accidens afficiens humanã naturam, est qui procedit à causis, quarum existentia saltem quatenus proximè potentium inferre illum, aduersatur appetitui nostro innato, estque proinde talis, cui absolutè sit melius non subesse; cuiusmodi est metus nauigantis conceptus visis tẽpestate, aut pirata imminẽtibus vitæ, si non proijciantur, aut tradantur merces, atque inducens necessitatem vagam amittendi alterutrum ex duobus bonis, quæ simultaneè retineri poterant honestè ex natura rei. Actus voluntatis eliciti impellente isto metu innaturali sunt par-

partim voluntarij, & partim inuoluntarij, cum magno tamen excessu voluntarietatis; ideòque iuxta communem sententiam initio prælatam dicuntur simpliciter voluntarij, & secundum quid tantùm inuoluntarij.

Art. 4. Ratio D. Thomæ est. Quia operans ex metu vult suam operationem prout est hic, & nunc à parte rei, & quòd nolit eandem, oritur ex natura obiecti secundum se, & præscindendo à circumstantijs præsentibus, sub qua ratione non est à parte rei, sed solùm in apprehensione intellectus. Vnumquodque autem est simpliciter, prout est à parte rei, & solùm secundum quid, prout est præcisè in apprehensione; ac propterea mouet illud magis, quàm istud, estq; magis volitum. Confirmatur. Quia motiuum volendi in eiusmodi casibus est maius, quàm motiuum nolendi. Eligitur enim minus malum aduersus inclinationem in bonum minus, vt vitetur malum maius, ob inclinationem in bonum maius; vt patet in proiectione mercium pro conseruatione vitæ. Accedit, quòd communiter, & verissime dicitur; quidquid volumus magis volumus, quàm nolumus. Quod autem volumus ex metu etiam innaturali, verè volumus efficaciter.

Art. 5. Et hæc quidem adstruunt clarè excessum voluntarietatis. Adesse autem aliquam inuoluntarietatem simul, patet. Primò, Quia actus procedēs ex metu isto violento ducit originem ex violentia propriè tali, vt patet. Quia necessitas amittendi alterum ex duobus bonis, quæ simul haberi possunt ex natura rei, habebanturque honestè, est omninò violenta. Dictum autem est, violentiam & operationem ortam ex illa sola esse omninò inuoluntarias. Ergò actus voluntatis procedens ex tali metu est inuoluntarius, saltem mediatè, & per denominationem extrinsecam, licet intrinsecè, & immediatè sit absolutè voluntarius. Deindè actus, ad quem iste metus impellit, fit contra aliam inclinatio-

tionem in bonum, quod amittitur ratione metus; & non est absolutè iuxta naturam, & appetitum innatum voluntatis, vt operetur contra eam inclinationem, atque ideo actus ille non est ab intrinseco quoad modum, quo elicitur etiam quando operatio est honesta, & per se appetibilis. Denique ad volitionem efficacem, Ex. gr. proijciendi merces, atque ad ipsam proiectionem consequitur naturaliter tristitia, cuius subsecutionem notatum iam est ex Philosopho esse signum inuoluntarietatis permixtæ volitioni antecedenti. Ea igitur, quæ fiunt ex metu innaturali, & violento, sunt voluntaria simpliciter, simulque inuoluntaria secundum quid.

Ad 5. Particula *simpliciter* aliquando ponitur solùm ad excludendam suppositionem accidẽtalem; àtque hoc modo vsurpatur à Philosopho eo in loco; quatenus, qui proijcit merces, nollet eas proijcere, si non adesset periculum naufragij; quæ est suppositio accidentalis. Nonnunquam verò vsurpatur, prout denotat simplicitatem rei significatæ per nomen, cui adiungitur, cum exclusione totius contrarij; atque hoc pacto vsurpatur à D. Thoma in illo art. 3. vt patet ex aduersatiua, *sed mixta*, quam adiungit, postquam dixit non esse eiusmodi, simpliciter voluntaria. Communiter autem adhibetur eadem particula ad significandum in permixtione, seu coniunctione contrariorum, id præualere, cui ipsa adiungitur, vt cum dicitur de Æthiope, esse simpliciter nigrum, & album secundum quid, propter nigredinem toto corpore diffusam præter dentes, & partem oculorum; atque hoc sensu loquuntur D. Thomas in præsenti, & cæteri omnes. Vndè patet nullam esse discordiam realem in locis citatis, aut communis sententiæ cum Philosopo, & D. Thoma.

Ad 2. Contractus, & quælibet aliæ actiones, quæ ad sui valorem, & subsistentiam, aut denominationem aliquam intrinsecã, aut extrinsecã, exigunt solam voluntarietatẽ simpliciter, tametsi

etsi admisceatur inuoluntarium aliquod, nunquam possunt irritari ratione vllius metus, aut quoquomodo excidere ab ea conditione, cuius forent, si non procederent ex metu. Irritantur, verò, & excidunt à conditione alioquin sibi cõueniente, quæ postulant, & quatenus postulant purum voluntarium impermixtum inuoluntario, quod patet claré ex dictis. Quod enim est secundum quid sub vna consideratione, sub alia consideratione potest esse simpliciter, maxime in ijs, quæ àrbitraria sunt, & dependent ex lege, & voluntate legislatoris. Quinam autem contractus, & quænam actiones, & sub qua ratione postulent purum voluntarium, aut permittant mixtionem inuoluntarij, siuè ex natura rei, siuè ex lege libera diuina, aut humana, dependet ex principijs, de peccatis, merito, voto, contractibus in genere, & in specie; quorum consideratio non est huius loci, neque commodè, aut vtiliter hìc inseri potest, vt semel, atq; iterum aduertunt Suarez, & Vasquez in præsenti.

Ad 2. Violenta quidem est innaturalis suppositio mali imminentis, seù innaturalis imminentia mali; cæterum eà supposità est connaturalis, & verè volita, atque absolutè placens fuga, seù metus eiusmodi mali, nec non electio mali minoris ad vitandum malum maius. Vndè vtraque est voluntaria simpliciter.

Ad 1. In contrarium constat ex diuisione metus exposita art. 1. & 3. Procedit enim de metu absolutè connaturali humanæ naturæ, eidemque vtili nulla facta suppositione violenta, & de quo minimè agunt auctores in præsenti, vt patet, inter alia, ex exemplis doctrinæ, quæ semper producuntur de metu innaturali, & ex causis violentis suborto. Quarè conceditur totum cum Vasquez, & alijs.

Ad 2. Conceditur simpliciter totum de metu connaturali. Violentus enim tametsi inhæreat voluntati, & eam inclinet: inhæret tamen

renitenti, & inclinat auersam, cum displicentia quadam de existentia sui ipsius, & effectus deindè subsecuturi, ideòque continet, & parit voluntarium mixtum inuoluntario.

Ad 3. Metus violentus ob eandem rationem non est omninò voluntarius. ob quam non est omninò voluntaria operatio deindè subsequens. Quia videlicet ortum ducit ex violentia, vt nuper dicebatur, & ità fugit à malo maiori hìc & nunc imminenti, atque inclinat pro eo vitando ad malum minus, vt simul retineat displicentiã aduersus istud ipsum malum minus, secundum statum rerum præapprehensum, vt absolutè possibilem, & conuenientem absolutè respectu appetitus tum sensitiui, tum rationalis.

Ad 4. Quæ fiunt ex metu innaturali, & inducto per violentam impressionem causarum, non dicuntur voluntaria secundum quid præcisè, quia præcessit eorum nolitio, vel quia secundum se non sunt appetibilia; sed quia in sensu composito volitionis efficacis eorum; retinetur displicentia aduersus dispositionem causarum, quæ compellunt ad efficiendum ea, & ad faciendam iacturam, quam nollet pati, & quam secundum se odio habet, qui proijcit merces ob tempestatem, vel piratas; idemque dicitur de omnibus similibus. Quæ doctrina simul cum præcedentibus apparebit illustriùs ex dicendis in q. sequen.

QVAESTIO IX.

Vtrum concupiſcentia cauſet inuoluntarium, aut diminutionem voluntarij?

VIDETVR vtrumque cauſare. 1. Quia, vt arguit, Lorca, concupiſcentia, vt plurimùm pugnat contra inclinationem actualem honeſtam voluntatis, eaque proindè renitente, & admiſcente inuoluntarium, eliciatur actus conformis concupiſcentiæ, neceſſe eſt; multò verò magis, qui eſt eidem diſconformis.

2. Concupiſcentia in ordine ad ſuum finem iniungit executionem mediorum aduerſantium ſecundum ſe inclinationi naturali hominis, & quæ abſolutè nemo vellet perferre; vt cum pro ſumenda vindicta, aut perpetrando furto, aditur vitæ diſcrimen, perferuntur diu arma grauia, aguntur noctes inſomnes, ſiunt magni ſumptus. Confirmatur, quia non alia de cauſa metus, qui eſt quædam paſſio, ſicut concupiſcentia, agnoſcitur inductiuus inuoluntarij, vt dictum eſt nuper.

3. Vt Arguit Vaſquez: Concupiſcentia minuit libertatem actus, vti docet apertè D. Thomas in q.6. art.7. & nemo negat, aut negare poteſt: cum experientia conſtet ex vehementia huius paſſionis aliquando interire libertatem totaliter: liberum autem eſt ſpecies voluntarij, & contingere nequit diminutio, aut perfectio ſpeciei, abſque ſimili perfectione, aut diminutione generis, quod videlicet continet in ſe formaliter conceptus, ſpecificus adæquatè ſumptus.

4. Licet concupiſcentia inſit homini connaturaliter, nec immittatur violenter à cauſa extrinſeca, deberet nihilominus ex natura ſua ſubeſſe imperio, & dictamini rectæ rationis. Vndè cum illi dominatur inuerſo ordine, violentiã quandam patitur voluntas quatenus operans contra inclinationem elicitam ex dictamine rectæ rationis. Quò reſpexit D. Thomas infrà q.77. art.6. dicens; *Quantò ratio, & voluntas ex ſe aliquid agunt non ex impulſu paſſionis, magis eſt voluntarium, & in nobis exiſtens: & ſecundum hoc paſſio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium.*

5. Quod minuit cognitionem, minuit vtique voluntarium conſtitutum per illam. Concupiſcentia autem minuit cognitionem, quia vt dicit Philoſ.6, Ethic. c.5. Delectatio, ſeu cõcupiſcentia delectationis, corrumpit æſtimationẽ prudentiæ.

Art. 1. Reſpondetur. Communis proculdubio, paucis exceptis, eademque vera ſententia negat concupiſcentiam cauſare vllum inuoluntarium ſimpliciter, vel ſecundum quid, aut minuere voluntarium; imò affirmat augere: Et quidem hanc eſſe communem ſententiam teſtatur Suarez tract.2. In 1.2. diſput.& ſect,3.& colligitur efficaciter, quia poſt aſſertam mixtionem inuoluntarij ſecundum quid in ijs, quæ ſunt ex metu, affirmant immediatè Theologi voluntarium in ijs, quæ ſunt ex concupiſcentia, abſque vlla inuoluntarij, aut non voluntarij inſinuatione, & reddita ratione diſparitatis quoad hoc inter metum, & concupiſcentiam. De Philoſopho id in dubium reuocari minimè poteſt. Quia c. illo 1.3. Ethic. poſt doctrinam de metu ſuperiùs traditam, lòquens immediatè de concupiſcentia ſubiungit ſic: *Si quis iucunda* (ideſt, quæ ſunt ex concupiſcentia) *violenta* (ideſt, inuoluntaria, aut minùs voluntaria) *eſſe dixerit; eius ſententia erit violenta*: ideſt, cognitioni experimentali omnibus naturaliter inſitæ contraria.

Art. 2. Probat hoc Philoſophus efficaciter

tri-

triplici ratione. Primùm quia *Omnes omnia agũt gratia iucundorum.* Vbi supponit vt indubitatum, non omnes omnia agere inuoluntariè, aut minùs voluntariè, nec motiuo vniuersali volendi inesse oppositionem vllam cum voluntarietate. Deindè quia, *Qui violenti, inuitique agunt, hi cũ dolore*; vti superius dicebatur de agentibus ex metu; *Qui autem ob iucundum* (idest, ex concupiscentia) *hi voluntariè operantur*, idest, absque eo dolore, & inuoluntarietate, quæ prioribus attributæ sunt. Hæc nimirum est vis aduersatiuæ, quam adhibet Philosophus, & præterea experientià liquet, vt aduertit præsertim Suarez, circa hunc locum, quæ ex concupiscentia peraguntur, peragi cum delectatione, nulloque pro tunc existente dolore, aut tristitia. Demum, *Quia absurdum est non voluntaria dicere, ea quorum teneri cupiditate decet*, cùm potiùs ea sint summè voluntaria, vt expressit viuidè Regiùs Psaltes, cum dixit. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* *Ridiculum verò fore*, contra ponit ibidem Philoso: *mala reddi inuoluntaria ab ipsa concupiscentia, non autem honesta, & externa quempiam accusare, cum turpiter agit.*

Art.3. D. Thomas non solùm diuerso, imò, & opposito modo loquitur de metu, & concupiscentia dicens art.6. Quæ sunt ex metu, esse secundum quid inuoluntaria, & subiungens immediatè art.7, quod *concupiscentia non causet inuoluntariũ, sed magis faciat aliquid voluntariũ.* Verùm etiã ibidem ad secundũ confert inuicem expresſè vtramque passionem his verbis. *Quod per metum agitur, quodammodo est inuoluntarium; sed quod per concupiscentiam agitur, nullo modo.* Id autem demonstrat ibidem optima ratione; Quia sicut in eo, qui agit per metum, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur secundum se consideratum. At in eo, qui agit per concupiscentiam, non manet prior voluntas repugnans ei, quod agitur, sed mutatur ad volendum id, quod priùs repudiabat. Quarè qui agit ex concupiscen-

ſcentia, non operatur cum renitentia contra inclinationem coexiſtentem operationi, eique repugnantem pro priori naturæ; ſicut qui agit ex metu: ac proindè operatio ex concupiſcentia nullatenus eſt inuoluntaria, aut minùs voluntaria præcisè, quia eſt ex concupiſcentia.

Art. 4. Doctrina hæc reddetur clarior ac firmior obſeruata, & applicata ad propoſitum multiplici differentia inter paſſionem concupiſcentiæ, & timoris, intelligendo nomine concupiſcentiæ omnem motum appetitus ſenſitiui diſtinctum à timore. Differunt itaque primò, quòd ideò dicitur concupiſcentia quidem inclinare ad bonum, metus verò ad malum; Quia illa, quãtum eſt de ſe præcisè, tendit ad promotionem boni præexiſtentis, vel quoad entitatem, vel quoad ſtatum, & conditionem eius: iſte verò è conuerſo, quantum eſt de ſe præcisè, tendit ad diminutionem boni præexiſtentis modo proportionaliter contrario, vtpotè inducens iacturam quoad minorem eius partem, vt vitetur iactura quoad maiorem partem. Hinc rurſus differunt conſequenter, quatenus operatio orta ex concupiſcentia nunquam poteſt eſſe diſplicens voluntati, nec volita cum renitentia directè, & immediatè. Quia promotio boni eſt formaliter bona, atque, de bono, vt bono, repugnat vt concipiatur diſplicentia, ac renitentia formaliter, & directè. Solùm igitur diſplicere poteſt indirectè, & materialiter, propter incompoſſibilitatem cum operatione meliori, ſeù magis promotiua boni. Operatio autem ex metu poteſt eſſe diſplicens, & volita cum renitentia directè & formaliter; quia eſt illatiua mali, & nocens ratione ſui: atque malum, & nociuum, eſt obiectum diſplicentiæ, ac renitentiæ formaliter, ac directè.

Art. 5. Tertia differentia eſt, operantem liberè ex concupiſcentia eo ipſo operari eligendo inter duo bona inæqualia, quorum vtrilibet ſola inſit malitia excludendi alterum. Quæ malitia

cia nullius est materia doloris, ac pœnitētiæ; quia carentia boni simpliciter impossibilis, quale est simultas eorum bonorum, tam non est materia doloris, quàm non est materia desiderij idem bonum. Quis enim appetat chimæram, aut doleat de non habitâ? Accidentalem fatuitatem non pensifacio, & quiuis facilè videt consequentiam pro re præsenti. Non longè aliter se habet, qui operatur liberè ex metu connaturali, & qui inest homini per se. Quia hic metus est prouisus à natura, vt eo iuuante promoueatur homo in bonum, impellitque proindè ad actiones, quas oporteret exequi etiam secluso metu. Operans autem liberè ex metu violento operatur eligendo inter duo mala, quæ ex natura rei simultaneè vitari poterant; ideòque electionem minoris mali inde subortam solùm ex suppositione accidentali, & violenta, facere oportet; Eaque de causa displicet absolutè, & secundum se. Patet ergò clarissime ratio, ob quā operetur dolenter, & mixto inuoluntario, qui agit ex metu violento: Iucundè verò, & absq; vlla inuoluntarietate, qui ex concupiscentia, & non valdè dissimiliter, qui ex metu cōnaturali.

Art. 6. Quando autem vehementia concupiscentiæ extinguit libertatem, aufertur quidem vna species voluntarij, sed suppletur per aliam. Quia voluntarium, vt sic, est genus respectu liberi, & necessarij, atque ratio generica saluatur tota in qualibet sua specie; de quo pluscu-lum dicetur infrà. Quapropter quando ex concupiscentia minuitur liberum, non propterea necesse est minui voluntarium. Quia libertas minuitur per augmentum necessitatis, quæ est altera species voluntarij. Non autem minuitur ratio generica, quando minuitur vna species per alteram eiusdem speciem. Nihilominus, quia aliquoties voluntarium vsurpatur pro libero, quod solum, respectu viatoris, est voluntarium perfectum, ideò D. Thom. dixit, per concupiscentiam minui peccatum, quia minuitur voluntarium,

& P.

& P. Vasquez minui voluntarium perfectum, licet non imperfectum, sumpto voluntario pro libero, quæ est species voluntarij, de qua sol agere instituit D. Thomas in hac parte Theologiæ. Iam de ignorantia orta ex concupiscentia dicetur in q. sequen. Interim præmitto illam eo ipso placere ignoranti; ideòque nihil absolute nocere voluntarietati.

Art. 7. Obseruandum est postremò, concupiscentiam, & metum sæpè collatis viribus exsequi operationes suas; vt cum ex affectu vindictæ intenditur homicidium, & ex metu periculi intercedentis in eo perpetrando, perferuntur incommoda armorum, sumptuum, & similia. Concupiscentia enim ex se solum fertur ad iucundum, & vtile. Cetera verò, quæ permiscētur cū molestia, proueniunt aliundè, quod attinet ad causam immediatam, licet mediatè prouenire etiam ex concupiscentia possint. Vndè ex concupiscentia, dum adest eius operatio, sola prouenit immediatè delectatio: Dolor verò, & violentia prouenit aliundè, quod attinet ad causam immediatam. Quòd autem concupiscentiæ succūbat ratio superior, est quidem violentia quædam moralis: Cæterum physicè est delectatio de præsenti, tametsi posteà dolorem sæpè pariat, & summam tristitiam cum vera violentia coniunctam. Indubitatum nimirum est, ex concupiscentia prouenire sæpè inuoluntarium mediatè, saltem partialiter propter ignorantiam, pœnas peccatorum, arduitatem periculosam mediorum requisitorum ad finem intentum, quæ ducunt originem ex concupiscentia. Ex his omnibus liquet satis ad obiecta; nullamque inuoluntarietatem, aut voluntarij diminutionem prouenire posse ex concupiscentia immediatè, sed potiùs augmentum voluntarij.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Vtrum ignorantia causet inuoluntarium?

VIDETVR non causare. 1. *Quia inuoluntarium veniam meretur*, vt habetur ex Damasc. li. 2. Orthod. fid. c. 24, idest, opus alioquin malum redditur minus malum, aut non malum, ideòque veniabile ratione inuoluntarij: non autem redditur tale ratione ignorantiæ. Quia vt dicitur 1. ad Corinth. 14. 34. *Si quis ignorat, ignorabitur*; idest. non condonabitur ei, sed punietur; ea nimirum pœnâ, quæ indicitur Matth. 25. 12. *Amen dico vobis: nescio vos*. Ergò ignorantia non est caosa inuoluntarij.

2. *Omnis peccans est ignorans*, vt communiter dicitur verissimè, ideòque omne peccatum est cum ignorantia, & ex ignorantia, iuxta illud Prouerb. 14; 24. *Errant, qui operantur malum*. Et tamen non omnis peccans agit inuitus, nec omne peccatum est inuoluntarium, dicente August. lib. 1. retract. c. 13. *Omne peccatum esse voluntarium*. Imò vtrumque hoc conuenit peccato, quà peccatum est, quia quatenus tale formaliter, & est voluntarium, & ex ignorantia. Ergo ignorantia non est ratio inuoluntarij, sed potius est ratio voluntarij.

3. *Inuoluntarium est cum tristitia*, vt dictum est suprà ex Philosopho, & docetur à Damasc. c. illo 24. Non autem omne, quod fit cum ignorantia, aut ex ignorantia, propterea fit cum tristitia aut parit tristitiam; vt apparet in eo, qui occidit hostem putans esse ceruum; nec non in eo, qui comedit carnem feria sexta putans esse

quin-

quintam, & præcisè quia putauit esse quintam. Ergò neque ignorantia comitans opus, neque quæ est causa operis, est causa inuoluntarij.

Art. 1. Respondetur. Ignorantia comparata cum voluntate, & actus voluntatis, diuiditur communiter in antecedentem, comitantem, & consequentem. Antecedens dicitur, quæ positiuè, & negatiuè talis est; quæ scilicet ità antecedit aliquem actum voluntatis, tanquam causa, seu conditio requisita ad eius existentiam, vt nullum alium actum voluntatis præsupponat, per quem sit volita, & inducta implicitè, vel explicitè, directè, vel indirectè. Veluti siquis occidat Patrem, putans esse leonem, & non occisurus si sciuisset esse Patrem; eòque ignorans nulla præexistente volitione ignorandi, seu formali, seù virtuali. Consequens est, quæ ita est causa vnius actus voluntatis, seù conditio hìc & nunc requisita ad existentiam eius, vt simul præsupponat alium actum voluntatis, per quem, vel intendatur, vel permittatur, cum potuisset impediri per actum contrarium: vt cum quis comedit carnem feria sexta cum ignorantia præcepti vetantis id pro eo die, & comestio futura non fuisset, si sciretur distinctè præceptum pro eo die determinatè vrgere, eaque ignorantia, vel formaliter intenta est, vel omissa sciendi diligētia, cuius adhibendæ potestatem proximam præhabuit comedens. Comitans dicitur, quà præexistente ità existit actus voluntatis, vt non minùs exstiturus foret, eàdem non præexistente; vt cum quis in venatione occidit hostem, putans esse leonem, occisurus similiter si sciuisset esse hostem.

Art. 2. Ignorantia comitans nullum causat inuoluntarium, seù violentum, aut inuitum: quia qui cum illa operatur, non agit contra suā præsentem inclinationem absolutè præeminentem: siquidem ità est animo comparatus, vt idē prorsus facturus esset præexistente cognitione depulsiua eius ignorantiæ; causat tamen non

volun-

voluntarium, quoad obiectum seù circumstantiam ignoratam: quia nihil volitum, quin præcognitum; & dictum prætereà est cognitionē esse de ratione voluntarij. Vndè eatenùs necesse est abesse voluntariū, quatenus abest cognitio.

Art.3. Ignorantia antecedens causat non solùm non voluntarium, sed etiam inuoluntarium simpliciter, & absolutè quoad obiectum, seu circumstantiam ignoratam. Et quidem non voluntarium causat eadem ratione, qua ignorantia comitans: Inuoluntarium verò, quia operans cum tali ignorantia, agit contra præsentem suam inclinationem absolutè præminentem; siquidem ità affectus est, vt si habuisset cognitionem contrariam illi ignorantiæ, nullatenus facturus fuisset quod fecit, atque ignorantiam depulisset, si suspicatus fuisset ad illam consequi posse eandem determinatè actionem, quæ de facto executioni mandata est. Quapropter rectè dixit Philosophus, ad eiusmodi actionem sequi dolorem, qui est certissimum signum inuoluntarij; consequi, inquam, si detegatur ignorantia, dum perseuerat eadem animi dispositio, quæ præiuit ad actionem.

Art.4. Ignorantia consequens causat inuoluntarium tantùm secundum quid quoad id, quod ignoratur; quia cum hæc ignorantia sit voluntaria, quod ad illam consequitur, non potest non esse simpliciter voluntarium, seù magis voluntarium, quàm inuoluntarium, aut non voluntarium. Qui enim vult, aut permittit ignorantiam, cum præsensione euentus futuri, eo ipso vult, aut permittit, tanquam in causa, effectus indè consecutos. Verùm quia talis supponitur esse dispositio, & inclinatio in operante, vt si de facto haberet cognitionem depulsiuam eius ignorantiæ, abstineret ab opere, quod exercet; propterea interuenit inuoluntarium secundum quid, quatenus operatio est directè contraria alicui præuiæ inclinationi agentis. Licet autem ignorantia consequens communiter vsurpetur

sensu

sensu explicato, quia intendens, aut permittens ignorantiam circa opus subsequens, plerumque id facit, ne per cognitionem contrariam impediatur ab opere; ideòque ignorantia est causa operis: fieri tamen absolutè potest, vt ignorantia consequens ad vnum actum voluntatis sit comitans respectu alterius actus ad illam consequentis, & tunc actus iste consequens non erit inuoluntarius secundum quid, sed tantùm secundum quid non voluntarius iuxtà dicta art. 2.

Art. 5. Circa causalitatem ignorantiæ, obseruandum est. Primò Ignorantiam, cum sit pura priuatio, non posse causare positiuè: Solùm itaque causat negatiuè, tanquam remouens prohibens; quatenus impedit cognitionem, quæ si adesset, excluderet operationem voluntatis, quæ datur de facto. Obseruandum deindè est, antecessionem istius qualiscunque causalitatis propriam, eatenus conuenire ignorantiæ, quatenus conuenit cognitioni dirigenti de facto actum voluntatis, & incompossibili cum ea cognitione, quæ negatur per ignorantiam; nempe pura, seu negatio, seù priuatio nullius est capax antecessionis, aut causalitatis, quæ sunt quid positiuum, quatenus distinguitur ab omni ente positiuo. Examen autem prædicati constituentis formaliter antecessionem, seu causalitatem cognitionis positiuè dirigentis actum voluntatis, aut quoquo modo pertinentis ad actum primũ proximum, respectu ipsius, est vniuersalius, quàm id, de quo agitur. Comparatio verò ignorantiæ cum peccato, & excusatione ab illo, est multo minùs vniuersalis. Quapropter satius est ab vtroque abstinere in præsenti, præsertim cum absque his explicata iam sit clarissimè tota doctrina directè pertinens ad voluntarium, & inuoluntarium, atque non voluntarium resultans ex ignorantia.

Art. 6. Hìc nihilominus omitti minimè debet, quod iam olim communiter dictum, tanquam ex se clarissimum, vocatum est primùm in examen

mea à P. Suarez, atque deinceps à P. Ripalda, alijsque Neotericis fusissimè discussum est. Dixerunt nimirum Philosophus, D. Thomas, & cæteri omnes, ideò ignorantiam esse causam actus, quia tollit cognitionem, quæ si adesset, non eliceretur talis actus. Inquirunt autem Suarez, & post ipsum cæteri, quid sit absolutè de præsenti, quod significatur per illam conditionalẽ; *non daretur actus, si daretur cognitio.* Et quidem necesse est id esse aliquid absolutè de præsenti. Primùm quia causalitas ignorantiæ significata, & iuxta aliquorum sententiam intrinsecè constituta per illam conditionalem, datur absolutè de præsenti; Certum autem est, nihil absolutè existens de præsenti, constitui posse per aliquid purè conditionale. Deindè quia omne conditionatum necessariò reducitur ad aliquid absolutum, cum conditionatum præcisè, vt conditionatum, non habeat vllum esse extra intellectum. Neque verò dici potest, futuritionem eam conditionatam nihil esse aliud, quàm scientiam Dei, quà cognoscit quid futurum esset positâ illa cognitione. Primùm, quia per se patet sciẽtiam Dei non esse causalitatem ignorantiæ, cum hæc sit quid creatum, & incipiens esse in tempore. Deindè, quia causalitas ignorantiæ confert plurimum ad meritum, & demeritum, ex omnium sententia, cum certum sit apud omnes Catholicos, scientiam conditionatam, & eius obiectum, quatenus obiectum eius est præcisè, nihil conferre ad meritum, & demeritum, quibus de facto retributio aliqua absolutè fiat. Demum quia veritas illa conditionalis cognoscitur à nobis immediatè, quibus est incognita immediatè scientia Dei media.

Art. 7. Itaque iuxtà doctrinam fusiùs traditam in genere. quæst. 17. de Deo ab art. 12. Dicendũ est breuiter omissis varijs aliorum meditationibus, conditionalem illam fundari ex parte actus primi in inclinatione voluntatis, vel omninò efficaci, vel inefficaci, sed longè præpon-

deran-

derantis respectu obiecti aut circumstantiæ, quæ gnoratur de facto, & repræsentaretur per cognitionem contrariam igorantiæ, ratione cuius inclinationis connectitur voluntas conditionatè connexione, vel physica, vel saltem morali cum omissione actus, quem exercet de facto, ex suppositione, quòd existat cognitio contraria. Etenim in occasione Patris existimati inimici, ideò verificatur occisionem non fuisse futuram, si adfuisset cognitio vera; quia datur de facto in occisore amor efficax erga Patrem actualiter, vel habitualiter, vel saltem affectus inefficax longè præponderans omni displicentiæ, & complacentiæ contrariæ. Atque ratione primi physicè, ratione verò secundi moraliter repugnat, non suspendi occisionem existente cognitione depulsiua ignorantiæ præsentis. Ex parte autem actus secundi contingit motiuum actus orti ex ignorantia non se habere disparatè, sed opposito modo respectu motiui, quod repræsentaretur per cognitionem depulsiuam ignorantiæ: vt cum quis occidit amicum, existimans esse inimicum; & tunc cognitio depulsiua ignorantiæ tollit causam actus orti ex ignorantia; ideòque verificatur non futurum fuisse cum actum, si daretur cognitio contraria ignorantiæ; datur igitur de præsenti absolutè fundamentum illius futuritionis conditionatæ, (licet eadem formaliter sumpta nihil sit absolutum distinctum à cognitione sui) idque est omninò necessarium ad rationem voluntarij, aut inuoluntarij existentis de facto absolutè.

Art. 8, Quapropter si actum existentem de facto non fuisse exiturum, seclusà ignorantia, verificaretur præcisè ratione indifferentiæ voluntatis potentis operari cum vna cognitione, & non operari cum alia, licet vtraque cognitio sit compossibilis ex se cum actu, & cum omissione actus, ac proinde id esset cognoscibile à solo Deo per scientiam mediam; nihil profectò

fectò id cõferret ad rationẽ volũtarij aut inuolũtarij existentẽ de facto; quia id se haberet per accidens ad absolutã conformitatẽ, aut oppositionem operantis cum præsenti inclinatione voluntatis, vt patet. Nihil itidem confert ad rationem inuoluntarii præsentis non fore extiturum actum, qui exisiit de facto, si id verificetur ratione variationis obiecti non indicandæ tantùm, sed etiam inducendæ per cognitionem depulsiuam ignorantiæ; vt apparet in comestione carnis, existente, sed ignorato per ignorantiam omninò antecedentem, præcepti de non comedenda. Tunc enim verum est, respectu viri timoratæ conscientiæ, non extituram fuisse comestionem, si præextitisset cognitio præcepti vrgentis pro eo instanti: & tamen, quia cognitio non solùm manifestàret obiectum iam existens, sed etiam per se ipsam induceret variationem eius; quandoquidem actionem de honesta, redderet inhonestam; propterea nullum in eo casu intercedit inuoluntarium, sed solum non voluntarium. Quia videlicet inclinatio præexistens voluntatis non contradicit comestioni secundum se, aut quatenus licitæ, qualis est dum proficiscitur ab ignorantia, sed inhonestæ, & peccaminosæ, qualis foret præexistente cognitione præcepti. Vndè fit accedente cognitione præcepti posteà, & perseuerante eadem, quæ erat, inclinatione voluntatis, nullum subsequi dolorem per se. Ex quo apparet doctrinam communem superiùs traditam de inuoluntarietate, ex ignorantia antecedenti, accipiendam esse de ignorantia, & opposita cognitione non variantibus per se ipsas speciem actus.

Ex dictis patet ad rationes dubitandi. Prima enim procedit de ignorantia formaliter consequenti, nempè de ignorantia eorum, quæ quis scire, & aduertere tenetur. Secunda etiam procedit de ignorantia saltem æquiualenter

consequenti, quatenus peccatori placet ignorantia, ex qua peccat, & aggreditur opus aduersus dictamen conscientiæ præscribens ne declinet in eam partem, cuius electione peccat, sed consideret magis, quod intendit facere, seu faciendum temerè, ac insipienter proponitur. Tertia denique procedit de ignorantia, vel formaliter comitanti, vt in primo casu de occisione hostis loco cerui; vel per se ipsam varianti qualitatem operationis, atque auferenti ab eadem rationem, ob quam displicere possit recedente ignorantia, vt in casu posteriori de comestione carnis licita, ac honesta; & suppositione ignorantiæ præcepti.

* * *

QVAESTIO XI.

Vtrum voluntarium rectè diuidatur in liberum & necessarium?

VIDETVR non rectè diuidi. 1. Quia ex vna parte necessitas volendi prouenit ab extrinseco, nempè ab obiecto trahente voluntatem, velit, nolit in sui amorem. Ex altera parte; est de conceptu liberæ electionis, vt eliciatur præexistente inclinatione voluntatis in cõtrarium, atq; adeò renitente passo. Ergò neque necessariò, neque liberè volitum sunt species voluntarij, quorum videlicet alterum est ab extrinseco, & alterum inest renitente passo.

2. Necessitas & libertas sunt modi volendi inter se oppositi: Ergò non potest eadem ratio voluntarij saluari in vtroque extremo, saltem perfectè, & adæquatè, tanquam in speciebus suis.

Art. 1. Respondetur. Voluntarium, sicut & alia prædicata, quæ dicuntur promiscuè de Deo, & creaturis, in solo Deo reperitur perfectè, perfectione excludente omnem sui generis imperfectionem. Quia soli actus diuini ità sunt ab intrinseco, vt neque adæquate, neque inadæquate, neque mediatè, neque immediatè sint ab extrinseco; ijdemque soli procedunt ex cognitione comprehensiua, nullaque propterea admixta ignorantiæ obiecti sui adæquati. Cæterum pro conditione humanæ naturæ eadem ra-

tio voluntarij ſaluatur perfectè in actibus humanis tum neceſſarijs, tum liberis, ſi aliud non obſtet. Quia vtriſque eſt eſſentiale, tum vt ſint vitales, atque ideò vt ſint ab intrinſeco, eſto cooperetur principium extrinſecum, quod omni actioni creatæ eſt commune; tum vt procedant ab inclinatione præſuppoſita in ſubiecto, reſpectu ipſorũ, vtq. per ſe ipſos ſint inclinationes eiuſdẽ, reſpectu eorundẽ. Quia nihil poteſt eſſe volitum, ſeù liberè, ſeu neceſſariò, niſi alliciente voluntatem præcognitione, & conuenientia boni, & quin voluntas velit ſuum ipſum velle ſimul cum obiecto. Et licet electio libera ſimiliter præſupponat inclinationem aliquam ad electionem oppoſitam, & ad omiſſionem ſui, quatenus actus primus libertatis ex ſuo conceptu eſt ſimultas inclinationum ad oppoſita; quia tamen non includit in ſe inclinationem ad ſimultatem oppoſitorum, ſed potiùs eſt vna quædam ſola inclinatio diſiunctiua, & vaga ad alterutrum ex ijs, quæ ſunt incompoſſibilia per ſe, & ex natura ſua: ſatisfit toti inclinationi incluſæ in actu primo libertatis per vtrumlibet ex bonis, ad quæ eſt indifferens, & per vtramlibet electionem. Atque per hæc ſatiſfit priori rationi dubitandi.

Art. 2. Iam quod attinet ad præcognitionem, patet eam poſſe eſſe perfectam, ideſt diſtinctam, & claram, tum reſpectu obiecti voliti neceſſariò, tum reſpectu liberè voliti. Patet igitur voluntarium rectè diuidi in neceſſarium, & liberum, atque iſtas duas ſpecies ità opponi inter ſe, quoad rationes ſuas differentiales, vt tamen conueniant vniuocè in ratione generica voluntarij, vt dictum eſt iterum ſuprà; quo ſatisfit poſteriori rationi dubitandi.

Art. 3. Voluntarium porrò neceſſarium eſt abſolutè perfectius ex genere ſuo, quàm voluntarium liberum; Quia illud prædicatum dicitur perfe-

perfectius ex genere suo, cuius suprema species, superat perfectione omnes species contentas sub altero prædicato sibi opposito. Manifestum autem est, amorem beatificum, qui est suprema species contenta sub ratione voluntarij, necessarij; præeminere omnibus speciebus contentis sub ratione voluntarij liberi. At respectu hominis viatoris voluntarium liberum est perfectius ex genere suo, quàm necessarium, quia actus charitatis, qui est perfectior cæteris omnibus speciebus actuum humanorum, est liber in homine viatore. Prætereà voluntarium liberum continet sub se omnes species actuum humanorum perducentium immediatè ad vitam æternam; de quibus solis agere instituimus directè. Quapropter non solùm præcipuè, sed etiam vnicè agendum nobis est directè, & ex professo, de voluntario libero, deque eius speciebus.

QVAESTIO XII.

Vtrum insit homini libertas indifferentiæ?

VIDETVR non inesse. 1. Quia, vt obijcit sibi Philos. 3. Ethic. c. 5. post med. vnusquisque appetit, & facit, quod optimum, factu, maximèque appetibile, sibi videtur hìc & nũc; nec est in cuiusquam potestate positum, vt præferat minus bonum meliori apprehenso, vt tali, cum minus bonum comparetur tanquam malum cum meliori, quod excluditur per illud; atque mali apprehensi vt talis, nulla possit esse electio. Quod autem hoc, vel illud appareat, magis, vel minùs bonum, nõ est in hominis potestate. *Quia qualis, vnusquisque, est, talis finis videtur ei*, vt dicit ibi Philosophus, & experientia liquet: Iracundo enim vltio videtur præferenda paci, & tranquillitati; mansueto è conuerso; auaro videntur pecuniæ præferendæ honori, & amicitijs; liberali è conuerso: forti videtur præferenda incolumitas patriæ, securitati vitæ propriæ; timido, ac pusillanimi è conuerso, & sic de similibus. Iam verò, quòd aliquales simus, non est in nostra potestate constitutum, sed vnusquisque naturaliter euadit talis, vel talis, qualis videlicet adfuit ipsi ab initio aspectus astrorum, & dispositio causarum particularium. Ergò homo nec ad iudicium de eligendis, ac agendis, hìc & nunc, nec ad vllam electionem, & actionem est indifferens ex sua natura. In quam rationem coincidit illud Galeni: *Animi mores corporis temperaturam sequuntur.* Confirmatur ex August. lib. 1. ad simplic. q. 2. paulo ante finem interrogante priùs; *Quis habet*

pote-

potestatem, vt vel ei occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrerit? Et concludente postea: *Voluntas, nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque inuitet animum, moueri nullo modo potest. Hoc autem vt occurat, non est in hominis potestate.*

2. Qui necessariò vult finem, necessariò vult omnia media requisita ad illum. Omnes autem necessariò volunt suam felicitatem, non qualemcunque, sed summam, vti dicetur in q. seq. atque optima quæque media sunt vnicè requisita ad summam felicitatem consequendam. Quia si aliquando prætermittatur medium inter omnia occurrentia optimum, eo ipso deperit aliquis gradus felicitatis, & redditur impossibilis consecutio summæ felicitatis, simpliciter, & absolutè possibilis obtineri, vt patebit infra q. 30. ac deinceps. Ergò neque ad finem est indifferens voluntas, neque ad media.

3. Non est indifferens voluntas ad alterutrũ, ex æqualibus, ergò neque ad alterutrum ex inæqualibus; ac proindè ad nulla duo extrema est indifferens. Patet consequentia. Quia multò manifestiùs repugnat, vt minus bonum præferatur meliori, quàm vt æquale præferatur æquali. Probatur antecedens. Quia in neutro ex omnino æqualibus apparet ratio præferendi, illud alteri. Voluntas autem operatur dependenter à ratione aliqua obiectiua, & proptereà sicut nihil velle potest, absque motiuo, & causa volendi; ità nihil cuiquam præferre potest absque motiuo, & causa præferendi. Confirmatur. Quia, sicut se habet natura, & appetitus innatus, respectu boni secundum se: ità se habet voluntas, & appetitus elicitus respectu boni apprehensi. Natura autem, & appetitus innatus ad neutrum ex omninò æqualibus determinari potest ex se; quæ est ratio Platonis pro quiete, & immobilitate terræ in medio, vt dicitur 2. de Cœlo text. 75. & 90. Eademque de causa adhibet Philosophus intelligentias pro

motu circulari cælorum Semper ergò eligitur necessariò, seu semper est volitum necessariò, quod eminentius apparet inter omnia, quæ proponuntur voluntati: Et si nihil præemineat, nihil ipsa velle potest.

4. Voluntas est potentia subordinata intellectui, nec potest ferri ad aliquid, aut aliquo modo, quin manuducatur ad illud, & eo modo ab intellectu. Intellectus autem dum consultat de agendis ac eligendis, necessariò infert conclusionem & sententiam determinatam ex præmissis determinatis, atque concludit hoc determinatè sumptum hic & nunc potissimùm expedire.. Ergò pari cum necessitate ad illud idem determinatur voluntas. Confirmatur . .Quia nulla existente indifferentia;in mouente,nulla potest esse indifferentia in mobili. Ergò quandoquidē intellectus,qui mouet voluntatem,non est indifferens in iudicando, nec voluntas est indifferens in volendo. Cōfirmatur rursus.Quia sicut se habent principia ad conclusiones, seu ad ea, quæ sunt scibilia ex principijs, ita se habet finis ad eligibilia, seù ad ea,quæ sunt volibilia propter finem,vt dicitur 7. Ethic.c.8.Ergò sicut conclusiones sequuntur de necessitate ex principijs: ità electiones sequuntur de necessitate ex fine.

5. Qui est liber libertate indifferentiæ, facit, quod vult, eiusdemque est velle, & non velle; nec per alium,sed per se ipsum conuertitur,quò placet, ac demum est dominus sui actus, & est in ipso, vt ineat hanc,vel illam viam. Hæc autē non conueniunt homini, vt patet, quoad primum ex Rom.7.15. *Non enim, quod volo bonum hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*: quoad secundum ex Rom. 9. 16. *Non est volentis*, nēpè velle, *neque currentis*, nempe currere: Quoad tertium ex Prouerb.21. 1.*Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud.* Et 2.ad Philipp. 13. *Deus est,qui operatur in vobis velle, & perficere*,quoad postremum ex Ier.10.23.*non est hominis via eius, nec viri est, vt dirigat gressus suos.*

6.Qui

6. Qui nihil agere, nihilque eligere potest, nisi volente cooperari, & præeligente alio, cuius voluntati resisti non potest, nihil agere, aut eligere potest liberè, ac indifferenter. Huiusmodi autem est homo respectu Dei, vt dictum in q.34. de Deo art.5.

7. Operationes humanæ, atque omnis determinatio hominis ad hoc, vel illud volendum, & agendum dependent à motibus, dispositione, & aspectu astrorum, respectu vniuscuiusque. Quod patet. Primum, Quia ex astrorum impressione dependent corpus, & phantasia, à quibus rursus dependet anima, & omnis vis rationalis, dū illa est immersa corpori. Deinde quia Astrologi, frequenter vera prædicunt de ijs, quæ dependent à voluntate hominis, vt de bellis, de exaltatione quorundam, & depressione aliorum, deq. alijs eiusmodi. Quod fieri nō posset, nisi astra dominarentur humanæ volūtati. Ergò hæc nō est indifferens, suiq; iuris in proprijs operationibus.

Art. 1. Respondetur. Potentia libera libertate indifferentiæ communiter definitur, *Quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere*: idest, in qua simul inuicem componi possunt omnia antecedēter requisita ad actiones vel ad actionē, & omissionē actionis incompossibiles inter se; seu cui adesse potest simultas potentiæ proximæ ad terminos, quorū simultas repugnat, seu quæ fieri potest, vt sit proximè potēs ad componendum secum vi sua vtrumlibet eorum, quæ inter se componi minimè possunt; seu cuius actiones, vel determinationes ità comparantur inter se, vt possit vtralibet per solam alteram impediri, quo minùs detur à parte rei nullo alio existente impedimento independente ab ipsis. Hæc nimirum omnia sunt mutuò conuertibilia reipsa, dictaque sunt à me totidem modis, vt constaret clariùs de re definita. Ea porrò omnia conueniunt potentiæ quatenus liberæ in actu primo remoto vel certè vt præscindenti ab actu primo, tum remoto, cum proxi-

mo. Accomodantur verò facilè eidem, quatenus liberæ in actu primo proximo determinatè, si dicatur eam esse, quæ habet omnia requisita ad agendum; potestque agere, & non agere; in qua simul inuicem componuntur de facto &c. Cui adest simultas &c. Quæ est proximè potens &c. Cuius actiones, vel determinationes proximè possibiles &c. vt suprà. Dictum autem est in secunda expositione; *omnia antecedenter requisita*, & in postrema, *impedimento independenti ab ipsis.* Quia ea, siuè requisita, siue impedimenta, quæ consequuntur ad actionem potentiæ, aut ab ea actione dependent, vel determinantur, nullum afferunt præiudicium eiusdem potentiæ libertati, & perfectæ indifferentiæ, idque est in confesso apud omnes.

Art. 2. Libertatem hoc sensu vsurpatam conuenire homini, deprehenditur clarè ex pluribus effectibus, & proprietatibus operationum humanarum, ratione quorum ipsa naturæ humanæ constitutio à Deo ordinata, & communis, atque indubitatus omnium consensus indicijs clarissimis multipliciter manifestant indifferentiam arbitrij humani. Inter quæ præeminent leges de præmijs & supplicijs propter bona, & mala opera; laus, & vituperium; consilium, & correctio; gratitudo, & vindicta; sponsiones de futuro, & spes ex illis concepta, cum formidine de earum adimpletione, commiseratio, & exprobratio, aut indignatio propter defectus, & effectus omninò similes entitatiuè, solumque dissimiles penes originem ex propria voluntate, vel ex necessitate extrinsecùs inducta; venia subitis concessa, & negata meditatis; eadem disparitas circa actiones subortas ex impetu iræ, & ex consilio; nec non elicitas cum ignorantia inuincibili, & cum perfecta cognitione, aut cū ignorantia affectata. Quis enim vsque adeò stupidus esse potest, vt non videat, seclusa libertate indifferentiæ ad hoc, & oppositum, insipienter, & contra quàm ferat rerum natura, hæc omnia

nia

nia humani generis conſenſu, & inſtinctu ipſius naturæ ſtabilienda primitus fuiſſe, & deinceps à ſingulis obſeruari, atque executioni mandari?

Art. 3. Augetur vis argumenti, ſeu potius ponitur ob oculos nonnullis circa ſingula ſpecialiter notatis. Quoad leges imprimis præmiorũ, & pœnarum, Philoſophus 3. Ethic. c. 5. Vbi hoc argumento vſus eſt pro indifferentia arbitrij humani, non tam conſiderauit leges, quatenus ſpondentes præmia, & minantes ſupplicia antequam fiant actiones; ſub qua ſcilicet ratione opponere quis poſſet illas inuehere neceſſitatem antecedentem in voluntatem, ſicut cibus, fuſtis, calcaria inducunt in appetitum bruti; ſed eaſdem magis conſiderauit, quatenus conferentes præmia, & inferentes ſupplicia propter honeſtas, & prauas operationes, præcisè quia executioni mandatæ iam ſunt. Quod profectò inſipienter inſtitutũ eſſet, ſi omnia neceſſariò peragerent omnes; & neque is, qui honeſtè operatus eſt pro tuenda patria, liberè omiſiſſet, & commoda ſua, eaque de cauſa redditus eſſet dignus compenſatione, & eò magis, quò minùs de illa cogitauit, aut ſperauit eandem: neque, qui ſecus egit, patriam commodis ſuis indifferenter poſtpoſuiſſet; ideòque vindictam, ſeu punitionem meruiſſet. Certè brutis nihil eiuſmodi accidit, aut prouidetur præcisè ob actiones præteritas, ſi de futuro non ſit ſpes, aut timor ſimilium, aut potiùs indigentia, aut nocumentũ. In hominibus autem ſaltem felicitas, & infelicitas æterna, quæ rependuntur actionibus antecedentibus, promotionem futurarum nullatenus ſpectant.

Art. 4. In laude, & vituperio obſeruandum primò eſt, diuerſimodè laudari hominem honeſtè operantem, & equum velociter currentem, aut fortiter pugnantem. Homo enim laudatur, quia operatione honeſta fit bonus, & non præcisè, quia deprehenditur fuiſſe bonus ante

operationem: Equus verò, præcisè quia per velocitatem cursus, & fortitudinem pugnæ innotescit præexistens bonitas eius. Quod discrimen à sola libertate indifferentiæ in homine, eiusdemque defectu in equo vnicè descendit. Eadem proportionaliter ratio est de vituperio. Obseruandum deindè est laudem extortam nihil æstimari; cùm, ea quæ spontanea est, maximo habeatur in pretio. Quòd si vtraque, pari cum necessitate penitùs determinante antecedenter, profunderetur; nulla prorsus superesset ratio inæqualis æstimationis.

Art. 5. Ex Concilio, præcepto, & correptione frequenter comprobat Augustinus indifferentiam arbitrij humani, præsertim lib. de correptione, & gratia ferè per totum. Consilium, ne sit imprudens, & frustraneum, supponit in consiliato potestatem actionis sibi conformis; ne verò sit prorsus superfluum, supponit simul in eodem potestatem actionis, seu omissionis contrariæ. Nec dici potest consilium eo animo adhiberi, vt inducat necessitatem ad actionem sibi conformem, & supponere notitiam, aut suspicionem necessitatis contrariæ independenter ab ipso. Hoc, inquam, dici non potest. Primò quia si id ita esset, quoties licet consiliari actiones violentiæ capaces, toties liceret cogere, ligando; aut propellendo, cum istam violentiã sola iactura libertatis reddat illicitã, ac iniuriosã. Deindè quia sæpè motiuũ audiendi consilia est, audientem, ijs non obstantibus, remanere sui iuris, vt faciat oppositum, si libuerit. Postremò, quia consilium, saltem, vt plurimùm, non est ità efficax, ac potens, vt inducere valeat, aut credatur inducturum, transitum ab impotentia ad necessitatem; quod est opus magnæ virtutis propter maximam distantiam mutuam eorum extremorum, præsertim quando præexistenti immediatè determinationi opitulabatur ingens affectus. De præcepto eadem ferè ratio est. De correptione, constat eam esse ineptam,

si cadat supra actionem, quæ vitari minime potuit; & quilibet cessat à corripiendo, audita, & probata excusatione, quod non potuerit aliter fieri. Hæc porrò excusatio, cuilibet actioni vtcumque prauæ semper adest euidentissime; si nõ sumus liberi libertate indifferentiæ. Quare optimè consulit P. Molina, neganti indifferentiam arbitrij humani, adhibendam esse, inter verbera, eiusdem verberantis excusationem, donec eã esse falsã ipse fateatur; idest, donec resipiscat.

Art. 6. Gratitudini, & vindictæ commune est cum correptione, quod suspendantur audita, & agnita excusatione necessitatis reddentis antecedenter ineuitabilem actionem alterius, vtilem sibi, aut nocentem. Illud est speciale, quòd neutra videtur muneri suo satisfecisse, si non plus rependat, quàm acceptum erat, vti pluribus circa gratitudinem prosequitur Seneca de Beneficijs non semel. Ratio est inter alia, quia gratus, & vindex agunt ex obligatione vehementer stimulanti, ac propterea minuenti libertatem ad oppositum, qua vtitur plenissima qui lacessiuit; atque momentum inæquale libertatis, & indifferentiæ, pro æquali æstimatione dati, & accepti, seù retributi, postulat contrariã rerum inæqualitatem. Hinc fit dona Principum minùs, aut nihil indigentium gratiã beneficiarij, plus obligare, quàm dona inferiorum magis indigentium eàdem. Idem accidit proportionaliter in qualibet alia actione, cuius libertatẽ indigentia, vel aliqua alia circumstantia imminuerit, aut contraria operantis conditio, aut dispositio auxerit. Semper enim pro inæqualitate indifferentiæ, euadit apud omnes inæqualis æstimatio operationis, tametsi cætera tam intrinseca, quàm extrinseca sint prorsus paria. Quod attentè consideranti multiplicem humanæ indifferentiæ confirmationem parere potest. Hoc modo expendenda sunt reliqua insinuata suprà art. 2.

Art. 7. Ratio à priori, omnium eiusmodi ar-

gumentorum à posteriori, desumitur ex natura intellectus, & voluntatis respicientis vniuersaliter totam latitudinem entis. Voluntas enim potest ferri per amorem in quodlibet obiectum sibi propositum, vt bonum, & per fugam ac odium in quodlibet repræsentatum, vt malum. Vndè si repræsententur simul duo bona inuicem incompossibilia, quorum deindè vtrilibet simul cum sua bonitate insit hoc malum, vt sit impeditiuum, ac exclusiuum alterius boni; voluntas erit simultaneè potẽs ad vtrumlibet volendum, & nolendum. Quia videlicet simultaneè proponetur ratio sufficiens ad volendum, & ratio sufficiens ad nolendum vtrumlibet, atque neutri deperibit, propter coexistentiam cum altero, vis permouendi, ac determinandi voluntatem, atq; terminandi actum eius sibi proportionatum. Intellectus autem proponit frequenter voluntati simultaneè plura eiusmodi bona inuicem incompossibilia, ex. gr. prosecutionem delectabilium sensus, quatenus valentium delectare de præsenti, & abstinentiam ab eisdem, quatenus profuturã ad vitã æternã; potionẽ amarã quatenùs vtilem ad salutem, & dulcẽ quatenus blandientem palato, & sic de similibus; proponit verò talia simultaneè nõ solùm, manifestando vnumquoduis eorum secundũ se (quod est homini cõmune cũ brutis) sed superaddita eorundẽ inter se cõparatione, atq; manifestando in vtrouis extremorũ aliquid, penes quod præemineat alteri, & ratione proindè cuius poterit eligi præ altero, eidemq, præferri; idest ratione cuius possit acceptari vnũquoduis eorũ relecto altero, & reiectis alijs, quæ sunt cũ illo eodẽ incõpossibilia.

Art. 8. Istud porrò comparationis genus soli naturæ intellectuali est possibile. Quia in tali comparatione includitur cognitio complexionis contradictoriæ, atque complexio contradictoria est eiusdem abstractionis, & vniuersalitatis cum ente vt sic. Nempè in eiusmodi comparatione includitur cognitio huius, & non huius

siuè

siuè huius vt præferibilis omnibus alijs. Patet verò cognitionem huius, & non huius, siuè huius, & omnium aliorum, esse eiusdem extensionis, & vniuersalitatis cum cognitione entis; quandoquidem, quid quid est, est hoc, vel non hoc; atque ideò ratio entis adæquatè diuiditur in hoc, & cætera omnia distincta ab hoc. Ens verò vt sic, & consequenter quoduis prædicatũ, seu complexio conuertibilis cum ente, est objectum intellectus, & non cadit sub vllam potentiam sensitiuam; de quo alibi ex professo. Nulla igitur potentia cognoscitiua distincta ab intellectu, eiusmodi comparationẽ mutuæ præferibilitatis facere potest; intellectus verò ipse facere potest. Sola itaque voluntas, quæ sola inter potentias appetitiuas est immediatè dirigibilis per intellectum, potest liberè, ac indifferenter eligere; idest habere simultaneam potentiam ad vtrumlibet ex pluribus inter se incompossibilibus. Cum igitur homo sit intellectu, & voluntate præditus, patet homini conuenire ex sua natura potentiam liberè ac indifferenter electiuam inter plura inuicem incompossibilia.

Art. 9. Istam arbitrij humani indifferentiam propriè talem, omnisque necessitatis simpliciter antecedentis prorsus expertem adstruunt sæpè, & clarè Sacræ litteræ. Locuples est præcæteris in hanc rem caput 15. Ecclesiastici, vbi inter alia v. 17. dicitur; *Apposui tibi ignem, & aquam ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ simultanea oblatio rerũ, quæ nõ possunt accipi simul, clarissimè denotat dari in homine simultaneã potestatẽ proximã ad actiones inuicẽ incõpossibiles, perperã enim offerrẽtur simultaneè, quæ sũt incõpossibilia, si nõ adesset simultaneè potestas omninò expedita ad vtrumlibet eorum, sicut perperam proponeretur vnum ex illis determinatè non habenti potestatem expeditam ad illud ipsum determinatè. Videantur, si placet, plures huius

loci

loci expensiones subtiles, & efficaces, & suffragijs PP. Luculenter communitæ, apud Montoiam disput. 19. & 40. de scientia Dei. Æquè manifestum, & efficax est, quod habetur in eodem libro c.31.10. *Qui potuit transgredi, & nō est transgressus: facere mala, & non fecit.* Habuit igitur simultaneè, & potestatem, quæ formaliter exprimitur, ad trangresionem, seu ad operationem malam; & potestatem, quæ perhibetur exercita de facto, ad omissionem illius. Accedit Concilium Tridentinum definiens sess.6.cap.5. & can.4. recipientem inspirationem abijcere illam posse, & assentientem Deo excitanti posse dissentire si velit. Similiter definit Concilium Senonense dec. fid. 15. *Dei trahentis auxilium* (idest auxilium, cui non resistitur de facto) *tale non esse, cui resisti non possit.*

Art.10. Vnanimem Sanctorum PP. consensum huic dogmati suffragantem exhibet inter alios diligenter, & plenè P. Montoya loco nuper indicato, suntque eorum testimonia vsque adeò obuia, & clara, vt nec referre, nec expendere ea necesse sit. De solo Augustino oportuerit aliqua breuiter suggerere ad dissipandas eas nebulas, quas iam olim, & nuper non nulli excitarūt aduersus sinceram eius doctrinam circa prædictam humani arbitrij indifferentiam ab omni simpliciter antecedenti necessitate omninò solutam. Itaque Augustinum sensisse, semperque constanter docuisse arbitrium humanum esse liberum libertate indifferentiæ absque vlla simpliciter antecedenti necessitate ad vnum determinatè sumptum, colligitur imprimis clarissimè ex consensu eiusdem Augustini cū Pelagio absque vlla inter vtrumque discrepantia, quoad punctum libertatis, & indifferentiæ secundum se præcisè. Nemo porrò dubitat, Pelagium attribuisse arbitrio humano indifferentiam propriè talem; atque minimè omnium de hac re dubitant, qui negant Augustinum esse eiusdem indifferentiæ assertorem. & suadere conantur esse

potiùs destructorem illius saltem pro statu naturæ lapsæ. Iam consensus Augustini cum Pelagio in asserenda ea indifferentia, quam tam volebat idem, Pelagius, colligitur ex lib. 2. de nupt. & concup. c. 3. sub initium, vbi sic conqueritur Iulianus Pelagianus: *Nam si quis, aut liberum in hominibus arbitriũ, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus, & Pelagianus vocatur.* Respondet autem Augustinus: *Non est ità, vt loqueris, quicumque ista dixisti: non est ità; multum falleris, vel fallere meditaris: Non liberum negamus arbitrium.* Et paulò inferiùs: *liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem vtrique dicimus; non hinc estis Celestiani, & Pelagiani.* Conuenit ergò Augustinus cum Iuliano in asserendo libero arbitrio, perinde atque conuenit in agnoscendo Deo nascentiũ conditore; nec Iulianus à sana doctrina deuiabat, aut Pelagianus erat ex sententia Augustini, quatenus libertatem arbitrij statuebat, & quidẽ eo sensu, quo eam statuebat. Quorsum enim Augustinus approbaret absque idonea aliqua expositione, limitatione, aut exceptione, vocem, cuius reale apud loquentem significatum reprobaret præsertim cum inibi, & alibi semper diligentissimè distinguat, limitet, atque ad catholicum sensum redigat Augustinus voces aduersariorum ambiguas, atque iuxta eorum mentem pronas ad errorem.

Art. II. Augetur vis huius ponderationis, & suadetur vlteriùs Augustinum admisisse libertatem eo omninò sensu, quo illam astruebat Iulianus, ex c. 4. eiusdem libri prope finem, vbi asserente Iuliano, *fœcunditatem Deo iure reputari*, Augustinus protinus subijcit; *ea quidem dici veraciter, sed quia non intentione catholici pectoris* (idest, non sub legitima significatione) *dicta sunt, iam propter quod ea dixit; Pelagiana, & celestiana hæresis incipit introduci.* Ergò si quid fraudulentiæ & illegitimæ significationis subesset in priori assertione libertatis arbitrij; id vtique notasset

notasset similiter Augustinus, nec ore pleno subscriberet Iuliano quoad eam particulam dogmatis minimè contemnend. Idem rursus ostenditur ex lib. 1. de grat. Christi. c. 31. vbi dicente Pelagio ad Innocentium Pontificem; *Purè, atque simpliciter ad peccandum, & non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino semper adiuuatur auxilio.* Augustinus nihil cunctatus de libero arbitrio, deque eius indifferentia expressa à Pelagio, solùm Inquirit de significato gratiæ, idque sollicitè: *Cernitis,* aiens, *hæc eius verba soluenda nō sufficere quæstioni. Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adiuuari dicat arbitrium; ne fortè sicut solet &c.* Hoc ipsum discrimen cernitur vbique per decem subsequèntia capita, transmittente semper Augustino, atque approbante libertatem arbitrij, prout effertur à Pelagio, solùmque detegente fraudes in Pelagiana gratiæ assertione, atque eandem illustrante, aut modificante prout oportet. Porrò indifferentia arbitrij erat basis, & fundamentum omnium fere conatuum hæresis Pelagianæ circa gratiam, vti apparet clarissimè ex omnibus Augustini operibus aduersus eam hæresim. Negata proindè indifferentia arbitrij, qualis assumebatur à Pelagianis, & suffectâ loco illius solâ libertate à coactione, subruebatur funditus huius alterius erroris moles, & omnia hosti arma detrahebantur; & tamen nihil vnquam Augustinus reperitur mouisse aduersus eandem indifferentiã, sed illam potiùs admisisse plenè, & planè, prout assumebatur à Pelagio, solùmque illi negasse consequentiam destructricem gratiæ.

Art. 12. Consideranda deindè est accusatio Pelagianismi vulgata contra Augustinum, & defensio, atque responsio adhibita ab ipso Augustino. Docuerat Augustinus contra Manichæos, antè exortam hæresim Pelagij, indifferentiam arbitrij ad vtramq. partem cōtradictionis l. 1. de lib. arb. c. 12. dicens, *Vides igitur iã, vt existimo in*

vo-

voluntate esse nostra constitutum, vt hoc, vel fruamur, vel careamus tanto, & tam verò bono Et c. 15. *Quod quisque sectandum, & amplectendum eligat, in voluntate esse positum constitit.* Ex his, & similibus orta fuit prædicta accusatio, quasi per eam doctrinam præluxisset Pelagianis Augustinus, nec ea ab ipso edocta indifferentia consistere posset cum necessitate gratiæ, qualem contra Pelagium posteà docebat, vti ipse commemorat lib. 1. retract. c 9. Cum autem eodem in loco defendat se ab ea calumnia, nihil prorsus detrahit de indifferentia contenta in testimonijs relatis, quæ ibidem sub ijsdem verbis proponit, prout opponebantur à Pelagianis; sed solùm limitat actiuitatem, & sufficientiam arbitrij, adijciens, *necessariam esse gratiam, & sine illius adiutorio rectè pieque viui à mortalibus non posse, licet voluntas sit, qua & peccatur, & rectè viuitur.* Semper igitur persistit Augustinus in defendenda indifferentia arbitrij, qualem, & quantam docuerat contra Manichæos, solùmque adiungit de nouo necessitatem gratiæ, cuius asserendæ, ac exponendæ nulla fuit necessitas, dum ageretur contra Manichæos. Legatur totũ illud caput nonum cum sequenti, in quibus continetur tota defensio Augustini, & nulla apparet indifferentiæ priùs palàm, & amplissimè assertæ correctio, aut limitatio.

Art. 13. Verùm omnium clarissimè perspicitur hæc eadem Augustini plena cum Pelagianis consensio, quoad assertionem indifferentiæ arbitrij, sub conceptu indifferentiæ, ex lib. 1. Operis imperfecti à capite, seù collocutione 70. pagina apud me 118. Iulianus enim præfatus, omnem disputationem debere proficisci à definitione constituit, placentẽ sibi definitione liberi arbitrij, qua eius indifferentiã omnis simpliciter antecedentis necessitatis expertem exponit clarissimè, & semel, atque iterum describit vberrimè. Augustinus autem in sua responsione solùm reprehendit, quod interiectum fuerat

rat à Iuliano; Liberum arbitrium concipere, iustitiam de suo. atque de hoc præciso puncto disputationem ambo prosequuntur fusè, cætera omninò conformes quoad indifferentiam arbitrij, eiusque intelligentiam. Contextus est lõgior, quàm qui transcribatur, sed dignissimus qui legatur pro scopo nostro.

Art. 14. Considerandus est tertio loco liber de gr. & lib. arb. ad Valentinum, præsertim c. 2. & 3. Vbi non solùm agnoscit Augustinus clarè liberam arbitrij nostri indifferentiam, sed etiam comprobat vsque adeò efficaciter, ac neruosè, vt nihil vnquam aliud efficaciùs, ac neruosiùs comprobatum, Apud Augustinum, reperiatur. Incipit caput secundum his verbis. *Reuelauit autem nobis per scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium &c. Primum, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret.* Quid autem, quæso, prodessent homini præcepta potiùs, quàm èxlex quorumlibet indiscriminatim obiectorum, & operum permissio, si sola inesset homini libertas à coactione? quandoquidem potentia libera solùm à coactione, ideoque simul antecedenti necessitate ad vnam determinatè partem religata, perindè in illam fataliter incumbit, siue adsit præceptum, siue non adsit. Et quid magis confert ad consequutionem præmiorum, fecisse, quàm omisse præcepta? quando neutrum imputari potest operanti ex necessitate, & non eligenti cum indifferentia antecedenti; vt apparebit infrà q. 18. atque præmiorum munus est allicere ad bonum, potentiã indifferentem ad malum, aut ad omissionem boni, vt infrà dicetur q. 35. & ideò illa accipiat, qui accipit, eiusdemque bona stabiliantur in Domino, quia potuit transgredi, & non est trangressus; facere mala, & non fecit, iuxta testimonium ar. 9.

Art. 15. Progreditur deindè Augustinus an-

te medium illius capitis secundi ad ea oracula Diuina. *Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilij sui: si volueris, conseruabis mandata, & fidem bonam placiti: Apponam tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris extendere manum tuam: In conspectu vita, & mors; & quodcunque placuerit, dabitur ei.* Quibus productis exclamat: *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium;* non sanè liberum à sola coactione, cui nimirum libertati exprimendæ opus non erat tot inuicem pugnantium contrariorum conferta antithesi; imò illi soli statuendæ cum exclusione indifferentiæ antecedentis, eadem antithesis obesset plurimum, vt per se patet. Ne verò credi posset, eas scripturæ sententias accipiendas esse de homine tantùm pro statu naturæ innocentis, vt nonnulli perperam contendunt, nulla existente eiusmodi restrictione in scriptura, aut apud Augustinum, regreditur immediatè Augustinus ad argumentum præceptorum, quæ sunt omnibus statibus communia, & quibus ipse ait, humanam nominatim conueniri voluntatem, atque indicari hominem voluntate sua in lege Dei consistere. Inter alia autem quamplura præcepta, quæ ibi producit, expenditque diligenter, illud peculiariter obseruandum est ex Rom. 12. *Noli vinci à malo.* Hoc enim, non nisi stultè dici potest ei, qui non est constitutus medius inter spè vincendi, & periculum, vt vincatur, cum indifferentia ad vtrumlibet antecedenter soluta. Quapropter sub finem capitis tertij redit iterum ad idem præceptum, velut ad efficacissimũ fundamentum indifferentiæ nostræ, cum hac ponderatione; *Dicit Apostolus: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Et vtique, cui dicitur; noli vinci à malo, sed vince in bono malum; arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur. Velle enim, & nolle propriæ voluntatis est.* Claudo hũc locum illis verbis ad medium capitis quarti. *Nunquid non liberum arbitrium Timothei est exhor-*

hortatus Apostolus, dicens: Contine te ipsum; & in hac re potestatem voluntatis ostendit, vbi ait. Non habens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis. Quam autem, subiungo, habet potestatem suæ voluntatis, cui ad vnam determinatè partem coarctatur voluntas necessitate simpliciter antecedenti? & quid iuuat, pro eadem potestate excludere necessitatem præcepti, de qua ibi est sermo; si nihilominus opprimit necessitas alia incomparabiliter maior antecedētis ad vnam partem determinationis essentialiter inflexibilis, & inimpedibilis, simulque infrustrabilis?

Art. 16. Obseruandum postremò est celebre testimonium ex lib. 12. de Ciuit. c. 6. ad med. vbi describit Augustinus duos pari prorsus animi, & corporis dispositione præuentos, & deindè cōcludit: *Si vnus tentationi cedat, atque consentiat: alter idem, qui fuerat, perseuerat, quid aliud apparet, nisi vnum voluisse; alterum noluisse à castitate deficere? Vnde, nisi propria voluntate? vbi eadem fuerat in vtroque corporis, & animæ affectio.* Quod quidem neque ad scopum Augustini vllatenus confert, neque quidquam vtiliter concludit, si à sola coactione liberi erant illi duo, & vnus præuentus erat delectatione insuperabiliter necessitante ad desertionem castitatis, alius verò delectatione similiter necessitante ad perseuerantiam in castitate. Hoc enim supposito apparet clarissimè aliud prætereà inter illos duos discrimen, idque prius, quàm voluisse, & noluisse, atque independens à velle vnius, & nolle alterius; nec admittitur eadem, sed summè diuersa affectio animi antecedens ipsum velle, & nolle, aduersus suppositionem, & intētionem manifestam Augustini, qui totum discrimen reuocat, in genere quidem causæ formalis, ad voluisse, & noluisse; in genere verò causæ efficientis, ad propriā cuiusque voluntatem dispariter eligentem cum pari præuia dispositione animi, & corporis. Similis alius locus de

Nabuc

Nabuchodonosor, & Pharaone videri potest c.15. de prædest. & gr. Patet autem in nullo ex locis indicatis sermonem esse de statu innocentiæ, saltem solo, ac determinatè. Quòd si testimonijs vsque adeò conspicuis alias prætereà phrases illis æquiualentes, & consonantiam aliorum præterea principiorum Augustini adiungere cum expensione vellemus, nullus esset dicendi finis.

Art. 17. Abundè suffecerit, si superaddantur obseruationes aliquæ, & expositiones vocum, & phrasium nonnullarũ Augustini, quibus euanescant nebulæ ab aliquibus offusæ, atque detegatur legitimus sensus aliquarum Augustini locutionum, quibus superficie tenus aliqua inesse ambigendi in contrarium ratio. Obseruandum itaque primò est, coactionem aliquando sumi strictè, & propriè pro violentia, seu pro actione contraria propriæ cuiusque inclinationi, & volitioni elicitæ, quantum est de se, efficaci. Aliquando autem sumitur latiùs pro qualibet antecedenti voluntatis necessitate, auferente indifferentiam eius, & trahente fataliter ad vnam determinatè partem. Posteriorem istam eius vocis extensionem, & accomodationem censent Suarez prologom. 1. de grat. c. 1. n. 6. & c. 4. n. 2. alijque ideò factam esse; quia cum libertas indifferentiæ sit iuxta connaturalem hominis exigentiam; quidquid illam aufert, quoddam genus violentiæ, cum propria, & stricta priori illa coactione per magnam affinitatem, coniunctũ inducere videtur. Dici etiam potest, coactionem frequẽter vsurpari pro restrictione seu coarctatione, & reductione ad compendium, aut ad minorem locum; atque indè haud absurdè appellari coactionem, respectu voluntatis, quidquid immissa qualibet necessitate simpliciter antecedenti coarctat amplitudinem connaturalem indifferentiæ eius, & restringendo contrahit ad breuiorem operandi sphæram. Quæ quidem vera sunt.

Art.

Art. 18. Verùm aliud prætereà occurrit; ob quod potissimùm Augustinus frequenter usurpauerit coactionem, prout oppositam indifferentiæ antecedenti voluntatis, vtcunque contingat eã auferri, siuè naturaliter, siuè supernaturaliter. Enimuerò Augustinus duxit initium defendendi indifferentiam arbitrij ab impugnatione Manichæorum, vt liquet ex tribus libris de libero arbitrio, quos pro illius indifferentia contra Manichæos conscripsit paulò post baptismum, & antequam de eo argumento quidquàm aliud directè conscripsisset. Manichæi autem sola coactione propriè tali auferebant indifferentiam arbitrij humani, aientes, animam natura bonam, quando peccaret, id agere contra propriam inclinationem, & conatum, cogente anima substãtraliter mala, cui illa esset commixta. Liquet hoc inter alia ex libero contra Fortunatum Manich. paulò propiùs ad med. quàm ad principium, vbi Augustinus vrget in hunc modum. *Nunc quæro abs te, secundum eam lectionem, quæ lecta est, quomodo habemus peccata, si natura contraria nos cogit facere, quod facimus. Qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat.* Hinc effectum est, vt nullo per id tempus existente, qui negaret indifferentiam arbitrij, nisi ratione eiusmodi coactionis propriè dictæ, coactionem posuerit Augustinus, tanquam vnicè oppositam eidem indifferentiæ voluntatis, eadem profectò ratione, qua quicunque negamus prædeterminationem physicam voluntatis, vsurpare eam solemus, tanquam vnicè oppositam eidem indifferentiæ, & consequenter dicimus arbitrium esse indifferens, si non est antecedenter prædeterminatum physicè. Ratio est, quia cum nihil reipsa detur, quod auferat de facto indifferentiam arbitrij nostri, & inducat necessitatem simpliciter antecedentem in humanum arbitriũ connaturaliter dispositum, & præuentum deliberatione perfecta; mirum non est, si id vnusquisque vsurpet, tanquam vnicè oppositũ prædicta

dictæ indifferentiæ arbitrij, quod eo tempore aduersarij illius, eidem extinguendæ inducere conati fuerint, atque sub ea voce indiscriminatim includant formaliter, vel virtualiter, quidquid reipsa incompossibile esse potest cum vera ad vtrumlibet indifferentia arbitrij.

Art.14. Indidem ortum est, quòd idem Augustinus, nomine necessitatis absolutè prolato, solam sæpè intellexerit vim propriè coactiuam voluntatis, ratione cuius homo operetur inuitus, & consequenter implicantem, & chimæricã pronuntiauerit necessitatem respectu volitionis, vt patet ex lib.5. de Ciuit. cap.10. *Manifestum est, a t, voluntates nostras quibus rectè, vel perperam viuimus, sub tali* (scilicet cogente) *necessitate non esse. Nam si volumus, est, si nolumus, non est. Non enim vellemus si nollemus.* Quod nihil prorsus probat aduersus necessitatem non propriè, ac strictè coactiuam. Agendum verò fuit Augustino de tali solùm necessitate. quia per eã solam insidiabantur libertati arbitrij Hæretici eius temporis, cum quibus ipse confligebat. Ob eandem rationem liberum frequenter dicit Augustinus, quidquid non premitur pondere necessitatis propriè cogentis, vt patet ex eodem capite, nec non ex lib.2. Orthod. fid. c.14. vbi Deum esse Deum & amare se, & non peccare liberè, et sic de similibus disertè pronunciat; quia scilicet ad nihil eorum cogitur ab alio. *Ecquis enim*, ait, dicto cap. 14. *hanc ei necessitatem imposuerit?* Cęterum nullam prætereà aliam libertatem agnouisse in nobis Augustinum, aut non statuisse eam antecedenter indifferentem, aut non postulasse eandem indifferentiàm ad moralitatem, & imputabilitatem; meritum, & demeritum, falsum omninò est, vt patet non solùm ex locis superiùs ponderatis, sed etiam ex ijs, in quibus meminit specialiter eiusdem libertatis à sola coactione. Audiendus est potissimùm duobus in locis, quibus maiori cum fiducia abutentur aduersarij humanæ indifferentiæ pro statu præsenti naturæ nostræ.

Art. 20. Alter ex ijs habetur dicto lib. 5. de Ciu. c. 10. Vbi August. defendit libertatem arbitrij contra obiectionem desumptam ex scientia, & prouidentia Dei, & cum ostendisset, nullam indè in nos coactionem redundare; eaque interseruisset, quæ modò indicata sunt de libertate diuinorum; accedit propè finem capitis ad libertatem, quæ nostras operationes reddit morales, ac imputabiles, ab illis verbis. *Proindè non frustra sunt leges, obiurgationes &c.* vtque hoc demonstret, addit immediatè: *Neque enim ideò peccat homo. quia Deus illum peccaturum præsciuit; imò non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit; qui si nolit. omninò non peccat: sed si peccare noluerit, & hoc ille præsciuit.* Ergò ex mente Augustini eodem in loco, in quem recurrunt aduersarij, requiritur ad imputabilitatem, verumque conceptum peccati, primam rationem, cur illud sit, esse, quia ipsum est; tolliturque libertas moralis, si ideò peccat homo, quia Deus præsciuit, quia fatum, fortuna, aut aliquid aliud impulit, vtique ineuitabiliter. Patet autem dari aliquid eiusmodi, si datur, quod sufficit ad auferendam indifferentiam, quodque solam relinquat libertatem à coactione propriè dicta, vt volunt aduersarij veritatis.

Art. 21. Alter locus est ex c. 105. Ench. vbi sic habet Augustinus: *Sic enim oportebat priùs hominem fieri, vt & benè velle posset: & malè: nec gratis, si benè; nec impunè, si malè. posteà verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio. Multo quippe liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit seruire peccato.* Verum his verbis perperā fidūt aduersarij pro astruenda libertate à sola coactione, tanquam vel sufficiente ad moralitatem, & imputabilitatem, vel vnicè existente in nobis pro statu præsenti. Primò quia vbi adstruit Augustinus libertatem, quā fundat imputabilitatem id est libertatem ratione cuius nec gratis quis benè vult, nec impunè

punè poteſt male velle;manifeſtè adſtruit libertatem antecedènter indifferentem, vt benè velle poſſit, & malè. Deindè Auguſtinus eiuſdem libertatis ſic indifferentis tranſmutationem in libertatem, quæ liberat à poteſtate peccandi, ſolùm agnoſcit in ſtatu beatitudinis. Aduerſarij autem eandem libertatem à poteſtate peccandi adſcribunt re ipſa omnibus viatoribus nõ peccantibus de facto,de quo aliàs. Demũ ratio, ob quam Auguſtinus liberrimum, & liberius, quàm modò ſit, dicit arbitrium pro ſtatu beatitudinis, eſt conſequens ad præcedentia. Quia ſcilicet adhærebit vltimo fini inſeparabiliter, quod eſt conforme ſummæ inclinationi hominis ideòque alieniſſimùm à coactione; nihil tamen conferens ad imputabilitatem operationis,eiuſdemque moralitatem meriti, & demeriti capacem, vti ex eodem Auguſtino deductum eſt. Nēpè beata illa libertas à coactione non eſt idonea ad merendum, ſed merces meriti, vti ipſe dicit c. 11. de corr.& gr. nec non eodem illo c. 105. & duobus proximè ſequentibus.

Art.21. His ità expoſitis in vniuerſum, vix quidquam neceſſe eſt ſingillatim dicere circa multa illa teſtimonia Auguſtini, quæ congerunt aduerſarij aduerſus indifferèntiam arbitrij noſtri pro ſtatu præſenti. Concedimus enim libenter in primis voluntatem noſtram eſſe liberam etiam libertate ſufficiènti ad imputationem reſpectu operationum ſuarum exteriorum ambulandi, videndi, loquendi, & ſimilium,dum ad eas, vel oppoſitas non cogitur propriè ab extrinſeco,quia ſecluſa coactione propriè tali nihil datur de facto ſecundum veritatem, quod auferat indifferentiã reſpectu earum operationum,ideòq. ſubſunt eo ipſo indifferenter noſtræ liberæ poteſtati.Nam,vt optimè definit Auguſtinus c.31. de ſpir. & litt. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur,quod ſi vult ,facit ſi non vult, nõ facit*; ideſt, huius faciendi, & non faciendi prima ratio, primaque determinatio exiſtens in homine eſt voluiſſe, & noluiſſe ipſum hominem.

Nempè sensus spurè conditionalis intentus ab aduersarijs in hoc loco, & in alijs similibus est insipidus, ac alienus à scopo, & mente Augustini, vtpotè communis potestati amentium, atque brutorum, vt moueantur, & quiescant, aliaque similia: cùm Augustinus intenderit exponere *in potestate habere*, quod est proprium hominis operantis cum deliberatione, atque indè habētis potestatem volendi, & non volendi, faciendi, & non faciendi longè diuersam sub ipso conceptu potestatis ad vtrumlibet oppositorum à potestate amentium, & brutorum.

Art. 22. Concedimus rursus, voluntatem quamlibet esse aliquatenus liberam, atque etiam liberrimam, quodam sensu, esse posse, ad omnes operationes, tam internas. quàm externas, ad quas non cogitur ab extrinseco, licet aliundè subsit antecedenti vnius determinatè partis necessitati. Quia eo ipso est libera ab omnibus impedimentis operandi conformiter ad propriā innatam, aut elicitam inclinationem, vt iam, ex mente Augustini expositum est. Fatemur insuper, simulque animaduertimus, licet ad libertatem, qualis ex fide, & ratione naturali, atque ex mente Augustini, iuxta superiora fundamenta, conuenit homini etiam lapso, absolutè requiratur exclusio, cuiuslibet necessitatis simpliciter antecedētis, seù omniino ineuitabilis à nobis, nec sufficiat exclusio solius coactionis propriè talis; ad stabiliendam tamen eandem libertatem, quæ est verà ad vtrumlibet indifferentia suffecisse Augustino agenti contra Manichæos, & Pelagianos solam coactionis propriè dictæ exclusionem. Quia vtrique negabant legitimam, eandemque catholicam arbitrij libertatem, propter solam coactionem propriè dictam; Manichæi absolutè; Pelagiani ex suppositione gratiæ assertæ à Catholicis, De Manichæis cōstat id satis ex dictis suprà de eorū errore. De Pelagianis id ipsū deprehēditur facilè ex frequētibus eorum apud Augustinum querelis, ipsiusque Augustini responsionibus. Semper enim conquerentur

tur Pelagiani; si Dei gratia trahuntur homines, atque ex nolentibus, fiunt volentes, inuitos eos agi, & vi, non voluntate facere. Augustinus verò respondet vbique, non propterea cogi homines, aut inuitos agere, sed volentes, & propria voluntate, adeòque liberè.

Art. 23. Audiatur in specimen cæterorum, quod dicunt, vtrique l b. 1. ad Bonifac. cap. 18. *Hominem Dei opus defendimus*, inquiunt Pelagiani, *nec ex illius potentia, vel in malum, vel in bonū inuitum aliquem cogi; sed propria voluntate, aut bonum facere, aut malum. Ad hæc respondemus*, ait Augustinus, *non ex Dei potentia, vel in malū, vel in bonum inuitum aliquem cogi.* Et paucis interiectis addit; *Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur, vt velit.* Et iterum, *Trahitur ergò miris modis, vt velit, ab illo, qui nouit, intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant* (quod absurdum inferebant Pelagiani ex gratia Catholica) *sed, vt volentes ex nolentibus fiant.* Hoc idem fuisse totius quoad hoc punctū controuersiæ cardinem, constat quodammodo clariùs ex lib. contra litt. Petiliani c. 184, *Quomodo attrahit*, ait Augustinus, *si dimittit, vt quis, quod voluerit, eligat? Et tamen vtrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Itaque libertatem electiuam, adeòque ad vtrumlibet indifferentem, ratione cuius homo non est bonus, si nolit; idest, ratione, cuius prima determinatio, vt non sit bonus, est ipsum nolle esse bonum. Hanc, inquam, libertatem statuit Augustinus contra Pelagianos sola coactionis exclusione ad eum ferè modum, quo eandem libertatem, & indifferentiam statuunt alij SS. PP. Sola exclusione fati, fortunæ, influentiæ astrorum dominantis homini, nec non plures Theologi sola exclusione physicæ prædeterminationis, aut decreti prædefinitiui simpliciter antecedentis, & gratiæ intrinsecè efficacis, & sic de alijs eiusmodi, iuxtà sensum, & locutionem pe-

culiarem aduersariorum cum quibus pugnabant, aut pugnant.

Art. 24. Quapropter, sicut ineptè ageret, qui impugnatorem fati, ex. gr. eiusque solius exclusorem pro tuenda libertate arbitrij, diceret eo ipso sentire libertatem arbitrij manere illæsam excluso fato, tametsi subsit astrorum dominio, coactioni Manichææ, aut cuiuis alij necessitati simpliciter antecedenti; ità ineptissimè faciunt, qui suadere nituntur Augustinianæ arbitrij libertati nihil obesse necessitatem quamlibet simpliciter antecedentem, atque illā integram illæsamque seruari, dummodo excludatur coactio propriè dicta, & asseratur libertas ab eadem coactione, eo quod Augustinus pro sui temporis opportunitate, vt notum est, de sola egerit coactione propriè dicta in disputationibus aduersus Manichæos, & Pelagianos, illiusque solius expressa impugnatione statuerit libertatem arbitrij, qualē ratio naturalis multipliciter demonstrat, & sacræ litteræ, atque Concilia sæpè definiunt & clarè, atque idem Augustinus asserit quàm clarissimè; idest indifferentiam ab omni simpliciter antecedenti necessitate solutam, vt ex omnibus hucusque productis fundamentis liquidò constat. Huiusmodi igitur libertas indifferentiæ, quæ sola nomine libertatis absolutè prolato intelligitur communiter à Theologis, inest homini certissimè.

Art. 1. Ad 1. Neutrum eorum, quæ sunt incompossibilia, & repræsentantur ab intellectu, tanquam excedens, & excessum, habet vim cogendi, penitusque constringendi voluntatem ad prosecutionem sui, tametsi omnibus consideratis iudicetur absolutè melius. Quia id, penes quod excedit extremum minus bonum, habet vim sufficientem alliciendi, ac pertrahendi voluntatem ad se; quandoquidem eatenus, & est obiectum proportionatum voluntati, & nō continetur in extremo opposito absolutè meliori, & consequenter non habet rationem puri mali,

sed

sed potiùs rationem boni eatenus præeminentis, comparatione extremi absolutè melioris. Dictum autem est, plura inter se incompossibilia eo modo proponi voluntati ab intellectu. Nempè quòd talis vnicuiq. videatur finis, qualis ipse est, siuè qualitate indiuiduali indita sibi à natura, siuè qualitate habituali acquisita per repetitionem actuum similiũ, non ità verificatur, vt id solum vnicuiq. videatur bonum, atq. omninò præferendum, ad quod potissimùm inclinat dispositio, vel indiuidualis vel habitualis; sed ità adsummũ, vt illud ipsum appareat quidem, & iudicetur absolute melius, quàm oppositum eius, agnita nihilominus aliqua ratione bonitatis, secundum quam excedat, sitque proinde elegibile, ac præferibile idem extremum oppositum. Nulla namque præponderantia inclinationis, siuè indiuidualis, siuè habitualis spoliare potest intellectum vniuersalitate sibi connaturali, ratione cuius aduertere, & proponere valeat voluntati eas aliorum bonorum incompossibilium prærogatiuas, secundum quas superant terminum vtriusuis, aut vtriusque eius inclinationis, & propter quas consequenter eundem eiusmodi inclinationis terminum reijcere voluntas, atque absolutè postponere possit iuxtà dicta. Vnde fit, vt naturà, aut habitu, aut vtrinque, auari, vel ignaui. ac pusillanimes liberaliter nihilominùs, aut fortiter, atque etiam prodigè, ac temerariè nonnunquam operentur; & sic de alijs.

Art.2. Galenus appellat animi mores inclinationes, & appetitiones indeliberatas eius, quas certum est naturaliter exurgere conformes temperamento corporali. At eadem conformitas non verificatur, nisi in plerisque, & plerumque, quoad mores sumptos pro actibus deliberatis, ratione quorum laudantur homines, & vituperantur. Augustinus tangit profundiorẽ difficultatem, sed de qua vix quidquam necesse sit in præsenti differere, quia multa dicta sunt opportuniùs in q.34. de Deo. Summa intentio-

nis Augustini est, nos nihil boni agere posse, absque cogitatione congrua gratiosè à Deo collata, cui, & quando vult, atque in sensu composito eius cogitationis ex suppositione, quòd sit congrua, non posse à nobis suspendi, ac impediri actum, ad quem datur. Verùm quia ea suppositio à nostra libera facultate descendit, atquè à nobis fieri potest, ne detur, vt ostensum est in loco modò indicato, propterea neutrum eorum quidquam nocet indifferentiæ arbitrij nostri.

Ad 2. Quando proponuntur duo media cum mutuo vtriuslibet supra alterum excessu, quoad aliquid, eò ipso vnumquoduis eorum proponitur ad modum vnicè requisiti ad summum gradum fælicitatis: Eo namque ipso suggerit intellectus de vtroque medio, tale illud esse, quo deficiente necessariò defuturus sit ille gradus in felicitate, qui respondet excessui eiusdem medij supra medium oppositum, ideòque felicitatē non fore summam, nisi ipsum adhibeatur. Ad neutrum igitur ex talibus medijs determinatè sumptum necessitatur voluntas ex intentione felicitatis in summo gradu necessariò præconcepta.

Art. 1. Ad 3. Transeat voluntatem ad neutrū ex omninò æqualibus esse indifferentem, si simul sint omninò similia inter se, seù nō appareat intellectui vlla dissimilitudo bonitatis inter illa. Ex quo solùm sequitur voluntatem non posse eligere minus bonum omisso meliori, in quo reperiatur omnis ratio bonitatis conueniens bono minori, & aliquid amplius. Ex. gr. auarum non posse præferre Iulium duplioni nec famelicum vnciam libræ panis, cæteris paribus. At si duo aliqua comparentur inter se tanquam excedens, & excessum, ita vt in neutro appareat omnis ratio bonitatis, quæ repræsentatur in altero. Negatur voluntatem non posse indifferenter ferri ad vtrumlibet eorum, tametsi de neutro concludere valeat intellectus, quòd sit abso-

absolutè melius altero. Quia in hoc casu ex vtralibet parte apparet ratio bonitatis specialis, quæ voluntatem allicere ad se, ac determinare possit, vt dictum est. Eadem de causa potest eligi minus bonum, relicto absolutè meliori cognito, vt tali, si adsit nihilominus excessus, quoad aliquid ex parte medij absolutè minùs boni. Exempla confirmationis solùm militant, vt patet, pro priori illo euentu æqualitatis coniunctæ cum similitudine quoad omnem rationem bonitatis, & conuenientiæ.

Art. 2. Dicendum præterea est, voluntatem posse indifferenter eligere vtrumuis ex duobus omninò, & æqualibus, & similibus in bonitate, dummodò iudicetur expedire magis, vel absolutè, vel quoad aliquid, quod eligatur alterutrum, quàm quòd prætermittatur vtrumque. Ex, gr. famelicum posse eligere vtrumlibet ex duobus panibus sibi oblatis cum æquali vtriuslibet quoad omnia bonitate, & conuenientia respectu sui; & similiter posse Intelligentiam liberè determinare mobile, seu agens sibi subordinatum, ad vtrumlibet ex motibus, seu effectibus æquè conuenientibus quoad omnia, quoties videt melius illi esse moueri, & agere, quàm quiescere, & otiari. Quia videlicet intellectus potest discernere rationē indiuidualem vtriusuis ex æqualibus simulque similibus in bonitate, ac proinde potest determinari voluntas ex directione intellectus, cum adest causa impellens ad faciendam, electionem, licet nulla detur causa impulsiua ad hanc potiùs electionem, quàm ad alteram. Nec enim, vt sequatur effectus determinatus, necesse est adesse causam magis inclinatam, vel inclinantem ad hoc indiuiduū, quàm ad aliud, independenter ab electione; sed sufficit adesse causam contentiuam vtriusque, & magis inclinatam ad vtriusque omissionem, dummodò simul adsit vis discretiua vnius rationis indiuidualis ab alia; quæ discretio non deest intellectui, deest verò tam formaliter, quàm

æquiualenter appetitui purè innato, qui proptereà in casu simili indiget Intelligentia determinante, vt dicitur in confirmatione obiectionis; & de facto ità euenit in productione omnium ind uiduorum. Quia semper sunt possibilia plura omninò æqualia ei, quod producitur de facto.

Art. 1. Ad 4. Intellectus post adhibitam consultationem de medijs in ordine ad consecutionem finis præintenti, non semper concludit tale determinatum medium vnicè adesse necessarium ad illam, & sufficiens; sed sæpè inuenit plura talia media, atque concludit singulis eorū inesse specialem aliquam bonitatem, secundum quam vnumquodque præcellit cæteris, & consequenter ratione eiusdem est præferibile cæteris, eisdemque omissis eligibile. Ergò subordinatio, & dirigibilitas voluntatis respectu intellectus, non repugnat liberæ, ac indifferenti electioni eius inter plura. Imò seruatâ proportione modi operandi connaturalis vtrique potentiæ, necesse est, vt voluntas sæpè eligat indifferenter.

Art. 2. Ad priorem confirmationem; Quod est purè mobile, de necessitate confirmatur adæquatè mouenti; non verò quod est mobile se mouens; qua de causa intellectus prætergreditur limites phantasiæ, & obiectorum, per quæ mouetur, atque pertingit ad vniuersalia & spiritualia, non obstante illorum materialitate, & restrictione ad particularia. Eadem igitur de causa voluntas, quæ est mobile vel maximè se mouens, præditum peculiari actiuitate, & modo agendi, mouetur indifferenter, & electiuè, tametsi intellectus moueatur ex se præcisè cum necessitate, & determinatione antecedenti. Quia proponit nihilominùs voluntati eligibilia indifferenter per ipsam, ad eum ferè modum, quo phantasia proponit intellectui abstrahibilia per ipsum.

Art. 3. Ad posteriorem confirmationem. Nā

se

se habet finis ad electiones, & eligibilia, sicut se habent principia ad conclusiones, & scibilia cũ omnimoda similitudine, sed solùm cum quadã proportione. Vndè sicut intellectus præcognito principio effectus contingentis, non determinatur de necessitate ad iudicium de futuritione determinatè, vel non futuritione: ità voluntas præintento fine consequibili per plura media, ad neutrum eorum determinatur de necessitate, sed prolibito ad vtrumlibet. Quia videlicet nec intellectus iudicat de aliquo eorum, ipsum determinatè sumptum necessariò adhiberi debere.

Art. 1. Ad 5. Voluntas nostra est potentia subordinata Deo, & subordinans sibi appetitum sensitiuum; sed cum hoc discrimine, quòd ipsa subordinatur perfectè, & adæquatè, quoad omnes suos actus, & effectus, diuinæ voluntati beneplaciti; non tamen sic subordinat sibi appetitum sensitiuum; vtpotè non habens, super illum, dominium despoticum, sed politicum, ratione cuius posterioris imperfectæ, & inadæquatæ subordinationis, dicitur ab Apostolo: *Non quod volo bonum*, nempè non concupiscere aduersus rationem. *hoc ago: sed quod odi malum*, nempè concupiscere aduersus rationem *hoc ago*, vti exponit Augustinus lib. 3. contra Iulian. c. 26 quatenus voluntas impedire non potest quo minus appetitus sensitiuus renitatur, actu suo, prosecutioni, & executioni honesti. Ratione verò, prioris subordinationis perfectæ, & adæquatæ dicitur ab eodẽ Apostolo velle, & currere non esse hominis volentis, & currẽtis. Cor regis esse in manu Dei; Deũ operari in nobis, atque in ipso esse viam nostram, quatenus necesse est necessitate conditionata, & consequenti, vt homo velit, ac operetur in tempore, quod Deus præordinauit ab æterno, vt ille vellet, & operaretur.

Art. 2. Verùm neutrum horum tollit indifferentiam arbitrij humani, quia non obstante renitenG 6 niten-

nitentia concupiscentiæ, quæ omninò tolli, aut distrahi ab actu suo non potest, potest voluntas eligere; ac exequi quod honestum est, sicut & omittere. Quæ autem dicuntur tum affirmatiuè de diuina supra actus nostros potestate, atque dominio; tum negatiuè de nostra insufficientia, ac impotentia, solam intendunt exprimere subordinationem hominis insufficientis ex se præcisè, respectu Dei ex se præcisè sufficientis, atque omnia primitùs præordinantis; nec tollunt sufficientiam, & cooperationem eiusdem hominis quatenus adiuti à Deo, & verò adiuti modo sibi connaturali, adeòq. fouenti potiùs, ac perficienti indifferentiam eius per media, & comprincipia intrinseca ad id opportuna. Deus enim ita vult, & præordinat, atque peragit, quidquid benè volumus, ac facimus, vt simul velit, ac præordinet modùm volendi, ac faciendi nobis connaturalem, adeòque liberum, ac indifferentem. Hac enim de causa confert nobis in tempore ea media, & auxilia, cum quibus præuidit quidem infallibiliter nos ea omnia præstituros esset, quæ ipse præeleg t ab æterno, sed quibus vim minimè indidit ligandi, atque rapiendi fataliter voluntatem nostram, aut tollendi ab eadem potestatem simpliciter antecedentem impeditiuam præscientiæ diuinæ. ac proindè & præordinationis, qualis præexistit de facto, sub his determinatè comprincipijs & circumstantijs, vti fusiùs explicatum est in dicta q. 34. de Deo. Ex his patet etiam ad 6.

Ad 7. Dicendum cum D. Thom. 1. q. 115. art. 4. ad 3. *Quòd plures hominum sequuntur passiones, quæ sunt motus appetitus sensitiui, ad quos cooperari possunt corpora cælestia, pauci autem sunt sapientes, qui huiusmodi passionibus resistant. Et ideò Astrologi vt in pluribus vera possunt prædicere, & maximè in communi, non autem in speciali. Quia nihil prohibet hominem per liberum arbitrium passionibus resistere; vndè & ipsi Astrologi dicunt, quòd sapiens homo dominatur astris, in quantũ scilicet*

licet, dominatur suis passionibus. Passiones enim in vnoquoque principaliùs, ac vniuersaliùs licet non vnicè, & adæquatè, exurgunt iuxta aspectū, impressionem, & influxum astrorum respectu cuiusque, & iuxta temperamentum corporis indidem præcipuè proueniens, sed ab eo, & à phantasia ità dependet ratio humana, & appetitus rationalis, vt tamen eisdem absolutè dominetur, vt potè transcendens eorum limites, atque vniuersalior existens, quoad obiecta, & motiua, ad quæ emergit, quæque considerat cum speculatiuè, tum practicè, absque organo corporeo, ideòque potest exire à serie operationum, & effectuum præscripta per astra.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum voluntas ad omne appetibile, omnibusque suis actibus feratur indifferenter?

VIDETVR ità ferri. 1. Quia quod vnicuique potentiæ conuenit intrinsecè ex sua natura, non potest pati varietatem in vllo ejus actu ex varietate extrinseca obiectorum. Præualet enim, quod est intrinsecum, omnibus extrinsecis. Necesse igitur est, vt voluntas feratur indifferenter ad omne suum obiectum, & omni suo actu; cum sit potentia indifferens intrinsecè ex sua natura, vt dictum est.

2. Si quod obiectum imponeret voluntati necessitatem prosecutionis, aut fugæ; illud maximè esset summum bonum, & summum malum neutrum autem necessitatem imponit, vt patet in pluribus, qui propter delectabilia sensus, & alia ejusmodi, auertuntur à Deo, qui est summum hominis bonum; & conuertuntur ad peccatum, quod est summum hominis malum. Nullius ergò, aut persecutionis, aut fugæ necessitas incumbit voluntati ex vllo obiecto. Nullo autem obiecto imponente necessitatem, nullus actus potest euadere necessarius.

3. Circa ea omnia est libera electio, de quibus est consultatio, & inquisitio. Quia electio, est appetitus præconsiliati; vt dicitur 3. Ethic. c.3. Consilium autem, & inquisitio est de omni obiecto volibili. De ijs namque omnibus consultatio, & inquisitio esse potest, de quibus dubitatio aliqua, & ignorantia esse potest, vt dicit D. Thomas ex Damasc. lib. 2. fid. Orthod. c.22.

6.22. De omni autem volibili contingit dubitare, & ignorare. Quia dubitatio, & ignorantia de vltimo fine continet in se virtualiter, & implicitè dubitationem,& ignorantiam circa cætera omnia. Dubitatur verò, & inesse ignorantia potest de ipso vltimo fine; alij enim eum constituunt in summo bono, quod est Deus; alij; idque multipliciter, in rebus creatis, vt dictum est; suprà.

4. Omnes actus humani habent aliquam bonitatem coniunctam cum aliqua imperfectione, seu defectu perfectionis. Omnes igitur actus humani habent, vndè indifferenter acceptentur & eligãtur vel omittantur ac reijciantur á volũtate pro libito, qualecumq. demũ sit obiectũ eorũ.

Art.1. *Respondetur.* Neque ad omnia obiecta, neque semper ad eadẽ, nec ad omnes actus possibiles circa singula, neque semper ad eosdem conuenit voluntati libertas indifferentiæ. Quia de ratione voluntatis; quatenus proximè indifferentis est, vt apparet ex quæstione præcedenti, Primum, vt sit ad opposita, & inuicem incompossibilia bona. Deindè, vt adsit præcognitio comparatiua eorum inter se, & discretiua excessus, quoad aliquid, ex pàrte vtriuslibet ipsorum supra alterum; Demum; vt nil simpliciter antecedat ex parte actus primi incompossibile intrinsecè, aut connexum cum alterutro ex extremis indifferentiæ determinatè sumpto. Non autem omnia obiecta voluntatis sunt; eiusmodi, nec semper respectu eorundem, vel obiectorum, vel actuum, adest voluntati eiusmodi præcognitio, & exclusio, omnis incompossibilis aut connexi. Non igitur ad omnia obiecta. omnesque actus circa singula obiecta, nec semper ad eadem, vel eósdem, inest voluntati indifferentia saltem proxima.

Art.2. Et quidem manifestum imprimis est, non omnem rationem bonitatis esse incompossibilem cum aliqua alia ratione bonitatis. Quia ratio boni vt sic reperitur in omni bono particu-

ticulari, ideòque cum nullo bono est incompossibilis. Rursus felicitas, seu bonum perfectũ, si quidem ex suo conceptu est perfecta omnium bonorum aggregatio, nulli opponitur appetibili sub eo conceptu, sed omnia, & quælibet alia bona, quatenus bona sunt, sunt vel ipsa felicitas, vel pars felicitatis, aut aliquid ad eam conferens. Prætereà nihil respectu cuiusquam habet rationem boni, nisi relatè ad existentiam ipsius. quandoquidem non existenti nihil prodesse, sicut nihil obesse potest. Quapropter omne appetibile, & conueniens respectu cuiusque, includit in suo conceptu, vel in recto, vel in obliquo esse, seù existentiam eiusdem. Eadem denique ratione, & maiori, existentia Dei secundum se cum nullo appetibili est incompossibilis. Quia omne aliud appetibile dependet essentialiter à Deo tanquam causa vniuersali, & vnicè requisità essentialiter ad existentiam cuiusque, omniumque, & singulorum aliorum bonorum, quorum vnusquisque est capax. Ergò neque respectu boni vt sic; & felicitatis, seù boni perfecti, neque respectu sui secundum se, neque respectu Dei, vt causæ primæ, conuenit cuiquã indifferentia ad volendum, & nolendum. Quia videlicèt hæc omnia recurrunt saltem implicitè in omni alio volibili, suntque necessaria, vt detur quoduis aliud volibile.

Art. 3. Manifestum prætereà est circa bona alia particularia inuicem incompossibilia, & excedentia inuicem secundum aliquid, ideòque capacia absolute ex natura sua, circa quæ voluntas versetur indifferenter, & electiuè iuxtà dicta suprà. Manifestum, inquam, est circa eiusmodi obiecta, priùs concipi ab intellectu cognitionem apprehẽsiuam bonitatis conuenientis vnicuique eorum secundum se, quàm cognitionem, vel comparatiuam eorum inter se, vel etiam repræsentatiuam imperfectionis, aut malitiæ conuenientis vnicuique eorundem secundum se. Primò quia simplicia sunt priora compo-

posi-

positis,& affirmationes negationibus. Deindè quia intellectus faciliùs, ac priùs elicit cognitiones magis conformes sensui incapaci compositionis, & diuisionis, nec non cognitionis negationũ,ac priuationũ; distanti verò magis à cõpositione & diuisione intẽtionali,seù à cognitione cõparatiua, quàm à perceptione vniuscuiusq; negationis, seù priuationis secundum se; quatenus, cõparatio duorum extremorum inter se superaddit aliquid perceptioni negationis conuenientis vtriuis eorum respectu alterius, ideòq;præsupponit per se in homine,vtpote operante dependenter à sensum talem perceptionẽ absolutam vtriusuis extremi secundum se.Cum ergò cognitio boni secundum solam rationem bonitatis necessariò inducat in voluntate complacentiam circa ipsam; eàdemque ratione necesse sit, vt pari necessitate subsequatur in voluntate displicentia aliqua ad cognitionem imperfectionis, & malitiæ secundum se; apparet clarè etiam circa obiecta absolutè capacia, quæ terminent electionem liberam, antecedenter ad ipsam existere in volunate simplicem,tum complacentiam bonitatis, tum displicentiam imperfectionis,seù malitiæ eorum seorsim, & secundũ se, adeòque non omnes actus voluntatis circa talia etiam obiecta esse liberos, sed præmitti aliquos actus necessarios, ad quos deindè subsequantur electiones liberæ; sicuti subsequuntur in intellectu assensus,& dissensus post simplices apprehensiones terminorum.

Art. 4. Obseruandum est vlteriùs,ad præferendum rationaliter,& electiuè vnum obiectum alteri, non sufficere, quod vtcunque cognoscatur vnum alteri præeminere, seù mutuò,seu non mutuò, aut quòd iudicetur bonitatem vnius esse tantam, vt re ipsa præcellat alteri; sed necesse insuper esse, vt adsit tum discretio veri à falso, saltem probabilis, tum abstractio complexionis contradictoriæ æquiualens abstractioni entis, vt sic, De necessitate huius abstractionis dictum

est,

est, quantum ad præsens sufficit in q. præcedenti. Discretio veri à falso est necessaria, quia bonum vt vnum, cognitum vt verum & reale, mouet multò magis, quàm bonum vt decem, aut centum, aut mille, præscindens à veritate, & realitate; & si quidem cognoscatur esse falsum, ac impossibile, nihil prorsùs mouere potest, saltem ad actum efficacem. Ergò vt detur præferibilitas vnius comparatione alterius, seu vt cognoscatur vnum quatenus præferibile alteri, oportet, vt adsit cognitio discretiua veri à falso; nullaque poterit subsequi electio formaliter talis, & libera non præeunte eiusmodi discretione. Abstractio illa vniuersalis, & vis ista discretiua deest, vel vtraque simul, vel saltem altera pueris, & decrepitis, ante, & post determinatum quoddam tempus; dormientibus, & ebrijs, amentibus, & furentibus, aut deficientibus ex passione, ideòque ijs omnibus deest libertas indifferentiæ.

Art. 5. Et quidem necesse est dormientibus deesse omnem veri à falso discretionem, dicēte August. lib. 12. super Gen. ad litt. c. 2. quòd in somno adhæret anima similitudini, tanquā ipsi rei. Nempè intellectualis discretio veri à falso dependet à simili discretione facta per sensum, quoad ea sensibilia, quibus mediantibus assurgit intellectus ad singula intelligibilia. Dormiētibus autem deest omnis discretio veri à falso pertinens ad sensum. Quia nullus illis est sensuū exteriorum vsus, qui tamen soli sunt discretiui veri à falso, vtpotè immediatè perceptiui obiectorum, vt sunt in se; solusq. proindè superest vsus sensus communis, seu phantasiæ, quæ æqualiter est possibilium, & impossibilium, absque vlla ex se præcise vi discernendi inter illa, licet ex se præcisè sit idonea, quæ inseruiat abstractionibus intellectus quas propterea sæpè facimus etiam dormientes. Pueris è conuerso, & decrepitis, tametsi insit vis discretiua veri à falso propter vsum legitimum sensuum exteriorum,

rum, deest tamen vis abstractiua rationum vniuersalium, & comparatiua complexionis contradictoriæ In pueris quidem propter nimiam ex nimio calore raritatem, & dissipationem spirituu vitalium deferentium phantasmata; in senibus verò propter nimiam ex nimio frigore condensationem, & coagmentationem eorundem spirituum: tum etiam propter nimiam in pueris redundantiam humiditatis, & vaporum opprimentium, ac confundentium, imagines rerum inexistentes phantasiæ, & propter eorundem defectum in senibus debilitatiuum, & extenuatiuu spirituum, & consequenter imaginum illis insidentium. Ex his namq. omnibus impeditur actiuitas, & inspectio intellectus, quominus perfectè secernere, & abstrahere possit rationes communes à particularibus, ad eum ferè modū, quo impediuntur oculi, quominus perfectè legant propter nimiam dissipationem, aut contractionem caracterum, & propter nimium atramentum illis superinfusum, aut propter defectum eiusdem, nimiamue exilitatem. Nempè intellectus inspicit, & quasi legit in phantasia, & spiritibus vitalibus, sicut oculi in charta, ideòque impeditur ille ex phantasia malè disposita, sicut impediuntur isti ex caracteribus non benè dispositis, aut non satis eminentibus.

Art. 6. Idem malum euenit in ebrijs ex redūdantia vaporum, & ex nimio, ac irrequieto cerebri calore, ferè vt in pueris. In amentibus, & in perturbatis, ex subito impetu, ac prædominio passionis, non est vniformis vniuersaliter causa phantasiæ indispositæ, & rationis indè impeditæ; sed in quibusdam is defectus est similis defectui puerorum; In alijs defectui decrepitorum iam explicato. Alijs enim peruertitur phantasia ex nimio calore, alijs ex nimio frigore cerebri permanenter insidenti, aut repentè inducto ad tempus: & ex simili discrepantia quoad redundantiam, aut extenuationem humiditatis, & vaporum, prouenienti, vel ex constitutione

cuius-

cuiusque physica, vel ex nimia quorundam obiectorum apprehensione causatâ vel per vehementiam alicuius sensibilis, vel per meditationẽ diuturnam, & deordinatam eorum obiectorum, & per immanentem subindè memoriam eius, cũ proportionali deordinatione, ijs igitur de causis, de quibus alibi fusiùs dicendnm est, deficit In his omnibus libertas indifferentiæ circa ea etiam obiecta, & actus, circa quæ, & per quos indifferenter ferri posset voluntas per se, vel ex natura ipsius voluntatis, & obiectorum secundum se.

Art.7. Postremò existente etiam cognitione perfecta, tum quoad abstractionem, tum quoad discretionem, & æstimationem veri, & falsi circa obiecta, quæ voluntas indifferenter prosequi, ac reijcere potest absolutè; potest nihilominùs eidem circa eadem deesse proxima indifferẽtia, quoad aliquos actus inducta ad eos necessitate, ac determinatione proxima per alios priores actus. Sicuti enim intellectus admissis præmissis non potest impediri, quo minus assentiatur conclusioni, licet impediri absolutè potuisset, quominus assentiretur præmissis, & consequenter conclusioni: ita etiam voluntas præhabita intentione efficaci alicuius finis non potest suspendere, in sensu composito talis intentionis, electionem medij propositi per intellectum tãquam vnicè necessarij; multò verò minùs potest idem medium odisse. Quia videlicet sicut assensus præmissarum est implicitus assensus conclusionis; ità intentio efficax finis est implicita volitio efficax medij vnicè requisiti ad illum. Vndè si posita intentione finis, posset nihilominus suspendi volitio medij vnici, aut adiungi nolitio eius; posset vtique idem simul esse volitum, & nolitum, aut non volitum ab eodem, cognita identitate voliti cum nolito, aut non volito. Quod repugnat; quia sicut repugnat idem à parte rei esse, & non esse simul, aut simul esse à parte rei aliquid essentialiter incompossibile cum

illo

illo: ità repugnat, vt dentur simul tú in intellectu affirmatio, & negatio eiusdem secundum idem, aut affirmationes incompossibilium, ſagnita identitate, & incompossibilitate, tum in voluntate assimiles volitio, & nolitio, seu non volitio, aut volitiones incompossibilium; nẽpè actus intellectus, & voluntatis sunt compossibiles, & incompossibiles mutuò iuxtà compossibilitatem, & incomposibilitatem obiectorum, circa quæ versatur, propter inclinationem innatã vtriusque potentiæ ad conformitatem sui cum obiectis, ipsarumque perfectionem consistentem vnicè, & adæquatè in ea conformitate seù passiua, vt in intellectu, seù actiua, vt in voluntate. *Præexistente igitur intentione efficaci finis electio vnici medij*, quæ deindè subsequitur non est libera libertate distincta ab ea libertate; qua præconcepta fuit eadem intentio, sed tantum est libera mediatè per extrinsecam denominationèm, sicut actiones exteriores imperatæ à voluntate. Eadem autem est ratio, vt patet, de quolibet alio actu præsupponenti pro priori naturæ alium actum intrinsecè connexum cum ipso, vndècunque demum proueniat ea connexio. Ex his itaque omnibus apparet, neq; quoad omnia obiecta, neque quoad omnes actus circa obiectum aliquod, neque sub omni dispositione, aut pro omni tempore conuenire indifferentiam proximam voluntati nostræ, & quibus circa ea omnia exceptionibus ipsa subsit. Quia verò exceptio, & ratio exceptionis firmat, atq; conuincit regulam in contrarium, indidẽ simul apparet, circa quæ & quatenus, & quando eadem indifferentia eidem supersit voluntati, quod tamen ipsum apparebit aliquantò distinctiùs ex dicendis infrà, præsertim q. 16.

Ad 1. Omnis libera, & contingens operatio voluntatis fundatur in aliqua eiusdem operatione necessaria, & ab ea tanquam à suo principio dependet: sicut omnis conclusio scientifica fundatur in aliquo principio per se noto, atque ab eodem

eodem dependet. Omnis enim libera electio est ordinatio alicuius ad aliquid aliud iam præintentum, ideòque, ne detur processus in infinitum necesse est, vt voluntas ex sua natura sit jntrinsècè determinata ad intentionem efficacem alicuius finis, quem contemnere, aut reijcere minimè possit. Vndè nulla voluntas creata, aut etiam ipsa increata est indifferens, vel proximè, vel remotè ad omne obiectum, omnemq; actum. Voluntas verò creata, vt sit proximè indifferens respectu alicuius obiecti, & actus, indiget alijs comprincipijs sibi superadditis, quæ multiplici de causa possunt deficere, vt dictum est, ideòque fieri potest, vt sæpè illi desit proxima indifferentia respectu eorum etiam obiectorum, & actuum, vel omnium, vel aliquorum, ad quæ est remotè indifferens ex sua natura.

Ad 2. Sicut contingit idem simul cognosci, ac affirmari sub vno conceptu, atque ignorari sub alio; ità etiam contingit idem simul esse volitũ, & nolitum, seu contemptum eodem modo, & quod perindè est, idem ab eodem sub vno conceptu esse volitum efficaciter, simulque nolitũ, seù contemptum sub alio conceptu. Hoc igitur pacto omnes necessariò volunt Deum sub conceptu causæ primæ, seù causæ vnicè requisitæ ad existentiam suam, nec non sub conceptu suæ felicitatis, & summi sui boni. Hæc videlicet, quæ formaliter vt talia sunt necessariò volita, sunt realiter identificata cum Deo. Fieri nihilominus potest, vt contemnatur, & odio habeatur Deus, & de facto contemnitur, atque odio habetur à pluribus, & sæpè, quatenus est auctor aliorum quorundam effectuum, nempè legum præcipientium abstinentiam à pluribus delectabilibus sensus; postpositionem bonorum præsentium, respectu futurorum; prælationem auctoritatis reuelationisque diuinæ, comparatione rationum humanarum; nec non, vt est auctor pœnæ æternæ propter peccatum commissum in instanti, & sic

de

de alijs contradicentibus sensui, aut rationi inordinatæ. Eadem ferè ratio est proportionaliter de amore summi mali sumpti materialiter, ac identice, licet sub conceptu miseriæ & summi mali necessariò odio habeatur ab omnibus. Verùm de hoc dicendum est iterum infrà.

Ad 3. Circa amabilitatem, & amorem boni vt sic, & felicitatis, seu proprij boni, adæquati, & perfecti, nulla est, aut esse potest consultatio, sed solùm institui ea potest circa rationem, seù entitatem determinatam, aut circa collectionem rerum, in qua ea consistit reipsa. Eadem autem est proportionalis ratio de amore necessariò vltimi finis, & de amore libero circa id, in quo ille consistit reipsa, vt liquet ex responsione præcedenti. Electiones porrò humanæ plerumque fiunt dependenter ab intentione efficaci vltimi finis sub solo conceptu confuso felicitatis secundum se, atque ab appetitione efficaci, vt vnicuique benè sit, ideòque fiunt cum indifferentia proxima ad eligendum honestè, & ad peccandū, & non solùm ad electiones honestas inter se inæquales, quæ est proxima indifferentia propria prædiligentis Deum super omnia ex suppositione, quòd iam sic prædiligat.

Ad 4. Imperfectiones communes omnibus actibus humanis sunt malum, aut quasi malum ineuitabile homini, ideòque non possunt sufficere ad libertatem electionis; quia libera electio est eorum tantùm, quæ in nostra potestate est, vt sint, vel non sint, aut vt habeantur, vel non habeantur. Deindè non omnis defectus perfectionis habet rationem mali, seu obiecti fugæ, sed solus defectus perfectionis vnicuique debitæ inesse. Non autem debetur nobis, aut nostris actibus exclusio omnis imperfectionis, vt patet. Ergo non omnis imperfectio est obiectum fugæ, seù liberæ, seù necessariæ, respectu nostri.

QVÆ-

QVAESTIO XIV.

Vtrum libertas in actu secundo sit adæquatè intrinseca actibus liberis?

VIDETVR, non esse adæquatè intrinseca, sed esse denominationem inadæquatè extrinsecam. 1. Quia potentia libera adæquatè sumpta includit in se duas potentias; alteram eliciendi actum, alteram omittendi eundem, aut eliciendi actum oppositum. Nulli autem actui est intrinsecum adæquatè, vt dependeat à potentia eliciendi ipsum, & simul à potentia omittendi eundem, aut eliciendi actum oppositum: sed hæc vtraque potentia se habet omninò peraccidens, respectu vniuscuiusuis actus seorsim sumpti. Nullus itaque actus procedens à potentia libera est particeps perfectionis conuenientis tali potentiæ adæquatè sumptæ. Nulli igitur actui libero est adæquatè intrinsecum vt sit liber in actu secundo, sicut potentiæ ipsi liberæ est adæquatè intrinsecum, vt sit libera in actu primo. Imò quia termini duplicis eiusmodi potentiæ non solùm disparatè, sed etiam opposito modo se habent; non solùm vtrilibet eorum est per accidēs, quòd simul detur potentia ad alterum; verùm etiam conuenit per se, & essentialiter vtrilibet eorū, vt dum ipse existit, nihil prorsus influat potentia ad oppositum terminum, formaliter vt talis; vtque perindè adsit in voluntate, atque si nullatenus existeret in rerum natura. Ergò nullus terminus, nullumque exercitium potentiæ liberæ oritur àb eadem, vt libera est adæquatè;

quin

quin potiùs est illi essentiale, vt altera ex potentijs constituentibus libertatem in actu primo, vel non detur re ipsa à parte rei; vel perindè se habeat, atque si non daretur à parte rei reipsa; Nec minùs repugnat actioni, vt oriatur à potẽtia libera, quatenus libera adæquatè, quàm repugnat esse actionem, & omissionem sui simul; seu esse volitionem, & nolitionem, formalem respectu eiusdem & obiecti, & potentiæ.

2. Eo ipso quòd intelligatur, actionem oriri à voluntate quatenus potente illam producere, simulque adesse voluntati specificatiue, & à parte rei potentiam omittendi eandem actionem, intelligitur formaliter illam esse liberam. Id autem intelligitur, quin intelligatur, potentiam omittendi, quatenus omittendi potentia est, exhibere influxum aliquem in eam actionem, aut actionem ab ea dependere. Aliud nempè est, vnam potentiam adesse alteri; aliud simul cum illa exhibere formaliter suum concursum. Ergò absque influxu potentiæ omittendi, & dependentia ab illa, intelligitur formaliter libertas actionis, ac proindè intelligitur intellectis ijs solis prædicatis ipsi adæquate intrinsecis, quæ haberet, si procederet à voluntate necessariò operante. Quod patet. Quia voluntas præcisè quatenus potens elicere aliquem actum, nihilo differt à se ipsa vt operante necessariò; ideòque quatenùs talis præcisè, non potest communicare actioni vllum prædicatum ipsi adæquatè intrinsecum, quod non communicaret, si operaretur necessariò.

3. Voluntate eliciente amorem erga Petrum per duo instantia, potest Deus exhibere pro primo instanti concursum indifferentem ad eum actum, & ad omissionem eiusdem; pro secundo verò, concursum determinatum ad amorem, negato omni concursu ad omissionem. Nec enim dici potest in hoc euentu amorem elicitum pro primo instanti, deficere pro secundo, & substi-

H tui

cui alium distinctum specie à priori. Quia supponitur Deum solummodò negare concursum pro secundo instanti ad actus incompossibiles cum amore, non verò ad amorē. Nequit autem actus amoris destrui per solam negationem concursus ad omnes actus, & determinationes voluntatis incompossibiles cum ipso: quandoquidem remotio incompossibilium cum effectu præexistenti, potiùs confert ad conseruationem eius. Confirmatur paritate; quia intellectus potest conseruare eundem assensum, datâ, & ablata potestate ad dissensum illi contrarium; idemque cernitur proportionaliter in alijs causis circa effectus disparatos. Nihil autem obstat quo minus dicatur idem eodem modo de voluntate, & eius actionibus, seù actuum omissionibus.

Confirmatur denuò, quia actus abstractiuus intellectus circa obiectum contingens est intrinsecè indifferens, vt sit verus, vel falsus, & potest subesse vtrilibet denominationi, prout acciderit existere, vel non existere obiectum, de cuius ratione est, vt sit comprincipium intellectus. Ergò similiter actus voluntatis circa obiectum particeps bonitatis simul & malitiæ, est indifferens intrinsecè, vt sit liber, vel necessarius, & potest subesse vtrilibet denominationi iuxtà diuersitatem influxus diuini, qui cooperatur voluntati nostræ.

Confirmatur rursus; Quia idē actus potest elici pro vno instāti ex vi alterius, actus efficaciter, & omninò determinatè imperantis pro priori naturæ; pro alio verò instanti, quin præcedat vllum tale imperium. Quilibet namque actus voluntatis habet sufficientem bonitatem in se, ratione cuius præintendi efficaciter, & determinatè imperari possit; sicut præintenduntur, ac imperantur actiones exteriores; & prætereà respicit ex parte obiecti, circa quod versatur, peculiarem bonitatem sufficientem, quà sola mouente determinari possit immediatè voluntas ad illud volendum. Ergò idem actus potest transire

sire de libero in necessarium immediatè, & è conuerso. Patet consequentia; quia dum elicitur actus ex vi imperij efficacis, & omninò determinati, non est immediatè liber, vtpote elicitus à voluntate iam intrinsecè prædeterminata ad vnum pro priori naturæ: ob rationem verò contrariam est immediate liber, dum elicitur absque tali imperio, existentibus, vt supponitur, cæteris requisitis.

4. Libertas contrarietatis est partim extrinseca actibus liberis ea libertate. Ergò & libertas contradictionis, ac proinde omnis libertas in actu secundo. Consequentia non indiget probatione, si ponatur puram omissionem repugnare, vt dicetur in quæstione sequenti. Probatur absolute; quia non aliter comparantur requisita ad omissionem cum requisitis ad actum contradictorium, quàm comparentur requisita ad vnum actum positiuum cum requisitis ad actum alium positiuum incompossibilem cum illo. Vtraque enim requiruntur ad indifferentiam, neutra ad influxum. Probatur iam antecedens primùm paritate, quia respectu caloris, ex. gr. est per accidens, & extrinsecum, quòd procedat à causa, simul potente proximè producere frigus, vel non potente neque proximè, neque remotè illud producere. Eadem autem est ratio de amore comparato cum potentia proxima ad odium, aut alium actum incompossibilem cum amore. Deinde à priori: quia nulla pars perfectionis, nullumque prædicatum conueniens amori continetur, vel etiam inadæquate, in requisitis, seù comprincipijs superadditis pro potentia proxima ad odium, aut ad alium actum incompossibilem cū ipso amore. Ergò respectu amoris per accidens se habet, quod eiusmodi alia requisita præexistant, vel non præexistant, ideoque ex se præcisè est indifferens, vt eliciatur cum libertate, vel absque libertate.

5. Peccatum essentialiter ineuitabile absque auxilio gratiæ intrinsece supernatu-

rali, non connectitur intrinsecè cum eodem suxilio gratiæ intrinsecè supernaturali; ergò non omnis actus liber connectitur intrinsecè cũ omnibus requisitis, ad hoc vt eliciatur liberè; sed potest, quantum est ex se, existere sine libertate. Consequentia patet ex se consideranti. Probatur antecedens; quia nihil naturale connecti potest intrinsecè cum existentia doni alicuius supernaturalis, nullumque peccatum potest esse intrinsecè supernaturale. Quæ duo principia sunt indubitata apud Theologos. Peccatum autem, de quo est antecedens, in hypothesi eiusdem antecedentis, quòd sit intrinsecè peccatum, & ex consequenti intrinsecè liberum, vel dicendum est intrinsecè supernaturale, vel admittendum est esse ex vna parte naturale, & ex alia parte connexum cum aliquo supernaturali, nempè cum eo auxilio gratiæ, quo sublato non datur libertas ad vitationem eius:

6. Quæ obstant existentiæ alicuius, nihilque agunt aliud toto suo conatu, quàm vt illam impediant, non possunt ità ad illam iuuare, ac requiri, vt illis ablatis existere id minimè possit, vel etiam diuinitus. Quod quidem omninò videtur indubitabile; quia vnumquodque eò existit faciliùs, quò pauciora, ac debiliora renituntur existentiæ eius; id verò facillimè, cui nihil renititur. Ergò remotione impedimẽtorum nihil impediri potest quominùs existat. Posset autem actus liber sola eiusmodi remotione impediri, quo minùs existeret, si esset liber libertate sibi adæquatè intrinseca; quia actio essentialiter libera connectitur essentialiter cum omnibus comprincipijs, & requisitis complentibus voluntatem, eandemque impellentibus in ordine ad omissionem, seu actionem contrariã, quæ per se ipsã formaliter est impeditiua prioris actionis, atque essentialiter incompossibilis cum eadem. Ergò repugnat actioni liberæ, si supponatur esse intrinsecè ac essentialiter libera, vt existat non præexistentibus ijs, quæ toto conatu

conatu nituntur impedire existentiam eius, & non modo non existet faciliùs amotis impedimentis auocantibus voluntatem ab eius productione, quin potiùs eo ipso certissimè nō existet, nec poterit existere.

7. Dilectio Dei pro statu viæ, & patriæ, seu disponens ad beatitudinem, & beatifica; sunt eiusdem speciei; quia est idem vtriusque motiuum adæquatum: & tamen altera est libera, & altera necessaria; seu altera indifferenter elicita, altera absque indifferentia, vt est in confesso apud omnes. Ergò diuisio actus humani in liberum, & necessarium, non est generis in species, sed subiecti in accidentia, seù per partes dissidentes inter se, sola denominatione extrinseca prouenientе à potentia sic, vel sic disposita in actu primo.

Art. I. Respondetur. Omnis actus, liberè ac indifferenter elicitus, ex suo conceptu est essentialiter comparatiuus eorum extremorum, inter quæ versatur libertas arbitrij, vtpotè, intrinsecè prosecutiuus vnius, & reiectiuus alterius; perfectiuus, & actuatiuus inclinationis præuiæ ad vnum, & impeditiuus, ac superatiuus inclinationis præuiæ ad alterum; ac demum contentiosus & pugnax, adhærens vni motiuo, cum victoria alterius trahentis ad oppositum; sicut enim fieri non potest, vt voluntas præuenta cognitione repræsentante plura motiua inuicem incompossibilia non succumbat alicui ex illis, eidemque adhæreat per aliquam in actu secundo determinationem suæ indifferentiæ: ita fieri non potest, vt non reijciat motiua, seù motiuum oppositum, atque fugiat ab eodem, determinando se ad hoc posterius in actu secundò, perindè atque determinatur ad illud priùs. Nempè indifferentia voluntatis in actu primo est necessitas vaga non minùs ad cohibendam, ac superandam alterutram ex inclinationibus sibi inexistentibus ad opposita, quàm ad alterutram acceptandam, atque redigendam

positiuè in actum secundum; sicut defectus indifferentiæ prædeterminatiuus voluntatis ad vnum est necessitas determinata parendi inclinationi cuidam præuiæ determinatæ, ac determinanti ad vnum, eandemque reducendi in actum secundum. Quapropter actus voluntatis liberè elicitus hoc habet essentialiter ex suo conceptu vt exerceat eandem, & reducat in actum secundum non minùs quatenùs potentem omittere, ac contemnerè motiuum, quod reijcit, & contemnit de facto, atque resistere inclinationi præuiæ ad illud, eandemque superare; quàm quatenus potentem amplecti, seù prosequi, & præferre motiuum, quod amplectitur, seù prosequitur, & præfert de facto, atque conformari inclinationi præuiæ ad illud, eidemque succumbere. Ergò actus liberè elicitus ex conceptu suo est intrinsecè, ac essentialiter exercitium potentiæ liberæ, vt libera est, adæquatè sumptæ, seù est intrinsecè, ac essentialiter determinatio voluntatis quatenùs potentis proximè agere simul, & non agere; seu agere hoc, & oppositum; atque adeò est illi adæquatè intrinseca libertas in actu secundo, non secus, atque est adæquatè intrinseca libertas in actu primo voluntati quatenus coniunctæ cum omnibus requisitis ad agendum, & non agendum; ad agēdū hoc, & oppositū; ac proindè differt intrinsecè ab actu elicito cū necessitate præuia ad ipsū.

Art. 2. Confirmatur, & explicatur paritate, intellectus. Actus opinatiuus differt intrinsecè à cognitione euidenti. Ergò actus voluntatis liberè elicitus differt similiter intrinsecè ab actu necessario. De antecedenti nemo dubitat. Ratio paritatis est. Quia sicut actus opinatiuus oritur ab intellectu quatenus distracto per motiua inuicem opposita cum vi vtriuslibet eorum sufficienti ad trahendum illum in suas partes propter præuiam apparentiam vtriuslibet eorum, vt præponderantis alteri, quoad aliquid, cognitio verò euidens oritur ab eodem quatenus

nus præalligato vi vniusmotiui dominantis eidem propter manifestam apparentiam præuiam ipsius, quatenus vndequaque præponderantis rationibus in contrarium: Ita etiam actus liber, & electiuus oritur à voluntate, quatenus distracta, atque in partes oppositas vocata per plura motiua proportionaliter sibi inuicem præponderantia, quoad aliquid. Actus verò necessarius oritur ab eadem præallecta motiuo vndequaque præponderanti hìc & nunc omnibus oppositis. Cum ergò voluntas sit potentia essentialiter imitatiua intellectus, quoad suos actus & modos operandi, quod multiplici comparatione demonstrari facilè potest; dicendum est, actum, qui est liber, & electiuus, intrinsecè; ac essentialiter esse talem, atque intrinsecè differre ab actu necessario, sicut differt actus opinatiuus ab euidenti.

Art. 3. Comparatio ista voluntatis cum intellectu præcludit vel maximè aditum occasioni erroris, qui vt videtur irrepsit in aduersarios, ex comparatione voluntatis cum potentijs exterioribus, seu ex consideratione illius ad modũ illarum, quæ nimirum sunt magis notæ, vtpote patẽtes ad sensum immediatè, ideoq; idoneæ ad pertrahendum intellectũ non satis attentum ad existimationem de operatione voluntatis assimilem experientiæ, quæ habetur de operationibus potentiarum exteriorum. Nempè motus manus, vel pedis inductus necessariò à dormiente, nihilo differt intrinsecè à motu liberè imperato à vigilanti, & vterque est eiusdem speciei in se intrinsecè; & prætereà potentia productiua motus localis orientem versus, aut motus velocis, per accidens se habet, respectu motus occidentem versus, aut motus tardi, & perindè sequitur quoad modum, & substantiam prior motus, siue adsit simul, siuè nõ adsit potẽtia proxima ad motũ posteriorem; & sic de similibus. Hinc igitur emanasse videtur existimatio, quod simile quid contingat in voluntate. Verũ

oportuit contulisse illam cum potentia potiùs superiori intellectus, cui est assimilis in modo operandi, quàm cum potentijs exterioribus, à quibus propè differt infinitè; Maximè verò omnium quoad hoc, quòd voluntas est potentia comparatiua extremorum, quæ cadunt sub ipsam; electiua inter eadem, atque primò determinatiua suæ indifferentiæ per actionem quasi decretoriam inter inclinationes sibi inuicem repugnantes, atque victricem immediatè per se ipsam, eorum omnium, quæ militant pro parte opposita. Vndè clarissimè apparet discrimen intentum inter voluntatem et potentias exteriores, quibus nihil eiusmodi conuenit. Quia verò eæ rationes discriminis conueniunt æqualiter voluntàti, quoad omnia motiua & circumstantias, ad quæ est indifferens; propterea concludendum est, actui voluntatis liberè elicito esse adæquatè intrinsecam, & essentialem, omnem libertatem, cum qua de facto elicitur, siuè ea sit libertas contrarietatis, siuè sit libertas contradictionis; siuè quoad substantiam motiui, siue quood circumstantias obiectiuas.

Ad 1. Voluntas, pro eliciendo quolibet suo actu immediatè libero, vtitur comprincipijs inclinantibus & influentibus in illum positiuè, quatenus valentibus impedire comprincipia inclinantia, & potentia influere positiuè in actum oppositum. Vnde actus ipse liber essentialiter dependet à potentia liberà, adæquatè sumpta, & præsupponit per se tum potentiam actiuam, ac eliciuam sui; tum potentiam omissiuam, & suspensiuam sui, seu actiuam, ac elicitiuam actus oppositi: illam quidem, vt influentem positiuè; istam verò, vt influentem negatiuè. Argumentum solùm probat potentiam agendi, & potentiam non agendi, seu suspendendi, aut potentiam ad actum oppositum, inclusas in conceptu potentiæ liberæ non posse vniformiter comparari cum vnico, eodemque actu, neque hunc posse vno eodemque modo depen-

dere

dere per se ab vtraque, nempe, vt ab influente, vel simul positiuè, vel simul negatiuè; quod sponte conceditur: sed nihil, concludit ad propositum; quia superest alius modus simul atque indiuisim dependendi per se ab vtraque ea potentia, nempe disconformiter, vt dictum est; sicut motus bilancis quatenus in tali determinatè gradu tardus, aut velox, dependet à ponderibus inæqualibus vtrimque appositis, & sibi inuicem renitentibus; & sicut idem actus dilectionis erga Deum, & odij aduersus peccatũ, dependet simul à bonitate vnius, & à malitia alterius.

Ad 2. Negatur intelligi posse processionem, & dependentiam alicuius actus à voluntate, potente omittere ipsum, aut elicere actum oppositum, quin eo ipso intelligatur dependentia per se eiusdem actus à potentia etiam omittendi, aut eliciendi actum oppositum. Quia eo ipso intelligitur voluntatem liberè, ac electiuè reniti per suum actum inclinationi ad omissionem eius, aut ad actum oppositum, eodemque actu contemnere, ac superare eandem inclinationem, & impedire potentiam ad omissionem, aut actum oppositum. Quapropter actus electiuus procedens à voluntate sic disposita indifferenter ad vtrumlibet oppositorum, per se ipsum intrinsecè ac formaliter est exercitium positiuum potentiæ ad vnam partem, & impeditio potentiæ ad partem oppositam, & consequenter neutra potentia sè habet purè concomitanter, & per accidens respectu ipsius, nec potest ab altera eorum seorsim sumpta accipere omnia prædicata sibi intrinseca.

Art. 1. Ad 3. Sicut Deus est indifferens, vt cooperetur, vel non cooperetur causæ secundæ dispositæ, quantum est ex se, ad producendum calorem; non tamen est indifferens, vt cooperetur ad producendum frigus, sed si velit illi cooperari, necesse est, vt cooperetur ad producendum calorem; & similiter necesse est, vt coope-

retur ad assensum, vel ad nihil cooperetur intellectui præuento solis apprehensionibus motiuorum inducentium ad assensum, cumque vel opinatiuum, vel euidentem, iuxtà conditionē apprehensionum; aut præmissarum: Ità etiam est indifferens, vt cooperetur, vel non cooperetur absolutè voluntati præuentæ cognitione indifferenti, &, quantum est ex se; respicienti indifferenter vtrumlibet oppositorũ; nō tamen est indifferens, facta eà suppositione, ad exhibendum influxum, vel determinatum determinatione simpliciter antecedenti, vel determinatum determinatione simpliciter consequenti; sed necesse est, vt vel nullatenus cooperetur, vel cooperetur ad influxum determinatum determinatione simpliciter consequenti, & impedibili absolutè à voluntate creata, quatenus à Deo disposita ad agendum liberè, & electiuè, per dispositionem eidem intrinsecam. Quia videlicet voluntas creata non potest determinari in genere causæ formalis, per solam diuinam voluntatem sibi extrinsecam, ad operandum aliter, quam ferat dispositio ipsi intrinseca, & ab eadem diuina voluntate illi prouisa; eò vel maximè, quia est potentia rationalis, ideòque incapax huc, vel illuc moueri, aut determinari aliter, quàm per rationem proponentem talia, vel talia motiua. Impossibile igitur est, vt actus aliquis transeat de liberò in necessarium propter successiuam diuersitatem diuinæ voluntatis, nihil præoperantis in voluntate antequàm eliciat actum suum. Quod si aliquid prætereà præoperetur in voluntate, atque in ipsam inducàt aliquid intrinsecè inhærens, prædeterminatiuum in vnam partem; eo ipso actus prodibit diuersæ speciei, quia prodibit à principio proximo adæquato diuersæ speciei, quatenus est diuersæ speciei, vt patet ex dictis.

Art. 2. Ad primam confirmationem: dicendũ est similiter assensum elicitum ab intellectu, quan-

quantum est de se, æquè potente potentia proxima ad assensum, & dissensum, esse diuersæ speciei ab assensu, elicito absque eiusmodi potestate Quia in priori euentu actus est opinatiuus, vel fidei; in posteriori verò euentu est actus scientiæ, quem patet esse intrinsecè diuersum ab vtroque illo priori actu. Negatur igitur antecedens, & retorquetur potiùs argumentum, iuxta superius dicta ar,.2. & 3. circa eandem comparationem.

Art.3. Ad secundam confirmationem: cognitio abstractiua circa obiectum contingens, dependet, quoad entitatem ex motiuis, quibus assentitur, & quibus dissentitur. Quoad veritatem verò, & falsitatem, dependet ex eo, quòd ipsum contingens detur, vel non detur à parte rei. Fieri autem potest, vt ea motiua sint prorsus eadem, dato, & non dato à parte rei ipso contingenti, de quo est affirmatio, vel negatio, ideòque fieri potest, tum vt sit vera, tum vt sit falsa cognitio manente inuariata in se intrinsecè entitate eius. At fieri non potest, vt motiua, quibus adhæret, & quibus resistit actus voluntatis, & à quibus proinde, vt sibi propositis ab intellectu, dependet quoad entitatem, maneant similiter inuariata, et vno eodemque modo proposita ab intellectu, voluntate operante liberè, eademque operante necessariò, vt patet ex dictis in ista, & præcedenti quæstione. Patet igitur nullam esse paritatem rationis.

Art.4. Ad tertiam confirmationem. Actus efficaciter, & omninò determinatè imperans alium actum, seu quoquo modo omninò prædeterminans efficaciter voluntatem ad alium actũ se ipso formaliter, & præcisè ex vi sui motiui superat omnem difficultatem, omniaque motiua auertentia ab actu imperato; ideòque actui imperato, ex quo sic imperatus est, nihil superest præstandum in hoc genere, sed adhæret motiuo suo peculiari, absque resistentia, & victoria-

motiui cuiusquam contrarij, neque est comparatiuus motiuorum inuicem incompossibilium, vt potè non repugnantium amplius sibi inuicem, aut contendentium de victoria. Opposita omnia conueniunt actui immediatè libero, minimèque præimperato efficaciter, & omninò determinatè. Differunt ergò intrinsecè, actus ità imperatus, & non imperatus, ac proinde fieri minimè potest, vt idem actus transeat de non imperato in imperatum, aut è conuerso. Quapropter actus immediatè liber habet bonitatem amabilem reflexè, vel actu gaudij consequenti ad existentiam ipsius, vel amore purè concomitanti, vel desiderio sui pro tempore antecedenti; non verò amore efficaci, & determinato priori prioritate naturæ; quia quoad hoc est manifesta ex modò dictis ratio discriminis inter ipsum, & actiones exteriores.

Ad 4. Negatur antecedens, ex quo rectè ibi infertur ea consequentia. Ad primam illius probationem. Causæ purè physicæ non sunt comparatiuæ effectus, quem producunt, cum effectu, quem prætermittunt, aut impediunt, sicut dictum est, esse comparatiuam voluntatem, quatenùs liberè eligentem: ideòque non tenet paritas. Ad alteram probationem à priori; licet comprincipia requisita ad odium. Ex.gr. nullum prædicatum, nullamque perfectionem peculiarem conferant directè amori; conferunt nihilominus indirectè, quatenùs necessitant voluntatem, vt non eligat amorem, nisi conferendo ipsi prædicatum intrinsecum resistentis motiuis allicientibus ad odium, eademque reijcientis vt dictum est sæpè.

Ad 5. Peccatum, e.g. infidelitatis, essentialiter ineuitabile absque auxilio gratiæ supernaturali, est intrinsecè connexum cum ipso, non tamen ob id est supernaturale, sed potiùs est intrinsecè infranaturale. Quia intrinsecè est deterius ex genere suo, quàm peccatum vitabile, & perpetrabile, nullo præexistenti com-

prin-

principio ſupernaturali, ex parte voluntatis; quatenùs quod non eſt vitabile abſque gratia ſupernaturali, ſe ipſo formaliter ac intrinſecè reſiſtit illuſtrationi, & inſpirationi ſupernaturali; contemnit motiuũ ſupernaturale, & auertitur à Deo, vt auctore ſupernaturali, quod quidẽ eſt deterius ex genere ſuo, quàm contemnere motiuũ honeſtum naturale, & auerti a Deo ſolùm vt auctore naturali, atque reſiſtere cognitioni, & complacentiæ vocanti ad hæc bona. Oppoſitum enim & priuatiuum melioris eſt deterius. Supernaturale autem dicitur aliquid, quia ratione ſuæ perfectionis excedit, quæ ſunt debita naturæ; non verò quia ratione ſuæ imperfectionis, & malitiæ, excedit mala poſſibilia ex vi naturæ ſecundum ſe, eàque de cauſa connectitur cum donis ſupernaturalibus, ; præcise propter contemptum illorum ſibi intrinſecum.

Ad 6. Actio intrinſece victrix difficultatum, non poteſt exiſtere niſi difficulter, id eſt, niſi præexiſtentibus ijs, quæ conantur impedire exiſtentiam eius: ſicut ingratitudo non poteſt exiſtere, niſi præexiſtenti beneficio, quod tamen mouet ex ſe ad gratitudinem, & omiſſionem ingratitudinis. Nec extitiſſent martyres, niſi extitiſſent Tyranni, quorum tamen conatus directè, & principaliter erat, ne illi eſſent martyres ſed idololatræ. Dictũ autem eſt, actum liberè elicitum, eſſe intrinſecè ſuperatiuum difficultatum, quas ingerunt motiua allicientia ad oppoſitum. Imponitſquoad hoc exemplum operationum externarum, quarum difficultates quatènus valentes impedire exiſtentiam ipſarum, ſuperantur immediatè per actus internos, ideoque neceſſe nequaquam eſt, vt tales operationes varientur intrinſecè, ex eo, quòd adſint, vel deſint difficultates auocantes voluntatem ab imperio interno ipſarum, & certius eſt eſſe exturas, ſi non adſint difficultates, vel adſint minores. Quare argumentum ſolùm conuincit de huiuſmodi actionibus, & effectibus purè phyſi-

cis, vt potè non comparatiuis eorum, quæ sunt pro, & contra, iuxta obseruationem præmissā suprà art.3.

Ad 7. Quo vtuntur Ripalda, & nonnulli alij, patet ex dictis suprà q. 4. Adde rationem præcipuam ibi traditam distinctionis specificæ inter dilectionem Dei in via, & in patria, confirmari posse à simili ex D. Thoma de verit. q. 14. art. 8. ad 3. vbi probat diuersitatem specificam fidei, & visionis, his verbis: *Veritas prima est obiectum visionis patriæ, vt in sua specie apparens; fidei autem, vt non apparens. Vndè, & si idem re sit vtriusque actus obiectum, non tamen est idem ratione: & sic formaliter differens obiectum diuersam speciem actus facit.*

QVAE-

QVAESTIO XV.

Vtrum possibilis sit pura omissio libera?

VIDETVR esse possibilis. 1. Quia in cuius potestate est, vt velit, & nolit, est etiam eo ipso, vt velit & purè non velit, seù vt suspendat præcisè actum volendi. Ex eodem namque motiuo, ex quo potest nolle aliqu id, seù directè, seu reflexè; potest etiam purè non velle, seù suspendere actum volendi, absque vllo actu nolendi. Nempè quod sufficit ad plus, eo ipso sufficit ad minùs.

2. Non solùm vtrilibet ex eligibilibus, & electionibus seorsim, inest imperfectio, ob quam liberè reijci possit à voluntate; sed etiam vtrique simul, seù simultati vtriusque. Quia fieri nō potest, vt in collectione imperfectorum, seù quorum singulis inest imperfectio aliqua, desint imperfectiones; maximè si eadem illa singula non sint inuicē perfectiua sui, qualia profectò sunt extrema omnia, circa quæ versatur libertas humana. Ergò eadem ratione, quà potest voluntas reijcere vnumquodlibet motiuum, & omittere vnamquamlibet electionem positiuam seorsim; potest etiam reijcere, & omittere totam collectionem motiuorum, & actuum positiuorum. Quod est purè omittere, seù exercere libertatem, absque aliquo actu positiuo.

3. Libertas juxta communem, & ab omnibus receptam diuisionem eius; alia est contrarietatis, seu quoad specificationem; alia contradictionis, seu quoad exercitium tantùm. Similiter

præ-

præcepta alia sunt affirmatiua, alia negatiua; & consequenter peccata, alia sunt cõmissionis, seù transgressionis, alia omissionis. His autem diuisionibus nullus esset locus, si repugnaret pura omissio libera, quà videlicet negata omnis libertas versaretur inter duos actus positiuos, seu directos, seù reflexos, vel alterum directum, alterum reflexum; atque omne præceptum, si quidem ex suo conceptu obligat ad aliquod determinatum exercitium libertatis, obligaret ad aliquem actum positiuum, nullaque posset esse obligatio ad solam negationem actus. Ac demum sicut in conceptu cuiusuis peccati includitur exercitium libertatis, includeretur etiam actus aliquis positiuus, cuius productio dicitur commissio.

4. Eo ipso, quòd voluntas sit libera ad aliquem suum actum, est etiam libera ad maiorem, vel minorem intensionem eius. Nec enim fieri potest, vt sit libera ad substantiam actus, quin sit libera, vt ad illum adhibeat pro libito conatum, quantum volet, seù maiorem, seù minorẽ. Nam quod permittit, vt nullus adhibeatur conatus, permittit vtique, vt quantum libet paruus adhibeatur. Ergò si contingat voluntatem in nullo suo actu velle adhibere summum conatum, hic & nunc absolutè possibilem, nec possit purè omittere vllam partem conatus possibilis hic & nunc pro determinanda intensione primi actus directi, erit necessarius alius actus reflexus, & rursus alius pro determinanda intensione primæ reflexionis, & sic in infinitum. Dabitur ergò processus infinitus in actibus; quod est inconueniens. Idem inconueniens sequitur ex potestate libera volendi, & nolendi reflexè quemlibet actum directum per alium reflexum, & hunc per alium sine fine: cuilibet enim actui libero inest, & bonitas, & difficultas, ratione quarum est volibilis, & nolibilis, seù non volibilis reflexè, redeunte semper eadem ratione nouæ reflexionis natura prioris, neque vllus actus, seu di-

rectus,

rectus, seu reflexus, seu volitiuus, seù nolitiuus, potest esse impeditiuus noui actus reflexi natura prioris respectu sui; quia non potest impediri, quod est natura prius, per id, quod est natura posterius. Ergò si nulla ex reflexionibus possibilibus posset purè omitti, daretur necessariò infinita actuum series, quoties elicitur liberè aliquis actus.

5. Actus liberè elicitus, libere conseruatur, cum peculiari pro singulis instantibus potestate, ac indifferentia ad volendum, & nolendum vlteriorem conseruationem eius. Ergo si nulla voluntatis indifferentia posset exerceri, ac determinari per puram omissionem, necessarij essent, pro conseruatione cuiusque actus liberi, tot alij actus realiter inter se distincti, quot essent instantia, seu partes temporis inuicem discernibiles per intellectum, pro quibus continuaretur conseruatio actus. Quod per se apparet incredibile, & ex eo ostenditur esse falsum; quia quæ se solis sufficiunt ad primam existentiam rei, sufficiunt quoque se solis ad conseruationem eius; nec fieri potest, vt permanente causa adæquata effectus, non permaneat sufficientia ad conseruationem eius, tametsi nihil superaddatur aliud. Siquidem ergò actus liber potest elici pro primo instanti, absque alio actu circa eam durationem ipsius, poterit similiter conseruari, nullo alio superaddito actu circa conseruationem. Ergò nolitio libera conseruationis potest suspendi per puram eius omissionem.

6. Deus potest purè omittere omnes suos actus liberos circa res creatas. Ergò & voluntas creata. Patet consequentia. Quia voluntas creata, quatènus libera, est Domina sui actus, sicut Deus sui, & est participatio, ideòque imitatio libertatis diuinæ, quoad ea, de quorum conceptu non est infinitas, quæ sane non est de conceptu omissionis. Antecedens non potest in dubium reuocari iuxta sententiam de

con-

constitutione, seu cõplemento intrinseco actuũ Dei liberorum per aliquid extra Deum, Quia fieri potest, vt nihil detur a parte rei distinctum à Deo, sed detur pura negatio omnium distinctorum à Deo. Manifestum autem est nihil positiuum quatenus tale, & quatenus diuersum ab alio positiuo, vti est diuersum non volens à volenti, constitui, aut compleri posse intrinsecè per aliquid purè negatiuum.

Deinde probatur vniuersaliter antecedens. Primò, quia tam nihil interest Dei vtrumque extremum contradictionis, seu contrarietatis cuiusuis creatæ, siue copulatiuè, siue vagè consideratum, quàm nihil interest eiusdem vtrumlibet extremorum seorsim, & determinatè sumptũ, Nihil igitur creatum, nullaque complexio creata, vtcumque considerata potest inducere in Deum necessitatem, seù vagam, seù determinatam exercendi alicuius actus positiui circa obiecta creata, sed potest de facili contemptim, & purè omissiuè se habere, circa ipsa. Deinde maior, magisque ampla adstruitur indifferentia in Deo, si dicatur indifferens etiam ad purè omittendum; Indifferentia autem digna Deo, quæque proinde necessariò ipsi inest, est maxima, & summè ampla. Denique nulla peccata potest velle Deus, cum sit de conceptu peccati, ut sit contra legem, voluntatemque diuinam; sed neque dici potest nolle Deum ea peccata, quæ perpetrantur de facto; cum sit impossibile id fieri, seu euenire, quod Deus, non vult, vt fiat, seu eueniat, iuxta illud Gen. 50. 19. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Ergò diuina voluntas purè omittit peccata, quæ committit voluntas humana.

Art. 1. Respondetur, Indifferentia proxima voluntatis ad quemlibet actum electiuum, includit in suo conceptu intentionem efficacem finis. Nemo enim eligit medicinam, aut pugnam, aut studium, nisi præintenta sanitate, aut victoria, aut scientia; & sic de alijs eiusmodi. Nempe

finis

finis ſe habet in eligibilibus, ſicut principium in demonſtrabilibus, vt dicit Philoſ. 2. Phyſ. tex. 89. & alibi. Vndè ſicut intellectus non poteſt elicere concluſionem, niſi præcognito principio, ex quo illa ſequitur; ità voluntas non poteſt eligere medium, niſi præintento fine, ad quem illud ordinatur. Intentio autem efficax finis non minùs neceſſitat voluntatem ad volendum efficaciter, atque eligendum aliquod ex medijs ſibipropoſitis, quando plura proponuntur ab intellectu, quàm neceſſitat ad volendum efficaciter medium, quod proponitur tanquam vnicum. Quia qui vult aliquid, neceſſe eſt, vt velit omnia requiſita ad illud, dependentia à ſua voluntate, nec fieri poteſt, vt ea purè omittat prout dictum eſt q. 13, ar. 7. Tam autem neceſſarium eſt vagè, ac indeterminatè aliquod medium reſpectu finis conſequibilis per vtrumlibet ex pluribus, quàm neceſſarium eſt determinatè medium vnicum reſpectu finis non conſequibilis, niſi per illud. Ergò intentio efficax finis non minùs neceſſitat vagè, ac indeterminatè ad aliquem actum electionis quando ſuppetunt plura media, inter quæ verſatur indifferentia voluntatis, quàm neceſſitat determinatè ad actum electionis vnici medij; ac proindè tam fieri non poteſt, vt voluntas purè omittat omnia media collectiuè, ad quorum quodlibet determinatè ſumptum eſt indifferens, quàm fieri non poteſt, vt purè omittat medium, quod ſibi proponitur, tanquam vnicè requiſitum. Ergò indifferentia voluntatis eſt eſſentialiter coniuncta cum neceſſitate vaga ad aliquem actum electionis; nec fieri poteſt; vt determinetur per puram omiſſionem omnium collectiuè, & electionum, & elegibilium.

Art. 2. Rurſus indifferentia voluntatis includit in ſuo conceptu inclinationes ad oppoſita, & inuicem incompoſſibilia, vt dictum eſt ſuprà quibus proindè omnibus impoſſibile eſt, vt ſimul, ac collectiuè, ſatisfiat. Impoſſibile igitur eſt, vt volun-

voluntas indifferens in actu primo, determinetur in actu secundo, quin resistat alicui inclinationi præexistenti in ipsa, eamque superet, & vincat difficultatem non assentiendi eidem. Resistentia autem & conatus superandi, atque victoria, non sunt nomina puræ negationis, sed significant aliquid positiuum. Implicat enim in terminis, aliquem resistere, superare, ac vincere; & tamen nihil agere, nullaque exerceri actione, sed esse in otio, penitùsque vacare. Ergò determinatio in actu secundo voluntatis indifferentis in actu primo, ex suo conceptu est actio positiua.

Art. 3. Eòdem recidit, quòd voluntas est potentia rationalis, ideòque quādo est indifferens, non potest determinari nisi rationaliter, nempè ex aliquo motiuo proposito sibi per rationem, adhærendo, atque assentiendo illi; nec potest dimittere aliquod motiuum sibi propositum, nisi propter aliquod aliud motiuum simul propositū. Vndè fit, vt quicumque dimittit aliquod bonū sibi propositū, interrogatus cur illud dimittat? semper respondeat: Ob hoc aliud bonū. Nec fieri potest, vt nulla eiusmodi responsio suppetat determinanti se liberè. Impossibile autem est, vt voluntas vniformiter, eodemque prorsus modo se habeat, & circa motiuum, seù bonum, quod dimittit, & circa motiuum, seù bonum, propter quod dimittit; sed necesse est, vt afficiatur ad alterum, dum refugit, ac supersedet ab altero.

Art. 4. Impossibile itaque est, vt voluntas purè omittat omnia motiua sibi proposita; idest, vt determinetur in actu secundo, nullo motiuo ipsam determinante, atque exercente in actu secundo vim suam motiuam; vtque vincantur aliqua motiua, nullo motiuo obtinente victoriam super ea, quæ vincuntur; aut (quod non minùs dissonat) nihil obtinente motiuo, quod præualeat, vltra id, quod obtinet motiuum postpositum. Porrò satisfacere his minimè potest, quod à nonnullis dicitur; dari in voluntate purè omittente

tente amorem virtualem, seu consensum interpretatiuum, erga motiuum, propter quod purè omittit; idque, quia futurum esset, vt voluntas non purè omitteret, si non adesset tale motiuum determinatè, tametsi adessent cætera motiua, quæ simul illi proponuntur; atque hanc futuritionem conditionatam, vt quidam dicunt, esse intrinsecam puræ omissioni, qua de facto exercetur voluntas, atque indistinctam realiter ab eadem omissione. Hoc, inquam, satisfacere minimè potest. Primùm; quia, quod est aliquid virtualiter, & interpretatiuè tantum, necesse est, vt sit formaliter, & explicitè, aliquid aliud. Nam, vt cætera desint omnia, hoc, vt minimùm, deesse minimè potest; nempè, vt cui virtualiter, & interpretatiuè, seù moraliter, seù alio quouis modo conuenit esse aliquid; hoc ipsum esse, virtualiter, & interpretatiuè, aut moraliter, cōueniat formaliter, & explicite, & non rursus virtualiter, & interpretatiuè, aut moraliter: ne alioquin eiusmodi, seù virtualitas, seù interpretatio, seù moralitas sit prorsus nugatoria, abeatque inaniter in fumum. Pura autem omissio est purum nihil, purumque non esse; ideòque nullum esse potest illi conuenire formaliter, & explicitè, nihilque verè, & cum proprietate sermonis dici de ipsa potest affirmatiuè, prout dicitur de quocumq. verè, & propriè dicitur ipsum esse seu virtuale, seù interpretatiuū, seu morale.

Art. 5. Deinde nulli contradictorio conuenire potest, vt virtualiter, & æquiualenter sit alterum contradictoriū, quoad aliquid proprium ipsius; cum distet summè à suo contradictorio, sitque summè dissimile ipsi, atque eidem oppositum, quoad omnia prædicata propria ipsius. Pura autem omissio est purum contradictorium omnis actus. Nulli igitur actui æquiualere potest pura omissio; sicut cæcitas nō potest æquivalere visui, nec potest moraliter reputari perinde, atque actus aliquis videndi. Iam futuritio conditionata actus omissi, si non ad esset tale

deter-

determinatè motiuum omittendi, per quam futuritionem exponitur ea virtualitas, æquiualentia, & moralitas: Ea, inquam futuritio conditionata non datur etiam ipsa purè conditionatè à parte rei. Alioquin voluntas non determinaretur absolutè per talẽ futuritionẽ conditionatã, sed purè conditionatè. Quia quod non est absolutè à parte rei, nullum effectum formalem, aut denominationem potest communicare absolutè. Quare eadem ratione repugnat, vt insit futuritio ista conditionata voluntati purè omittenti, quà repugnat, vt insint eidem cætera modò reiecta, in quorum subsidium inuenta illa fuit.

Art. 5. Dum autem dicitur eiusmodi futuritionem conditionatam esse indistinctam realiter à pura omissione, implicatur in terminis. Quia futuritio conditionata posita absolutè à parte rei non est purum nihil; cum opponatur contradictoriè non futuritioni conditionatæ, seù negationi futuritionis conditionatæ, quæ non futuritio, seù negatio est purum nihil; atque contradictorium puri nihili est aliquid. At pura omissio est purum nihil. Repugnat verò manifestè, vt quod non est purum nihil, sit indistinctum realiter à puro nihilo; idest, vt aliquid nõ sit aliquid, sed sit omninò nihil. Verum nec dici potest, eandem futuritionem conditionatã ex vna parte esse exercitium, & determinationem voluntatis creatæ, & ex alia parte esse indistinctam reipsa à scientia Dei; Quia exercitiũ, & determinatio voluntatis creatæ dependet à voluntate creata, tanquam à suo principio, & incipit esse in tempore; quæ repugnant scientiæ Dei essentialiter æternæ, & experti principij. Moneo circa hæc, quod soleo sæpè aliàs, vt dũ proferuntur verba, transferatur mens ad obiecta significata, eaque conetur discernere, & ab ijsdem verbis, & à confusa aliorum significabilium apparentia quasi phantastica, & vmbratili: quo facto conspicietur clarè, nihil eorum subsistere

ſtere reipſa à parte rei, quæ propoſita fuere ex mente modernorum, ad defendendam præeminentiam motionis ex parte motiui, ob quod omittit voluntas, dùm purè omittit, comparatione aliorum motiuorum, ob quæ non omittit de facto.

Art. 7. Poſtremò nulla poteſt eſſe inclinatio ad purum nihil, vt pote expers omnis bonitatis, quæ eſt obiectum adæquatum omnis inclinationis: vnde nullum poteſt eſſe principium puræ negationis, ſecundum ſe, & directè, quia omne principium determinatur, & tranſit de actu primo in actum ſecundum ex præexiſtente inclinatione ad eam partem, cui acquieſcit, ſeu circa quam exercetur: quandoquidem nihil moueri, ac determinari poteſt, nullo priùs impellente, ac determinante, nullaque præexiſtente vi impulſiuà, & inclinatiuà ad terminum, in quo ſiſtit ipſum principium. Quæ quidem ratio conuincit multò clariùs reſpectu voluntatis, quæ ſcilicet ex ſuo conceptu eſt potentia appetitiua, & quæ proinde moueri, ac determinari minimè poſſit, niſi ratione bonitatis præapprehenſæ. Nulla autem ratio bonitatis apprehendi poteſt in pura negatione actus, id eſt, in pura negatione habentis aliquam bonitatem. Fieri igitur non poteſt, vt voluntas præferat omnibus ſuis actibus hic & nunc poſſibilibus puram negationem eorum, quia fieri non poteſt, vt intellectus eã proponat tanquam præeminentem, vel etiam æqualem actibus: cum ſit per ſe notum, quoduis aliquid cuiuis nihilo præeminere. Vbi eſt aduertendum voluntatem non moueri ab intellectu, quatenus proponente bonum bonitate abſolutà, & ſecundum ſe præcisè, ſed bonum bonitate relatiuà, & perfectiuà ipſius voluntatis, mediante exercitio eius circa tale aliquod obiectum; mouet enim, vt applicet ſe tali, vel tali determinatè obiecto, vtque circà ipſum potiſſimùm exerceatur. Quod fieri non poteſt, niſi propoſita bonitate exercitij libertatis circa ob-

ІECTUM.

iectum, simul cum bonitate obiecti in se. Cum ergo nulla possit occurrere bonitas, aut vmbra bonitatis in pura negatione, seu pura omissione actus, patet nullum obiectum proponi posse ab intellectu, vt purè omissibile, sed tantum, vt omissibile propter aliud obiectum, & per prosecutionem alius obiecti. Ex his igitur omnibus concluditur repugnare puram omissionem liberam, atque oppositæ sententiæ auctores non aliter in eam incidere potuisse, quàm delusos similitudine superiùs improbata in quæstione præcedenti ex causis necessariò agentibus, quæ possunt impediri extrinsecùs ab omni sua actione, per actionem causæ potentioris: cuius modi nihil accidere potest, vt patet, in determinatione voluntatis, immediatè libera, de cuius nimirum conceptu est, vt sit ab intrinseco.

Ad 1. Elementa, & mixta possunt gignere simul, & corrumpere, neutrum tamen horum præstare possunt seorsim; esto vtrumuis sit minus, quàm vtrumque. Certè purè corrumpere nunquam possunt, quia ad purum malum, adeòque ad puram corruptionem nulla est actio, nullaque vllius principij sufficientia, actiuitas, aut inclinatio. Hac igitur ratione potest similiter voluntas, dũ est indifferens ad aliquid, impedire, ac omittere vnum suum actum per alium suum actum; non tamen potest, aut purè omittere, quin aliquid agat; aut purè agere, quin aliquid omittat, licet vtrumuis horum sit minus, quàm vtrumque simul. Quia videlicet eiusmodi minus est impossibile ex suo conceptu, vt patet ex dictis. Deinde pura omissio non est propriè minus, sed est purum nihil, ad quod seorsim, & secundum se nulla vllius principij sufficientia, inclinatio, aut determinatio esse potest. Cum omne nihil, seu non esse, omnisque impeditio essendi sit propter aliquid, & ex adhæsione positiua ad aliquid incompossibile cum eo, quòd impeditur, quominus ex stat, sitque impossibile, vt aliquid impediatur quominus sit, nulla re

exi-

existente incompossibili intrinsecè, cum eo, quod impeditur.

Ad 2. Ad omissibilitatem alicuius, seù obiecti, seù operationis, non sufficit, quòd insit illi aliqua imperfectio, seù defectus bonitatis, sed opus insuper est, vt adsit aliquod oppositum praeminens: Alioquin posset voluntas ipsam quoque puram omissionem purè omittere simul cum cæteris eligibilibus, & electionibus; quod manifestè implicat in terminis. Opus est itaque, vt in exercitio, & determinatione voluntatis appareat aliqua bonitas, quæ præponderet, vel saltem æquiponderet exercitio, ac determinationi omissæ. Hæc autem apparentia repugnat ex terminis, vt dictum est, puræ omissioni, seù puro nihilo omnium eligibilium, & electionum.

Ad 3. Libertas puræ contradictionis, & quoad exercitium tantùm, non distinguitur à libertate contrarietatis, & quoad speciem actus, relatè ad omnia obiecta simultaneè proposita voluntati. Certum namque est, eum qui potest omittere aliquem actum, eo ipso posse velle omittere illum, & posse affici ad motiuum propter quod potest omittere, illudque prosequi positiuè. Qui sanè actus est specie distinctus ab omisso. Itaque libertas solius contradictionis, seù quoad exercitium tantum, qualis sola agnoscitur à D. Thoma, & alijs, respectu felicitatis secundum se; non est potestas simultanea, & directa ad actum, & omissionem eius, sed est potestas ad actum, coniuncta cum potestate impediendi illum tantùm indirectè per applicationẽ, aut diuersionem virium animæ ad obiecta alia disparata, vel per ligamẽ vsus rationis. Libertas contrarietatis superaddit potestatem simultaneam directam ad velle, & nolle, seù ad amorẽ, & odium respectu eiusdem obiecti; aut ad volendum hoc, & oppositum; aut ad actum, & nolitionem actus. Similiter præceptum non dicitur negatiuum relatè ad totam collectionem actuũ hîc & nunc possibilium voluntati, sed relatè ad

actum al'qualiter determinatum, ad cuius omissionem obligat, siuè necesse interim sit, siue nõ sit, al.quem alium actum elicere. Itaque præcepta affirmatiua differunt à negatiuis; quia affirmatiua obligant directe ad actum determinatæ speciei, aut collectionis, & indirectè tantùm ad omissionem omnium incompossibilium cum illo actu. Præcepta negatiua è conuerso obligant directè ad omissionem actus similiter determinati, & indirectè tantùm, ac vagè ad actum aliquem intrinsecè connexum cum tali omissione, vti exponitur q.39. de Iustit. Consequenter peccatum omissionis, quò violatur præceptum affirmatiuum, dicit de formali omissionem actus præcepti, & tantùm de materiali, actum, qui est causa, vel occasio eius omissionis, vt dicit D. Thomas qu 71. art. 5. eodemque procul dubio sensu loquitur in re simili q. 6. art. 3. licet non vsque adeo clarè, ac distinctè. E conuerso peccatum commissionis, quo violatur præceptum negatiuum, dicit de formali actum prohibitum, & tantùm de materiali omissionem actus incompossibilis cum prohibito. Ex quibus patet omnes eiusmodi diuisiones saluari optimè independenter à pura omissione.

Art. 1. Ad 4. Intensio actuum intellectus, & voluntatis non componitur ex gradibus realiter inter se distinctis, sed vnusquisque actus, se toto intrinsecè est tantæ determinatè intensionis, sicut est talis determinatè speciei, vt alibi ostensum est. Vndè indifferentia voluntatis simul ac indiuisim determinatur per quemlibet eius actum ad tale motiuum, & ad tantam intensionem eiusdem actus. Deindè non conuenit voluntati specialis vlla indifferentia directa, & immediata ad maiorem, vel minorem intensionem sui actus; sed semper, ac necessariò operatur cum omni conatu hic & nunc sibi proximè possibili, vt infrà ostendetur q.34. Vtrauis autẽ ratione obstruitur aditus processui infinito sine pura omissione, quod attinet ad istud caput

inten-

intensionis. Quoad seriem actuum natura priorum reflectentium sine fine, patet ex dictis in quæstione præcedenti ad 3. art. 4. ibi enim innotuit nullum actum esse intrinsecè indifferentem, vt imperetur, vel non imperetur efficaciter per alium actum natura priorem; Vndè negatur suppositum obiectionis, quoad hanc partem.

Art. 2. Prætereà his omnibus vtcumque transmissis, nequit intellectus cognoscere, & repræsentare voluntati cum claritate, & distinctione sufficienti, alias, atque alias reflexiones sine fine circà intensionem, aut extensionem cuiusque actus. Quia cum sit potentia finita, sistit alicubi necessariò, ibidemque sistat voluntas necesse est; imò nulla saltem plerumque adest eiusmodi reflexionis affectiuæ cognitio, & actualis aduertentia, sed solùm repræsentatur directè obiectum, vt valdè, aut parum amabile, absque vlteriori cognitione, & aduertentia de magna, vel parua amabilitate, aut inamabilitate ipsius amoris directi, vt experientia liquet, & insuper ex eo, quòd eiusmodi reflexiones, præterquàm quòd sunt valdè operosæ, & difficiles, vtpotè valdè remotæ à sensu, & imaginatione, nihil cōferunt ad finem præintentum, ideòque finis ipse non mouet, & applicat ad illas voluntatem, & indè intellectum.

Ad 5. Sicut indifferentia voluntatis in actu primo conseruatur superadditis solis nouis durationibus eius supra priores, ità etiam actus liberè eliciti conseruantur superadditis solis nouis durationibus ipsorum: & sicut ijdem actus se ipsis formaliter impediunt nolitionem primæ suæ existentiæ, omnesque alios actus incompossibiles cum eadem prima existentia, ità deinceps se solis similiter impediunt nolitionem suæ conseruationis, omnesque actus incompossibiles cum eadem conseruatione. Vndè dum conseruatur actus liber elicitus, datur pro singulis interuallis temporis discernibilibus inuicem,

nouum exercitium libertatis, sola nouitate durationis afficientis actum primum libertatis, & actum secundum iam ante elicitum, nec est opus vllo alio actu reflexo, vel omissione actus reflexi; imò est impossibilis saltem, vt plurimum omnis eiusmodi reflexio realis affectiua circa conseruationem propter incogitantiam actualẽ intellectus de tali reflexione, deque conuenientia eam superaddendi, vti nuper dicebatur in simili. Quòd si quando cogitetur reflexè de conuenientia conseruandi aliquẽ actũ per horã, quadrantem &c. tunc concipitur liberè propositũ reflexũ, aut nolitio permanendi in tali actu per tale determinatum temporis interuallum. Neque verò multum, nedum infinitè progreditur eiusmodi consideratio reflexa, ob rationem paulò priùs indicatam. Nulla igitur est opus pura omissione libera.

Ad 6. Si aliquid creatum simul esset, & non esset; aut nec esset, nec non esset; eo ipso Deus non esset, sed esset chimæra, vt dictum est in q.36. de Deo. Quare ad existentiam Dei est necessarium, vt vel determinate sint res creatæ, vel vt determinate non sint. Eàdem igitur ratione bonitatis suæ infinitæ, quà necessitatur Deus ad amorẽ efficacẽ sui; necessitatur etiam, vt velit determinatè, aut determinatè nolit existentiam rerum creatarum, vel certè, vt velit, aut nolit illam impedire. Quia qui vult aliquid, necesse eo ipso est, vt velit omnia requisita ad illud eo modo, quo requisita sunt, vt dictum est suprà quæstione 13. art.7. Vnde apparet, repugnantiam puræ omissionis in Deo non fundari in aliquo tenente se ex parte creaturarum, sed in sola bonitate Diuina; atque ideò possibilitatem eiusdem puræ omissionis non pertinere ad amplitudinem indifferentiæ decentis Deum: Quia non pertinet ad ipsam, indifferentia Dei ad amorem efficacem sui. Consequenter respectu peccatorum est indifferens Deus, vt vel ea efficaciter nolit, seù, vt efficaciter velit

lit eadem; impedire vel, vt efficaciter nolit eadem impedire; ſeù, vt velit permittere; vult autem efficaciter impedire ea omnia, quæ non perpetrantur de facto; ea verò, quæ perpetrantur de facto, efficaciter vult permittere; idest, poſitiuè, & efficaciter vult non habere ſuam nolitionem impeditiuam eorum. Quapropter reſpectu nullius peccati ſe habet, aut poteſt habere Deus purè omiſſiuè. Negatur igitur antecedens argumenti, quod manifeſtiùs eſt falſum, quàm conſequens; quandoquidem; quæ militant aduerſus conſequens, militant etiam aduerſus antecedens, idque clariùs; & eſt aliquid prætereà ſpeciale aduerſus antecedens; vt patet conſideranti, quæ circa vtrumque dicta ſunt.

***

QVÆSTIO XVI.

Vtrum actus liberi diuidantur in morales, & non morales.?

VIDENTVR non rectè diuidi: tum quia omnes actus liberi sunt morales; cum sit de ratione operationis liberæ, vt sit imputabilis ad laudem, vel vituperiũ: tum quia moralitas latiùs patet quàm libertas; quandoquidem etiam pueri ante vsum rationis, & amentes dicuntur bene, vel male morati, prout contigerit eos esse inclinatos ad nocendum, vel obsequendum; ad quietem, vel rumores.

Art. 1. Respondetur. Moralè dicitur à more. Mos autem, & latè sumitur, & strictè; latè sumptus significat, tum consuetudinem diuturna operandi vniformitate stabilitam; tum naturam, & inclinationem cuiusque rei siue animatæ, siue inanimatæ; siue rationalis, siue irrationalis: & iuxtà hanc significationem quælibet res dicitur mali moris, si sit pertinaciter nociua; & boni moris, si præualeat proficuitas; nullius verò moris, si æquè facilè accommodetur ad vsus vtiles, & nociuos. Mos strictè sumptus dicitur inclinatio, & dispositio humana, siuè indita à natura, siuè repetitis actibus acquisita ad operationes, quæ conferunt ad finem humanæ naturæ, vel auertunt ab eodem, & propter quas homo est laudabilis, vel vituperabilis relatè ad eundem finem. Non agitur in præsenti de moralitate iuxtà eas priores significationes, sed sola posterior vsurpatur à Theologis tanquam vnica. Vndè mores hominum dicuntur boni, vel mali, prout quisque consueuit operari laudabiliter,

estquè

estquè dispositus, & inclinatus ad sic operandũ. Eæ itaque operationes sunt propriè morales, quæ sunt laudis, & vituperij capaces, non tantum secundum quid, & relatè ad finem aliquem particularem, sed simpliciter, & relatè ad finem vltimum hominis, & ob quas proinde homo dicitur bonus, vel malus, non pictor, aut musicus, aut miles; sed simpliciter bonus, vel malus homo, atque vt talis laudatur, vel vituperatur, seù vniuersaliter, seù partialiter, quoad omnes, vel aliquas virtutes, earumque actus.

Art. 12. Manifestum autem est, iuxtà istam vsurpationem moris, & moralis, solas operationes liberas esse morales. Quia non dicitur bonus, vel malus homo; neque quisquam laudatur, vel vituperatur, propter ea, quæ necessariò agit, aut patitur, sed ob ea tantùm, quæ agit ex electione libera. Nõ tamen omnes operationes, vtcumq. liberæ, & indifferenter exercitæ, sunt morales. Quia actus dicuntur humani, & morales, secundum quod sunt à ratione, vt tradit D. Thom. q 18. art. 5. & 6. & q. 2. de malo art. 5. A ratione verò approbante actum relatè ad vltimum finem, vel quatenus decentem, vel dedecentem respectu naturæ rationalis vt talis. Hoc nimirum intelligit ibi & alibi D. Thomas nomine rationis, dùm agit de moribus. Fieri autem potest, vt aliquis actus eliciatur liberè, & tamen non procedat à ratione, iuxtà eam vsurpationem rationis, nempè à ratione superiori. Pro quo reuocandum est in memoriam, quod dictum est supra q. 13. art. 5. & 6. pueris per aliquot annos, dormientibus, & alijs similiter dispositis deesse libertatem indifferentiæ propter defectum abstractionis vniuersalissimæ, aut discretionis veri à falso, eandemque adesse in ætate adulta, & in vigilia propter inexistentem oppositam perfectionem cognitionis.

Art. 3. Addendum modò est; in confinio sõni, & vigiliæ, vsus rationis, & rationis adhuc

ſigatæ, fieri abſtractiones vniuerſales, & diſcretiones veri à falſo imperfectas, & faciles, ac deindè ſubſequi perfectas, ac magis arduas; Quia in his, quæ non fiunt in inſtanti, ſed ſucceſſiuè proueniunt per alterationem diſpoſitiuam ſubiecti ad aliquid, priùs exiſtit, quod imperfectum eſt, & poſtea ſuccedit, quod eſt perfectum. Abſtractio, autem, & diſcretio delectabilis à non delectabili, & vtilis ab inutili eſt facilior, & minùs perfecta, quàm abſtractio, & diſcretio honeſti ab inhoneſto, decentis ab indecenti; quia illa prior recedit minùs à ſenſu, quàm iſta poſterior: cum ſenſus ſit capax delectationis, & vtilitatis; non verò honeſtatis, ac decentiæ; atque honeſtum ſit ſupremum genus bonitatis, vtpotè contentiuum in ſe delectabilis, & vtilis; cum ipſum viciſſim in neutrius conceptu contineatur. Patet verò omnem eiuſmodi tum abſtractionem, tum diſcretionem dependere à diſpoſitione corporali, cuius perfectio creſcit ſucceſſiuè per alterationem ſubiecti. Priùs igitur exiſtit libertas imperfecta, & purè phyſica, quàm perfecta, & moralis in eo, qui tranſit à totali defectu libertatis ad genus libertatis perfectæ. Actus autem eliciti cum eiuſmodi imperfecta, & purè phyſica libertate, morales, nequaquam eſſe poſſunt, vt liquet ex conceptu actùs moralis nuper explicato cum D. Thoma. Actus igitur liberi alij ſunt morales, alij minime, ac proinde diuiſio, de qua quæritur eſt bona.

Art.4. Verùm quia ſoli actus morales conferunt ad vltimum finem hominis, ac ſub hac conſideratione intentio noſtra procedit, vt dictum eſt priùs. de ſolis actibus moralibus, ſeu libertate morali præditis agendum nobis eſt, ijdemque ſoli intelliguntur à Theologis ſub nomine actuum liberorum, ac humanorum abſolutè prolato. Ad rationem dubitandi patet ex dictis, quia prior eius pars procedit de actu libero non ſecundum totam eius latitudinem, ſed iuxtà vſum Theologis familiarem, poſterior verò

rò procedit de moralitate latè, & impropriè sumpta, & brutis quoque, ac plantis, alijsque rebus inanimatis attributa.

QVÆSTIO XVII.

Vtrum moralitas actuum, sit prædicatum realiter distinctum ab omni ente physico?

VIDETVR distingui realiter 1. Quia ens diuiditur communiter in physicum, & morale. Hæc autem diuisio non esset bona, si genus entis moralis non distingueretur realiter adæquatè ab omni ente physico.

2. Moralitas dicitur de actibus humanis ad eũ modum, quo dicitur valor de moneta, de contractu, de voto; dignitas regia, aut Senatoria, de Principe, aut administratore Reipublicæ; tituli Ducis, Marchionis, Comitis, de constitutis in peculiari honoris, & gloriæ gradu; doctoratus, de approbato ad docendum. Hæc autem omnia, & alia similia quamplura sunt denominationes, & prædicata distincta realiter non minùs ab omni ente physico, quam ab ente chimærico. Nihil enim vnquam assignari poterit physicum, ac reali entitate præditum, per quod eiusmodi denominationes, & prædicata moralia constituantur intrinsecè. Necesse igitur est fateri moralitatem vniuersaliter, & ex genere suo, esse prædicatum quoddam medium inter chimeram, & ens physicum, atque ab vtroque hoc extremo distingui realiter.

Art. 1. Respondetur. Sicut eædem res physicæ dicuntur veræ, relatè ad actus intellectus; bonæ,

bonæ, & amabiles, relatè ad actus voluntatis; artificiosæ, relatè ad artem; & sic de similibus, ità etiam entitates vere in se physicæ dicuntur morales relate ad dictamen prudentiæ, quo mores humani diriguntur, vt apparet ex conceptu moralitatis tradito ex D. Thoma q. præced. art 2. Referuntur autem diuersimodè actiones humanæ ad duplex dictamen rationis; ad aliud scilicet tanquam ad causam; ad aliud tanquam ad effectum. Tanquam ad causam referuntur ad dictamen, quo dirigitur voluntas antequàm operetur; tanquam ad effectum verò ad dictamen subsequens existentiam ipsius operationis; quo ipsa pronuntiatur, non iam conditionatè, vt priùs, sed absolutè laude, vel vituperio; pœnâ, vel præmio digna. A primo dictamine tanquã à radice descendit moralitas in actum voluntatis, in quo ipsa existit formaliter; quia per conformitatem, aut difformitatem cum illo mores hominum euadunt boni, vel mali; posterius autem dictamen solùm est signum à posteriori moralitatis præexistentis; quia siuè hoc subsequatur reipsa, siuè non subsequatur, nihilominus operatio erit bona, vel mala. Quare moralitas operationum humanarum præcipuè consideranda est in actibus voluntatis, quibus solis immediatè conueniunt bonitas, & malitia; dignitas laudis, ac vituperij, pœnæ, ac præmij. Consideranda verò rursus est præcipuè in ordine ad dictamen rationis quatenus directiuum eorundem actuum. Ista est frequens D. Thomæ sententia aientis q. 18. art. 5. in fine Cor. radicem moralitatis esse rationem directiuam voluntatis, & q. 2. de malo art. 6. actum moralem esse actum voluntaais à ratione procedentem, & art. 6. eiusdem qu. 18. Moralitatem conuenire actionibus exterioribus tantum mediatè, quatenus sunt à voluntate directà per rationem.

Art. 2. Iam verò dictamen istud prudentiæ duo secum importat, quæ sunt basis totius moralitaris, & quorum proindè ratione ipsum dif-

fert ab alijs cognitionibus, nihil, aut non satis ex se præcise conferentibus ad moralitatem. Primum est libertas voluntatis; quia, vt dicit D. Thomas q. illa 2. de malo art. 2. ad 13. *ibi incipit genus moris, vbi primum inuenitur dominium voluntatis*; nec actiones hominis dicuntur laudabiles, aut vituperabiles, nisi quatenus sunt liberæ, vt apparebit clariùs in q. sequenti. Alterum est regula actionum humanarum; quia nisi hæc adhibeatur, nec bona, nec mala euadet actio, vel vllius secundum se digna æstimationis, sed eiusdem, quoad hoc, rationis cũ actionibus brutorum. Hæc autem duo importari per dictamen prudentiæ, patet. Quia inprimis per se ipsum est regula immediata humanarum actionum, vt exponetur in quæst. 22. Nequit verò esse immediatè regula, quin mediatam aliam regulam applicet, vt ibidem apparebit. Deinde q. 14. ostensum est cognitioni deseruienti ad actionem electiuam voluntatis, ità esse deuinctã essentialiter eiusmodi libertatem, vt omninò repugnet à voluntate, quatenus præuentà per talem cognitionem, oriri actionem, quæ non sit libera. Accedit actionem necessariam non indigere directione prudentiæ, nec eius esse capacem, ac prudentiam non aliter dirigere posse, quàm proponendo finem, ad quem tendere oportet, & modum, quo oportet tendere; id est, proponendo regulam bonæ operationis. Patet ergò dictamini prudentiæ esse adæquatè intrinsecam, & essentialem moralitatem radicalem, siue vt sit radix moralitatis formalis. Est autem similiter adæquatè intrinseca actibus directis per prudentiam moralitas ipsa formalis: nempè est ipsis adæquate intrinseca, tum libertas in actu secundo, tum dependentia à cognitione, qua de facto diriguntur, vt patet ex eadem quæst. 14.

Art. 3. Ex his deprehenditur moralitatem esse adæquatè indistinctam à rebus physicis, quia moralitas sumpta radicaliter ostensa modò est

adæquatè identificata cum dictamine præuio prudentiæ; sumpta verò formaliter, cum actu voluntatis orto ex eo dictamine. Hi autem actus procul dubio sunt entitates physicæ, ac reales. Apparet rursus, qua de causa moralitas actuum voluntatis explicari optimè possit, tanquam per signum à posteriori per dictamen rationis, quo ijdem actus iudicantur absolute digni laude, vel vituperio, præmio, vel pœna; quia actus elicitus liberè, simulque dependens à regula actionum humanarum, si sit illi conformis, eo ipso est laude dignus; si difformis, vituperio; & consequenter præmio, & pœna, si præterea operatio sit propria viatoris. Constat præterea quid superaddant bonitas, & malitia moralis supra bonitatem, & malitiam purè physicam. Superaddunt enim libertatem, & dependentiam à dictamine prudentiæ, quæ ipsa sũt quidem physica, sed non purè physica: sicut animal vltra viuens superaddit sensibilitatem, quæ tamen ipsa est etiam viuens. Nempe ens physicum est genus respectu entis moralis, & non moralis; atque differentia opposita morali retinet nomen generis superaddita solà negatione differentiæ oppositæ, diciturque ens purè physicum, siue non morale; qui est modus in alijs quoque rebus, satis frequens, significandi differentiam ignobiliorem, vt liquet inter alia ex diuisione viuentis in insensibile, & sensibile; animalis in rationale, & irrationale.

Art. 4. Apparet postremò, quo pacto conueniat rebus alijs, præter actus istos intellectus, & voluntatis, esse morales. Quædam enim dicuntur moralia, quia sunt causæ prædictorum actuũ, vel efficientes, vel obiectiuæ. Sic homo dicitur agens morale, & similiter quælibet substantia intellectualis; atque obiecta, alia dicuntur moraliter honesta, alia turpia: Quædam alia dicuntur moralia propter emanationem ab ijsdem actibus per denominationem communicatam ab illis, tanquam a forma. Sic operationes exter-

næ hominis exercitæ cum deliberatione dicuntur morales, & bonæ, ac malæ moraliter; nec aliter dicuntur moralia præmiũ, & pœna. Quædam denique alia dicuntur moralia per aggregationem, quatenus in aliquo aggregato simul reperiuntur actus aliquis moralis, per se ipsum intrinsecè talis, & aliquid aliud ex se præcisè purè physicum. Huiusmodi sunt valor monetæ; obligatio præsens ex lege, aut voto præteritis; peccatum habituale, tum personale, tum originale; dominium, potestas regia, Ducatus Marchionatus, & similia.

Art. 5. Huius enim generis omnia includunt in se actum moralem præteritum taxatiuum valoris, obligantem, malum, donantem, & acceptantem, aut acquirentem res, volũtatem subijciendi se, & voluntatem regendi alios, & sic de cæteris; & insuper memoriam, aut alium effectum eorundem actuum ex se præcisè purè physicum. Quia verò in aggregato præeminet actus, qui est ex se moralis, atq. altera pars est eius effectus, totum ipsum absolute dicitur morale. Hæc porrò, & alia eiusmodi propè infinita longà vnaquæque suis seorsim in locis indigent discussione. Sufficit autem ad præsens indicasse fontem moralitatis in genere, & quo pacto quidquid est morale, & moraliter tale, vel tale dicitur, reuocandum sit, tanquam ad radicem quidem proximam, aut signum immediatũ, ad dictamen prudentiæ; tanquam ad formam verò, ad actum voluntatis ab illo directum; atq. (quod præcipuè, & directè intendebatur) moralitatem conuenientem immediatè actibus ipsis voluntatis esse indistinctam realiter ab eorum & libertate, & directione passiua per dictamen prudentiæ. Quæ rursus duæ rationes sunt omninò indistinctæ ab ijsdem actibus, atque à prædicatis physicis ipsorum. Ad priorem rationem dubitandi patet ex art. 3. fine ad alteram ex modò dictis.

QVÆ-

QVAESTIO XVIII.

Vtrum dignitas laudis, & vituperij sit proprietas actus moralis?

VIDETVR non esse. 1. Quia omnis laus operum nostrorum pertinet ad Deum solum, iuxtà illud psal. 113. 9. *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*; & 1. ad Corinth. 4. 7. *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quibus, & similibus, quam pluribus infert Ambrosius lib. 1. de Iacob & vita beata c. 6. *Non habeo igitur, vnde gloriari in operibus meis possim*: Eodem pertinet illud Cypr. ex lib. 3. ad Quirin. c. 10. vsque adeò celebre apud August. præsertim lib. de prædest. 55. & apud alios: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est*. Ergò actibus humanis vtcumque perfectè moralibus nulla inest dignitas laudis.

2. Omne bonum laudatur, & omne malum vituperatur. Sunt autem alia, & bona, & mala, præter actus morales. Ergo dignitas laudis, atque vituperij non potest peculiariter tribui actibus moralibus, tanquam proprietas ipsorum.

3. Artifex, qui ex electione peccat, seù exorbitat à regulis artis, non propterea vituperatur, sed potiùs laudatur nonnunquam: quia, vt dicit Philosophus 6. Ethic. 5. *In arte volens peccans est eligibilior*. Pertinet nimirum ad industriam artificis, posse facere opus bonum, vel malum, cum voluerit, & quatenus voluerit. Ergo neque homo quatenus homo, vituperatur cum liberè, & ex electione peccat, seù exorbitat à regula humanæ naturæ, & consequenter neque laudatur cum conformatur eidem.

Quòd

4. Quòd homo peccet, prouenit ex infirmitate, & impotentia: quia malum est infirmum, & impotens, vt dicit Dyonis. c.4. de Diu.nom. Quòd verò præseruetur à peccato, & operetur bonum, prouenit ex gratia Dei. Quod autem inest ex infirmitate, & impotentia, non subiacet vituperio, & exprobrationi, sed magis meretur compassionem; & quod est ex gratia alterius, cedit in laudem solius auctoris gratiæ. Ergò operationibus nostris moralibus, neque ex bonitate, neque ex malitia inest vlla dignitas, aut laudis, aut vituperij.

Art.1. Respondetur. Distinguenda sunt laudabilia ab honorabilibus cum Philos. 1. Ethic. c.12. Distinguuntur autem ad eum ferè modū, quo distinguūtur demonstrabilia à principijs, seu obiectis purè intelligibilibus. *Omne namque laudabile propterea laudatur, quia qualitate aliqua praditum est, & ad aliquid quodammodo refert*, vt dicit ibi Philos. Vndè ijs, quæ non qualitate bona sunt, neque ex relatione, & ordine ad aliquid aliud, sed ex se, & secundum se præcisè, non debetur laus, sed aliquid maius laude, nempè honor, vt dicitur ibidem. Itaque laus strictè sumpta, & quatenus distinguitur ab honore strictè sumpto, fundatur in ordine conuenienti mediorum ad finem, & consequenter vituperiū fundatur in opposita deordinatione. Ordinatio autem mediorum ad finem pertinet ad rationem mediante electione voluntatis; & opposita deordinatio prouenit ab eadem voluntate repugnante rationi. Omnis igitur laus, & omne vituperium pertinet ad voluntatem, quatenus directam per rationem, aut exorbitantem à ratione dictante ordinem conuenientem mediorum ad finem. Dictum autem est suprà ex D.Th. actus dici morales propter dependentiam à voluntate directa per rationem. Ad actus igitur morales, quorum ea dependentia est propria, & peculiaris, pertinet omnis dignitas laudis, & vituperij, tanquam proprietas peculiaris ipsorum,

rum. Ità concludit D. Thomas. q. 21. art. 2. dicens: *Vndè relinquitur, quòd bonum, vel malum in solis actibus volũtarijs* (id est, liberis cũ ratione) *constituit rationẽ laudis, vel culpæ, seu vituperij.*

Art. 2. Pro confirmatione, & clariori intelligentia huius veritatis; sciendum est; omnem ordinationem mediorum ad finem esse liberam alicui principio; quia omnis talis ordinatio mediatè, vel immediatè, tendit ad vltimum omnium finem, atque à vi motiua eiusdem finis omnino dependet vltimus autem omnium finis, qui est Deus, cùm nulla re indigeat, nullamque vllius rei necessitatem patiatur, ad nullam mediorum electionem, & ordinationem determinatur cum necessitate absoluta, seù independenter ab aliqua suppositione sibi libera, vt dictum est ex professo q. 2. de Deo. Quælibet igitur necessitas ordinis mediorum ad finem, vel est consequens & constituitur formaliter per liberam aliquam electionem, vel est antecedens comparatione alicuius causæ, aut effectus particularis, & præsupponit electionem eandem liberam. Quare omnis causa ordinis mediorum ad finem, vel est indifferenter electiua eius, atque dominans eidem; vel est purè executiua, & seruiliter obediens causæ ipsi electiuæ, tanquam purum instrumentum eius. Patet autem laudem, quæ tribuitur rebus rectè ordinatis ad finem, totam redundare in causam liberam, quatenus electiuam ordinis indifferenter, & determinatiuam ipsorum ad eundem ordinem. Quia laus est agnitio, & manifestatio excellentiæ alicuius, vt tradit Suarez ex Philosopho, & D. Thoma tom. & lib. 1. de Relig. c. 7. vel *est magnitudinem virtutis ostendens oratio*: vt habetur ex eodẽ Philosopho 1. Ethic. c. 9. & l. 3. c. 16. Excellit autem, quod dominatur, & ex libera electione disponit de re aliquà; atque magnitudo virtutis elucet in superandis motiuis, & difficultatibus valentibus impedire existentiam rei bonæ; quod fit per electionem imme-

immediate liberam, vt apparet ex dictis q. 14. & 15. Vile autem est, & vix cuiusquam virtutis, quòd purè obsequitur & paret, quin aliud efficere possit, quodque nullius est superatiuum motiui in contrarium, aut difficultatis, sed iniectà sibi extrinsecùs necessitate, atque aliter faciendi impotentia propellitur. Hinc Iustin. Martyr. in Apolog. 1. pro Christianis ad medium meritò pronuntiat. *Nulla laude quidquam esset dignum nisi esset ad vtrumque flexibile*, idest expositum liberæ electioni. Eiusdem principij vniuersalis sensum, exprimit August. in causa hominis particulari l. 3. de lib. arbit. c. 10. ad fin. dicens. *Motus, quo huc, atque illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, neque in nostra positus potestate; neque laudandus cum ad superiora; neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet, quasi quendam cardinem voluntatis.*

Art. 3. Sciendum rursus est, fines, ad quos media ordinari possunt, esse in triplici genere. Finis enim, cui aliquod bonum intendi potest, alius est puræ vtilitatis, alius puræ excellentiæ alius vtilitatis, & excellentiæ simul, seù mixtè. Finis puræ vtilitatis est, qui non amatur ratione sui, licet intendatur ipsi aliquid, per quod meliùs habeat. Finis puræ excellentiæ est, qui amatur ratione sui, quin intendatur ipsi aliquid, per quod meliùs habeat. Finis vtilitatis simul, & excellentiæ est, qui & amatur ratione sui, & intenditur ipsi aliquid, per quod meliùs habeat.

Art. 4. Respectu Diuinæ voluntatis nihil creatum potest habere rationem finis excellentiæ, sed solùm puræ vtilitatis; quia Deus non diligit res creatas propter ipsas, sed præcisè ratione suæ bonitatis, licet omnem suorum donorum vtilitatem velit eisdem solis, vt dictum est in q. 19. de Deo. Ex quo etiam liquet, bonitatem Diuinam è conuerso respectu nullius voluntatis posse esse finem vtilitatis, sed puræ excellentiæ. Quia Deus non est capax vllius vtilitatis vlla

ex

ex re percipiendæ, seu vt meliùs habeat aliquo sibi superaddito, ideòque diligitur, à quocumque rectè diligitur, tanquam finis puræ excellentiæ, nempè vt præeminens in amore rebus omnibus alijs, & vt manifestandus, seu glorificandus per omnia alia, manifestatione vtique, & glorificatione decente, quidem ipsum, sed nequaquam perficiente, aut addente aliquid, per quod meliùs habeat, quàm præcisè per se ipsũ. Id quod Deus intendit necessariò ex suppositione, quòd velit existere res creatas. At voluntates creatæ, quoad aliquid, intendunt id ipsum necessariò, & quoad aliquid, liberè. Dictum enim est sup: a q. 13. Diuinam bonitatem secundum se præcise esse necessariò volitam ab omnibus, quatenùs vt sic non solùm est compossibilis cum omni alio bono, sed etiam est causa essentialiter requisita ad existentiam omnis alterius boni, ac proindè amari liberè præcisè in ordine ad aliquos effectus particulares.

Art. 5. Manifestum est, ex fine puræ vtilitatis nullum laudis titulum redundare posse in intentionem ipsius. Quia, vt infrà dicetur, ex obiecto, quod non amatur ratione sui, nulla peculiaris perfectio, & excellentia, in cuius porrò agnitione, & manifestatione laus omnis consistit, redundare potest in actum. Manifestum itidem est ex nuper dictis, in actu necessario, quatenus necessarius est, nullam esse materiam laudis, præterquam denominatiuè, & extrinsecè. Manifestum igitur est actibus Diuinæ voluntatis deberi aliquid laude maius, non laudem ipsam strictè sumptam ac proindè Deum superlaudandũ esse, non laudandum eo laudis genere, quæ humanis operibus redditur, quæque Aristotelicæ laudabilium definitioni respondet, atque ab honore, & gratiarum actione distinguitur.

Art. 6. Amori namq. Diuino, quatenus Deus seipsum per eum prosequitur, debetur purus honor. Quia eatenus ad nihil refertur nihilque refert ad se. Quatenus verò per eundem prosequi-

sequitur creaturas, debetur honor, & gratiarũ actio; quia eatenus est erga nos beneficus, liberè, ac purè liberaliter, simulque nos prȩordinat ad se, Præordinatione infinitè quidem perfecta, sed perfecta per solam perfectionem omninò necessariam, ideòque honorabilem tantùm. Neutro autem ex capite debetur laus simpliciter dicta, sed cum addito augente, nempè honoratiua, aut gratificatiua. Verùm hæc nõ distinguũtur communiter inter se, vt obseruat ex parte Suarez vbi supra; ideòq; quia oportet loqui cum multis, non debent distingui in communi sermone, præsertim apud vulgus, & quin præferatur idonea legitimi sensus expositio iuxta dicta. Ex quibus prætereà sequitur voluntates creatas non reddi laudabiles ob amorem Dei præcisè vt causæ primæ, seù ob amorem finis excellentiæ secundum se præcise. Quia is amor non est nobis, sed soli Deo, liber, qui proinde est ea de causa honorandus, & gratiarum actione colendus, eo quòd indiderit nobis, sine nobis, eiusmodi directionem, ieceritque tale fundamentum ad vlteriorem nostram perfectionem nobis quoque liberam.

Art. 7. Superest iam pro laudum materia, sola comparatio volunratis creatæ cum fine excellentiæ, & vtilitatis simul, tum puræ excellentiæ, quatenus subordinantis sibi alia extra se: substantiæ intellectuales creatæ, possunt esse fines vtilitatis; quatenus non sufficiunt sibi se solis, atque indigent alijs extra se, vt benè habeant. Possunt itidem esse fines excellentiæ, quatenus dominatiuæ sunt, & libertate præditæ, ideòque præcellunt rebus pluribus, quibus dominantur, tanquam suis, & ordinatis ad ipsas tanquam ad fines suos. Quia verò Deo inest libertas, & dominium vniuersale circà omnia extra se, tanquam sua ipsius, nullòque indiget extra se, propterea est finis puræ excellentiæ, cui cætera omnia subordinantur ex natura sua. Voluntas creata dupliciter circa hæc omnia ver-

sari

fari poteſt. Primò retinendo in amore eundem ordinem, qui rebus ineſt ex ſua natura, & ex diuina diſpoſitione, vti modò indicatum eſt; nempè ita referendo ad volentem, quæ infra ipſum ſunt, vt etiam referat eundem ſimul cum cæteris omnibus ad Deum, qui eſt ſupremus rerum omnium finis. Secundò cum defectu huius ordinis.

Art. 8. Si eiuſmodi ordo non inſit amori creato electiuè, & libere, ſed neceſſariò, non erit inde laudanda ſubſtantia creata ſic amans, ſed erit honorandus Deus ſola ſua libertate, & electione talem ordinem inducens. Quia omnis, ſeù laus, ſeù honor bonæ ordinationis pertinet ad auctorem liberum, & electiuum eius, vt dictum eſt. Similiter ſi defectus ejuſdem ordinis inſit amori, neceſſariò, & abſque libera electione amantis, non erit indè vituperandus auctor immediatus amoris, ſed erit honoranda iuſtitia Dei, tribuens cauſæ creatæ ex dictamine ſapientiæ ſuæ, tantam determinatè perfectionem (præuiam connexam cum eo defectu, & non maiorē, quæ ſufficeret ad vitandum eumdem defectum. Concluditur ergo ſolam ſubſtantiam intellectualem creatam eſſe laudabilem laude propriè, & strictè ſumpta, & propter ſolos ſuos actus, quibus liberè, & electiuè conſtituit bonum, ac rectum ordinem in rebus creatis comparatis inuicem, & cum Deo; eandemque proinde ſolam, & propter ſolos actus oppoſitos inductiuos, aut formaliter contentiuos in ſe deordinationis oppoſitæ, eſſe vituperabilem. Omnes autem, & ſoli actus morales, liberè, & electiuè conſtituunt, aut excludunt eiuſmodi ordinem rectum, prout contigerit eos eſſe conformes, aut diſconformes dictamini rationis ſuperioris iuxtà ea, quæ exponentur q. 20. & 21. Omnes igitur, & ſoli actus morales creati ſunt laude, vel vituperio digni, atque ideò dignitas laudis, & vituperij; ſeù imputabilitas bonitatis; & malitiæ conſiſtentis in ordinatione creata, aut deordinatione medio-

rum ad finem, est proprietas peculiaris eorum actuum; quod erat ostendendum.

Art. 9. Nota quod ex dictis est satis cuiuis obuium, ac manifestum, liberam conformitatem, aut disconformitatem cum dictamine rationis, quæ ostensa est conuertibilis, cum dignitate laudis, & vituperij, accipiendam esse in sensu formali: ita nimirum, vt actus morales sint imputabiles subiecto, cui insunt ad laudem, & vituperium, quoad eum præcisè bonitatis, & defectus, aut malitiæ gradum, & quoad eam præcisè conformitatem, & disconformitatem cum dictamine rationis approbantis, & reprobantis, quoad quam sunt liberi eidem, & præeminent actui liberè omisso, nec proueniunt à necessitate insuperabili extrinsecùs imposita. Hoc videlicet apertè conuincit ratio superiùs proposita, de inclusione formali libertatis in dignitate laudis, vel vituperij. Ex qua ratione similiter apparet, eandem laudis, & vituperij dignitatem pertinere ad vnamquamque operationem mediatè, vel immediatè, proximé, vel remotè, intrinsecè ratione sui, vel accidentaliter per denominationem extrinsecam, prout contigerit operationem esse proportionaliter liberam, aut simpliciter, aut quoad aliquam circumstantiam, seù rationem differentialem.

Art. 10. Qua propter, qui operatur honestè cum libertate peccandi, est laudabilis quoad totam honestatem, ac bonitatem moralē sui actus, quia totam inducit liberè, non tantum identicè, sed etiam formaliter. Qui verò operatur honestè absque libertate peccandi, atque adeò cum necessitate antecedenti operandi honestè, solùm est laudabilis, quoad excessum bonitatis, & perfectionis, quo superat actus elicitus de facto actum infimum inter omnes sibi proximè possibiles. Quòd si eliciat actum hunc infimum nulla indè laude dignus erit. Eadem ratione nullum sibi laudis titulum comparat, qui elicit liberè

liberè alterum ex duobus actibus omninò æqualibus inter se, cum sola libertate ad eosdem actus omninò æquales, siuè sint eiusdem infimæ speciei, siuè (quod videtur quibusdam possibile) sint nihilominùs diuersæ speciei. Vndè apparet omnem laudem (quo inter alia differt maximè laus ab honore) esse ex conceptu suo implicitè, vel explicitè comparatiuam melioris cum minùs bono proximè possibili, respectu laudati; ideòque similem laudi quæ tribuitur iusto, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit*. Quæ possibilitas, quia non conuenit Deo, sed conuenit opposita necessitas ad solos actus summè, ac infinitè bonos, ac proindè æquales inter se; est quidem honorandus infinitè propter quemlibet eorum, quatenus ea necessitas sibi inest à se, & est summè ab intrinseco: tamen propter nullum eorundem est laudabilis laude strictè sũpta, & distincta ab honore, & gratiarum actione, vt dictum est iterum suprà. Simili ratione Christus Dominus fuisset honorandus, sed non strictè laudandus, si elicuisset humana voluntate actum, inter omnes sibi proxime possibiles infimum. In cæteris autem substantijs intellectualibus felici eiusmodi necessitate antecedenter deuinctis, vel simpliciter, vel quoad aliquam particulam honestatis, honor etiam ipse debitus propter operationem indè resultantem pertineret eatenus ad Deum, & non ad subiectum operationis: quia talis necessitas conueniret subiecto ab extrinseco; solàque diuina libertate induceretur.

Art. 11. Quòd si quis intentione efficaci liberà alicuius finis imponeret sibi necessitatem eligendi honestè, aut eligendi solùm inter æqualiter honesta, & per actus æquè honestos; laus, & imputabilitas conueniret ipsi ratione intentionis immediatè liberæ, non verò ratione electionis deindè subsequentis necessariò, nisi fortè eadem electio incrementum aliquod boni-

tatis,

tatis, ac honestatis adijceret; cum noua, ac speciali eatenus libertate. Indè sequitur à fortiori omnem laudabilitatem, ac imputabilitatem operationis exterioris honestæ reduci ad actū internum immediate liberum, quo imperata illa fuit; atque ideò actionem exteriorem, sicut est extrinsece, & mediate tantùm libera, ità, etiam esse tantum extrinsecè, & mediate laudabilem, ac imputabilem per denominationem in se redundantem ab actu interno. Eadem porrò ratio est, seruata proportione iuxtà capacitatem materiæ, de operationibus inhonestis, ac turpibus, nec non imperfectis, deque earum vituperio, aut correptione, & reprehensione. Itaque, redigendo in compendium, operationes omnes sunt laudabiles, & vituperabiles, atque imputabiles eatenus, & eo modo, quo, & quatenus sunt morales; idest, liberæ, simulque conformes, aut disconformes dictamini rationis.

Ad 1 Sicut libertas creata est subordinata diuinæ, omnisque nostra electio, & ordinatio bona prouenit ex prælectione, & præordinatione diuina liberè, ac liberaliter donante illam nobis: ita omnis gloria, & laus hominis de opere suo bono, est subordinata gloræ diuinæ circa ipsum; debetque proinde esse coniuncta cum humili, & sincera agnitione beneficentiæ diuinæ, & cum relatione ad Deum, vt ad primum fontem omnis boni. Vnde omnis pura gloria expers humilis eiusmodi, ac submissæ cognitionis pertinet ad Deum, & nulla ad hominem; atque hæc est intentio testimoniorum obiectionis. Cæterum sicut vera nihilominus, & propria libertas indifferentiæ conuenit homini, & cum ea præfert honestum inhonesto, atque magis honestum minùs honesto: Ità vera, & propria laus tribuitur ipsi de opere suo bono, cum dicta subordinatione ad Deum. Vndè Apostolus non prohibet omninò, vt glorietur homo, sed

sed solùm, vt glorietur tanquam non acceperit; & in ead. Epist. 1. ad Corinth. 1. 31. Præcipit, vt *qui gloriatur in Domino glorietur*, videantur plura apud Montoyam disput. 35. de prædest. præsertim à sect. 4.

Ad 2. Omnia alia bona, & mala, præter actus morales, sunt laudabilia, & sunt vituperabilia analogiceè, tanquam secunda analogata tantùm; omnisque proinde laus, & vituperium eorum redundat in auctorem liberum ipsorum vt liberum, tanquam ad primum analogatum, ad eum fere modum, quo esse sanum dicitur de homine, & de medicina, aut excremento. Et quis non videt omnem laudem attributam picturæ, aut statuæ, pertinere ad auctorem eius liberum? Eadem autem est ratio de cæteris eiusmodi. Omnis igitur laus, & vituperium pertinet simpliciter, ac principaliter ad actus liberos, & morales. Quia, vt dicit D. Thom. art. illo 2. *Nihil aliud est laudari, vel culpari* (nempè simpliciter, & per se) *quàm imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus. Tunc autem actus imputatur agenti, quando est in potestate eius, ita, quòd habeat dominium sui actus*,

Ad 3. Finis particularis, quem respicit pictor, vel musicus, & sic de alijs, est compensabilis etiam cum excessu per alium finem incompossibilem cum illo, & ad quem conferre potest defectus artefacti, seù exorbitatio à regulis artis. Vnde fieri potest, vt pictor, & musicus, & sic de alijs, deficiat cum laude à fine proprio, & regulis artis suæ. At finis hominis, vt homo est, est incompensabilis per alium finem; cum sit summum, ac infinitum bonum, vt dictum est suprà. Vnde fieri non potest, vt homo in opere suo, vel deficiat a libere fine suo, & à regula suæ naturæ; quin sit inde vituperabilis, vel ad eundem finem, ac regulam libere dirigatur, quin sit inde laudabilis. Hinc autem laudatur, vel vituperatur simpliciter, relatè

verò

verò ad alios fines particulares, non nisi secundum quid, & cum addito, vt pictor, vt musicus; ad eum fere modum, quo imago hominis picta dicitur homo, isque armatus; fortis, generosus, &c.

Ad 4. Neque peccatum est ex pura impotentia, & infirmitate; neque bonum opus ex sola gratia: sed adest in bono opere, cooperatio liberi arbitrij, & in malo potentia ad illud vitandum. Propterea relinquitur locus laudi, & vituperio hominis in operatione eius morali.

QVAESTIO XIX.

Vtrum libertas ad actus æquales sit sufficiens ad moralitatem?

VIDETVR sufficere, 1. Quia Deus non habet libertatem nisi ad actus omninò æquales, cum omnes ipsi possibiles sint infinitæ simpliciter bonitatis. Deinde nec Christus Dominus alia vsus est, aut vti potuit libertate, quoad actus præceptos. Certè nullos elicere potuit, nisi valoris simpliciter infiniti; ac proinde æquè æstimabiles. Et tamen actus liberi Dei, & Christi Domini, sunt verè, ac propriè morales, & summa digni laude.

2. Actum elicitum cum sola libertate ad alios æquales prædefinit Deus efficaciter, ac proindè præfert cæteris, qui omittuntur de facto. Eo ipso autem est æstimabilis præ ceteris, & prudēter iudicatur laude dignus actus, qui elicitur de facto, vt potè prælatus alijs per primam regu-

lam morum, quæ eſt Diuina voluntas, vt dicetur q. ſequenti.

3. Eiuſmodi libertas ſufficit ad meritum. Ergo & ad moralitatem. Conſequentia patet per ſe. Probatur antecedens. Primò, quia Deus non ſpectat ſuam vtilitatem in noſtris obſequijs; ſed ſolam bonitatem actus, qua nos ipſi perficimur. Ergò, vt cenſeamur præmio digni coram Deo, non neceſſe eſt, potuiſſe minus, aut nihil dare; ſed ſufficit exequi liberè bonum opus. Quod æquè fit cum libertate ad æqualia, atque cum libertate ad inæqualia. Secundò, quia alioquin vnuſquiſque actus eſſet meritorius præcisè, quatenus excedit omiſſum, & non abſolutè ſecundū ſe totum. Quod tamen communiter reputatur abſurdum præſertim in operibus Chriſti Domini. Demum, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. c. 16. non enumerat, inter conditiones meriti, libertatem ad actus inæquales; & tamen definit nihil deeſſe ad meritum vitæ æternæ actibus habentibus conditiones ibi enumeratas.

4. Eſt poſſibilis caſus erroris ineuitabilis, quo credatur vtramque partem contradictionis eſſe æquè malam, ideòque æquè vitandam. Tunc autem vtralibet pars eſt peccatum. Quia neutra poteſt eligi cum bona fide. Patet verò omne peccatum, ſicut & omne meritum eſſe actum moralem.

5. Donans nummum ex multis prorſus æqualibus, vni ex collectione hominum quoad omnia accidentia prorſus æqualium, illum obligat ad gratiarum actionem; tametſi ponatur neceſſe fuiſſe, vt aliquem nummum alicui hominum donaret ex prædicta æqualium collectione. Actus autem minimè moralis nullam poteſt gignere obligationem moralem. Quia quoad æſtimationem prudentem nihil differt actus minimè moralis ab actu prorſus neceſſariò.

6. Ratio indiuidualis cuiuſque rei continet in ſe peculiarem perfectionem diſtinctam à tota

per-

perfectione reliquorum indiuiduorum eiusdem speciei. Ergò eligens vnum actum inter plures eiusdem infimæ speciei, est speciali aliqua laude propterea dignus, quatenus inducit liberè in rerum naturam perfectionem aliquam peculiarem, cuius existentiam impedire potuit absolutè.

Art. 1. Respondetur. Vix quidquam oporteret adiungere circa præsentem quæstionem spectata natura rei, vltra ea, quæ dicta sunt in q. præcedenti; in qua videlicet præoccupata re. ipsa est decisio, & expositio huius difficultatis. Oportet nihilominus aliquid prætereà breuiter suggerere ad expediendas nonnullas tricas, quas nexuere nonnulli moderni post Granados, & Herice, contendentes libertatem ad solos actus omninò æquales sufficere ad moralitatem & meritum, præsertim si simul sint dissimiles inter se, diuersarumque specierum. Dicendum autem est cum communi Theologorum consensu, prædictam libertatem non sufficere ad moralitatem sumptam, vti superiùs expositum est, pro dignitate laudis, aut vituperij præmij, aut supplicij, ità vt operans reddatur aliquatenus æstimabilior, aut aliqua dignus compensatione, præcisè, quia elicuit actum aliquem omisso alio prorsus æquali, cum necessitate eliciendi alium prorsus æqualem illi, quem de facto elicuit, si hunc omittere voluisset. Probatur efficaciter, quia operans cum sola libertate ad æqualia, non acquirit vllam laudis, aut præmij dignitatem, neque præcise; quia operatur, neque quia eligit determinatè hoc potiùs, quàm aliud ex æqualibus. Non quidem præcisè quia operatur, quia hoc est illi necessarium omninò, ac ineuitabile. Alioquin posset omnia inuicem æqualia omittere, ac proindè exerceri omissione illis inæquali contra hypothesim. Sed neque ob electionem huius potius determinatè sumpti, quàm alius ex æqualibus; quia talis electio

tantum bonũ impedit, quantum ponit à parte rei, ac proindè euadit laudis, & vituperij æqualiter expers ob iustũ æquilibriũ impeditionis & positionis boni. Ne videlicet dicatur, quod est manifestè absurdum, aliquem esse æque dignum laude, ac vituperio propter eãdem operationẽ; & quod est absurdius, aliquem esse vituperio, aut reprehensione dignum, absque vlla præuia potestate vitandi eam dignitatem. Nempè impeditio boni est ex se materia tam idonea vituperij, quàm est; idonea laudis materia positio boni; si non adsit exceptio possessionis summi boni, vt in Deo, ac Beatis, aut æqualis compensationis, vt in præsenti.

Art. 2. Suadetur idem vlteriùs ex ipsâ formali moralitatis constitutione. Dictum enim est suprà q. 17. Moralitatem constitui formaliter libertate, & dependentia à regula morum propositâ per dictamen prudentiæ. Electio autem inter æqualia, licet sit libera, non tamen dependet à regula morum proposita per dictamen prudentiæ. Quia regula morum, & dictamen prudentiæ nihil præscribere possunt necessitato ad vnum aliquod ex æqualibus, quatenus sic necessitato. Nec enim directionis prudentiæ, & regulæ alicuius egens, aut capax est, cui perindè est sic vel secus operari, ex suppositione, qualis hìc sit, quòd vtrumque iam perindè sit. Accedit, eandem esse, ex Philosopho, laudis, & exhortationis materiam. Nulla autem est exhortationis materia, vbi omnia eligibilia sunt prorsus æqualia. Nulla igitur inibi est laudis materia, ac proindè neque approbationis, aut reprobationis præuia pertinentis ad prudentiam.

Art. 3. Verùm circa hoc argumentum obseruare oportet, actus inter se æquales respectu operantis, seu quoad vim perfectiuam eiusdem, simul esse posse valdè inæquales respectu aliorum. Quod perspicitur in primis clarè in actibus

Diui-

Diuinis dandi, & negandi nobis existentiam, aliaque dona sua. Idem patet in humanà eleemosynæ erogatione libera præcisè quoad erogandum vtrilibet ex pauperibus omnium circumstantiarum prorsus æqualium, inque alijs similibus. Patet enim in his casibus, licet operans non sit dignus laude magnifaciente ipsum, quia hoc potiùs effecit, quàm hoc aliud; seu quia huic potiùs erogauit, quàm huic alij; esse nihilominus eundem dignum laude gratificante soluenda, vt per se patet, ab eo, qui aliquid accepit; cum fieri potuerit, vt nihil acciperet. Quæ tamen ipsa obligatio gratiarum actionis non daretur, si libertas erogantis non versaretur circa personas æquales, sed solùm circa res erogandas æquales absque vlla libertate, quoad electionem personæ.

Art.4. Hinc rursus obseruandum est actum incapacem directionis prudentiæ monasticæ in ordine præcisè ad operantem, & quoad bonitatem, quam ipsi adiungit idem actus, posse nihilominus esse capacem directionis prudentiæ œconomicæ, aut legalis in ordine ad alios, quibus inæqualiter potest prodesse per actus æquales, quoad conceptum absolutum. Vndè fit, licet Deo nullus sit vsus prudentiæ in ordine ad bonitatem, & perfectionem propriam, quàm videlicet habet necessariò in summo gradu; vti nihilominus perfectissima prouidentia, quæ est pars principalis prudentiæ, in distribuendis bonis creatis, prout expedit ad finem vnicuique rei præfixum. Verùm hìc solùm agitur de directione prudentiæ monasticæ, aut quatenus coniunctæ cum monastica fundante laudabilitatem operis in ordine ad ipsum operantem secũdum se; nempè eà laude, quà ipse magni fiat, quia sic operatus est, & quà dignus non erat secundum se præcisè, seù præcisè ex vi actus primi, & independenter ab opere. Laudabilitas enim operis per respectum eius ad alios, & lau-

de purè gratificatoria est alterius considerationis de qua dictum est satis q. 19. de Deo, & q. 4. de Incarnat. Patet igitur ex his, libertatem ad actus omninò inter se æquales, siuè similes mutuò, siuè dissimiles, non esse sufficientem ad moralitatem eo sensu, quo hæc vsurpatur in præsenti.

15 Ad 1. Nullus actus Dei quà liber, & quatenus est electio sui præ alijs terminationibus liberis incompossibilibus secum, est laudabilis præterquàm laude gratificatoria æstimante ipsum præ actu opposito solùm relatè ad alium extra Deum; non verò comparatione ipsius Dei secundum se. Quia Deus ratione sui actus liberi solum est dignus ea infinita laude honoratiua, quæ ipsi debetur ratione suæ essentiæ; ità vt terminatio libera Dei sit æstimabilis, laudabilis, atque honorabilis ratione essentiæ, non minùs, aut aliter, quàm ipsa essentia; nō autem è cōuerso essentia sit specialiter æstimabilis, & magnificabilis propter terminationē, æstimatione, & glorificatione morali æstimante, & laudante actū ratione sui secundum se, & Deum ratione eiusdē actus, quatenus est electio sui præ alijs secum incompossibilibus, vti ostensum est in locis paulò prius indicatis de Deo, & Incarnatione. Christo autem Domino attributa est libertas ad actus inæquales etiam respectu operis præcepti q. 34. de Incarnat. Imo ibidem ostensum est, Christum Dominum fuisse liberum ad omittendos actus meritorios collectiuè, nec aliter quidquam mereri potuisset. Porrò valor id eò potuit esse infinitus, & vt talis communicari æqualiter omnibus actibus meritorijs, quia omnes fuere meliores, ac perfectiores actibus alijs secum incompossibilibus, & possibilibus proximè ex parte actus primi. Denique libertas non est directè ad valorem operis meritorij adæquatè sumptum, sed tantùm ad opus, quod est meritorium, vt dicetur infrà q. 32.

Ad

Ad 2. Licet Deus prædefiniat efficaciter, & omninò determinatè actum, qui elicitur cum sola libertate ad æqualia, non tamen illum præfert alijs appretiatiuè, sed tantum affectiuè, vti superius dictum est in simili de electione creata inter obiecta æqualia. Deinde, vtcumque id habeat: electio actus prædefiniti à Deo non fit à voluntate creata dependente à cognitione eius prædefinitionis, & qualiscumque prælationis diuinæ, vt apparet ex dictis qu. 34. de Deo circa concordiam nostræ libertatis cum prædefinitionibus Diuinis. Quapropter nulla potest redundare peculiaris æstimabilitas moralis in vllum actum nostrum ex Diuina eius prædefinitione. Quod si innotesceret antecedenter voluntas Diuina prædefinitiua, atque voluntas nostra operaretur dependenter ab ea notitia; eo ipso actus prædefinitus redderetur inæqualis cæteris, vtpote præcognitus, quatenus magis placens Deo; quæ inæqualitas est contra hypothesim, sub qua disputatur de totali æqualitate actuum, inter quos versatur libertas,

Ad 3. Negatur antecedens, quòd est multò difficilius quam id cuius probatio intenditur, vt apparebit infrà præsertim q.21. ob rationem quæ mox insinuabitur. Ad primam probationem antecedentis; conceditur Deum non retribuere præmia obligatum ex re accepta; sed negatur ea retribuere ratione libertatis purè materialiter se habentis, nullamque conferentis operi æstimabilitatem peculiarem. Retribuit itaque præmia Deus, vt ostendetur in q. modò indicata, compensando iacturam alicuius commodi temporalis, quam passus sit merens pro sectanda honestate, cum potuerit eam iacturam vitare honestate contempta, aut simpliciter, aut quoad aliquem eius gradum. Patet autem operantem cum sola libertate ad actus æquales, nullam eiusmodi iacturam pati posse, cum potestate illam vitandi absolutè. Manifestum siquidem

est, actum superatiuum difficultatis ex incommodo temporali, æqualem esse non posse actui nullius talis difficultati, victori. Deest igitur titulus retributionis apud Deum operanti cum sola libertate ad æqualia.

Ad secundam probationem. Conceditur sequela, cuius nulla est absurditas, De Christo Domino dictum iam est potuisse ipsum omittere omnes suos actus meritorios. Vndè quilibet eorum fuit æstimabilis, moraliter, atque compensabilis secundum se totum. Ad postremam probationem. Concilium Tridentinum eo in loco nullius prorsus libertatis meminit expressè; & tamen est certum ex fide, libertatem indifferentiæ requiri ad merendum, vt infrà dicetur. Quapropter Concilium definit implicitè, & in radice, necessitatem libertatis ad merendum, atque eo pacto complectitur etiam libertatem ad inæqualia. Quia postulat explicitè ad meritum vitæ æternæ, vt actus eliciãtur ex gratia per Christũ. Quæ certè non datur, aut vt inducat necessitatem ad actus æquales; aut vt supposita istiusmodi necessitate; fiat electio huius potiùs, quàm alterius actus omninò æqualis: sed vt fiat electio boni præ malo, seu non bono, aut non vsque adeò bono.

Ad 4. Negatur posse affirmari vtramque partem contradictionis esse æquè peccaminosam, quin eo ipso affirmetur vtramque esse æquè honestam. Quia affirmare vtramque esse æquè peccaminosam, est affirmare vtramque esse æquè vetitam, ac proindè vtriusque omissionem esse æquæ præceptam: quandoquidem vtralibet pars est omissio alterius. Ergo necesse esset affirmare vtramque partem esse æquè præceptam, atque ideò æquè honestam. Vndè, qui incidisset in talem errorem, simul operaretur ex bona, & mala fide; simul faceret, quod deberet facere, & quod deberet vitare; & quod caput est, peccaret simul, & non peccaret. Negatur itaque casum

obie-

obiectionis esse possibilem, quia contradictorijs nemo potest assentiri, vti notabitur iterum in simili q. 27.

Ad 5, Patet ex art. 3. & 4. Ad 6. Ratio indiuidualis metaphysica, quæ sola est præsentis considerationis nullam superaddit peculiarem perfectionem perfectioni specificæ, sed solam eiusdem perfectionis specificæ limitationem, ac restrictionem, atque insufficientiam, vt dictum est in qq. philosophicis. Deindè, vt superadderetur perfectio aliqua peculiaris; ea tamen esset prorsus æqualis in vnoquoque indiuiduo perfectioni vniuscuiusque alterius indiuidui, vti ibidem ostensum est, ideoque nihil conferret ad meritum libertas, quoad talem præcisè perfectionem, vt patet ex dictis.

QVAESTIO XX.

Vtrum prima, & vniuersalis regula morum sit Diuina voluntas?

VIDETVR non esse. 1. Quia voluntas diuina habet aliam anteriorem regulam sui, nempe dictamen sapientiæ suæ, & bonitatem suæ naturæ, à quibus discordare non potest, estq; infinitè sancta, quia infinitè conformatur eisdem, esset vero peccatrix, si discordaret ab illis. Non autem est prima regula id, cuius datur alia anterior regula.

2. Finis est regula eorum, quæ sunt ad finem Deo autem conuenit ratio vltimi finis, & vniuersalis rerum omnium, secundum bonitatem suæ naturæ, & non secundum suam voluntatem, vt patet ex q. 2. Ergò bonitas Diuina, potiùs, quàm Diuina voluntas est prima, & vniuersalis regula rerum omnium, atque adeò morum.

3. Impossibile est, quòd aliquis agat, quod Deo videtur esse bonum, & non benè agat, aut, quòd agat, quod Deo videtur non esse bonum, & non malè agat; atque è conuerso de omissione. Deo autem videri de vno quolibet, quòd sit bonum, vel non sit bonum, præcedit actum, & determinationem voluntatis Diuinæ. Quia Deus determinat per voluntatem, prout sibi visum est priùs per sapientiam suam, Ergò videri Diuinum, quod est sapientia Dei, est sufficiens regula, eademque prima simpliciter operationum nostrarum.

4. Plura

4. Plura Deus vult, quæ nobis non licet velle. Vult enim Deus damnationem eorum omniū, qui reprobantur de facto, & voluit passionem Christi Domini, quem sua voluntate pro nobis omnibus tradidit: & tamen nobis non licet velle damnationem cuiusquam, sed tenemur conari, & orare, vt omnes saluentur. Nec licuit velle passionem Christi ijs, qui voluntate sua eam induxerunt, & inducendo peccauerunt. Ergò voluntas Dei non est regula nostræ.

5. Voluntas Diuina non innotescit nobis immediatè per se ipsam, sed mediantibus rebus creatis. Ergò vt cognoscamus Deum aliquid velle, & aliquid aliud nolle: necesse est, vt priùs concludamus ex consideratione rerum creatarum illud esse bonum, & hoc malum, ideòque illud esse, & hoc non esse volibile à Deo. Quod autem sufficit ad cognitionem discretiuàm boni à malo, ideòque volibilis, & nō volibilis à Deo; est sufficiens regula nostræ voluntatis. Datur ergò alia regula obiectiua nostræ voluntatis prior, quàm sit voluntas diuina,

6. Voluntas Diuina non potest nostram dirigere, ac regulare, nisi per legem latam ab ipsa. Datur autem in nobis sufficiens regula, & directio nostrarum operationum independenter à lege Diuina, & ante eandem legem, vt apparet ex illo ad Rom. 2. 14. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis, sunt faciunt eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: Ergò prima directio nostræ voluntatis non est Diuina voluntas formaliter, sed solum efficienter, quatenus indidit nobis participationem sapientiæ suæ, per quam relate ad bonitatem, & dignitatem naturæ nostræ, quæ est specialiter assimilatiua diuinæ, discernere valeamus, quæ agere, quæque vitare debemus.

7. Omnia alia præter naturas intellectuales agendo, quæ congruunt naturis ipsorum, & vi-

tando contraria (quod faciunt ex inclinatione, & instinctu sibi indito à Deo) consequuntur suam perfectionem, & pertingunt ad finem sibi præfixum. Ergò etiam substantiæ intellectuales faciendo, quæ se decent, qua intellectuales, seu rationales sunt, & vitando, quæ non decent, possunt peruenire ad totã, cuius sunt capaces perfectionem, & ad possessionem sui finis, quin opus habeant inspicere ad aliam regulam suæ actionis. Patet consequentia; quia nequit esse minor sufficientia substantiæ intelligentis, quam non intelligentis, sub eadem proportione; cùm illa sit similior Deo, qui est plena vndique sufficientia respectu sui.

Confirmatur; quia ipsi voluntati, legique diuinæ non aliam ob causam conformari tenemur, quàm quia decet creaturam conformari voluntati, & legi creatoris, ac Domini sui; atque oppositum dedecet, Ergò suprema, & vltima regula morum est ea decentia, & indecentia actionis respectu operantis, Confirmatur rursus; quia communis hominum sensus est, quædam debere fieri, & quædam alia vitari, tametsi nulla esset lex, nec esset Deus. Ità enim loquuntur communiter de honore parentum, de gratitudine, de non occidendo innocenté, non prodenda patria, & similibus. Datur ergò alia regula agendorum, & vitandorum, præter voluntatem, & legem Dei.

8. Mensura debet esse homogenea mensurato ex 10. Metaphys. text. 4. Eademque debet esse certissima, atque notissima, cùm aliàs non possit fungi munere suo. Voluntas autem Diuina non est homogenea creatæ, imò est infinite distans ab ipsa, iuxta illud Isai 55. *Sicut exaltantur Cæli à terra: ita exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et propter eandem rationem est remotissima à nostra cognitione, atque de facto circa quamplurima dubitamus, quæ sit voluntas Dei. Ergò

volun-

voluntas Dei non est mensura idonea nostræ voluntatis.

Art. 1. Respondetur. Bonitas actus tam circa finem, quàm circa ea quæ sunt ad finem dependet ex bonitate finis, vt dicetur q. 25. Finis autem vltimus hominis, ad quem cætera omnia referuntur, tanquam media, est summum bonũ, quod est Deus, vt liquet ex quæstion. 2. Ergò summum bonum, quatenus est vltimus finis hominis est id, à quo tanquam à proxima regula dependet bonitas actuum humanorum. Quia verò eodem est regula recti, & obliqui, vt dicit Philosophus, patet idem summum bonum esse primam regulam, à qua dependet malitia actuũ humanorum. Qua propter omnes actus, quibus quis accedit ad Deum, eidemque adhæret, siuè immediatè siuè mediatè, sunt boni; mali verò, quibus ab eadem recedit, & auertitur: atque eò magis, vel minùs sunt boni, & mali, quò maior est accessus, & recessus. Et quidem quoad actus, qui immediatè versantur circa Deum, hoc est inuariabiliter verum. Impossibile namque est, vt actus, quibus quis immediatè adhæret, summo bono, non sint boni; & similiter, vt non sint mali quibus auertitur immediatè ab eodem. Vndè, quoad istos actus, nulla libera dispositio diuinæ voluntatis potest inducere vllam variationem bonitatis, aut malitiæ.

Art. 2. Quoad actus, qui versantur mediatè circa Deum, & immediatè circa alia ordinata ad Deum; quæ proinde habent rationem medij, aut finis non vltimi, obseruandum est, fieri posse, vt finis, quatenus obtinendus ab aliquo cõnectatur omninò determinatè cum aliquo, aut aliquibus medijs; cùm alijs verò connectatur tantum indeterminatè. Ità qui existit Romæ, & vult peruenire Neapolim, necesse est determinatè, vt moueatur; quòd verò terra, vel mari, serò, vel citò, velociter, vel lentè, non est necesse

deter-

determinatè, & similiter non est necesse determinatè, vt iter terrestre agatur, equo, aut rheda, aut pedibus, vtue mare transmittatur triremi, aut naui, aut celoce. In hunc igitur modum ad consecutionem summi boni, quod est Deus, necesse est determinatè, ex ipsa huius finis natura, cognoscere, & amare Deum super omnia, eundemque colere, & consequenter non contemnere Deum, aut eius præcepta, non blasphemare, non colere idola; & reprimere eatenùs motus passionum in contrarium. & sic de similibus; non tamen necesse est determinatè ex natura præcisè eiusdem finis, vt his determinatè sacrificiis, ac Sacramentis colatur Deus; vt tales determinatè ritus adiungantur; vt reprimantur passiones tot determinatè ieiunijs, & tali determinato tempore, & sic de similibus sed quoad eiusmodi se habet indifferenter ex se præcisè, & oportet, vt aliundè determinatio proueniat.

Art. 3. Omnis autem determinatio indifferentiæ cuiusuis pertinet ad aliquam voluntatē; quæ videlicet sola est electiua inter plura absolutè possibilia, & inuicem incompossibilia; Quod si plures voluntates inæquales, & subordinatæ inter se, circa eadem versari possint; determinatio pertinet primò, & per se ad primam, & præcipuam voluntatem; cuius nempè cognitio est perfectior, & potestas maior; & cui proindè subordinantur reliquæ, & tenentur se illi conformare, tanquam regulæ suæ; Quia primum in vnoquoque genere est regula cæterorum; vndè ad reliquas voluntates subordinatas pertinet eadem mediorum determinatio, solùm quoad ea, quæ ipsarum arbitrio, ac dispositioni permittuntur à prima, & suprema voluntate. Permittuntur verò respectiuè ad singulas ea omnia, & sola, ad quorum determinationem, ac dispositionem sunt ex se sufficientes, ne perperam talem sufficientiam acceperint. Quòd si ei determi-

terminationi, ac diſpoſitioni ſit annexus effectus aliquis, ad quem inducendum ſola prima, ac præcipua voluntas ſufficiat, erit omninò neceſſariâ, vt patet, cooperatio eiuſdem primæ, ac præcipuæ voluntatis; atque ex eius cooperatione proueniet efficacia talis diſpoſitionis, ac determinationis, quoad talem effectum.

Art.4. Prima autem, & præcipua inter omnes voluntates eſt Diuina, quæ dirigitur cognitione perfectè comprehenſiua rerum omnium, quæ verſatur comprehenſiuè circa ſummum bonum, quod eſt finis vniuerſalis rerum omnium: cum voluntates reliquæ dirigantur cognitione rerum limitata, ac indæqnata, atque ad ſummum bonum ferantur limitate, ac inadæquatè. Præterea determinationi mediorum ad vltimum finem cum excluſione aliorum incompoſſibilium, eſt annexus effectus infuſionis gratiæ in præſenti, & collationis gloriæ in futuro; qui effectus immediatè ſubeſt potentiæ, & voluntati Diuinæ. Patet igitur primam regulam vniuerſalem ordinationis mediorum ad finem vltimum eſſe Diuinam voluntatem. Quæ videlicet ſola de omnibus vniuerſaliter, ac efficaciter determinat, ac diſponit; de quibusdam ſe ſola, & de quibusdam alijs cum ſecundaria cooperatione voluntatis creatæ; & rurſus de quibusdam neceſſariò ſuppoſita creatione ſubſtantiarum intellectualium, & de quibuſdam alijs omninò liberè, eâ etiam facta ſuppoſitione; idque ob naturam bonitatis diuinæ, exigentis ex ſe determinatè quædam media, alia verò indeterminatè.

Ad 1. Natura Diuina eſt regula ratione noſtra prior dictaminis neceſſarij ſapientiæ Diuinæ; & vtrumque ſimul eſt rurſus regula amoris neceſſarij Dei prior eodem ratione noſtra. Cæterum reſpectu noſtri, prima regula vniuerſalis eſt voluntas Dei; quia independenter à determina-

minatione libera diuina, non datur vlla determinatio ex parte alicuius prædicati necessarij Dei, quoad plures actus, quibus exerceri, & à quibus abstinere debet vnaquæque voluntas creata. Nihil enim verò obstat regulatum ab aliquo, quoad aliquid, esse regulam nihilominùs deindè primam vniuersalem, respectu aliorum inferiorum.

Ad 2. Finis vltimus ex suo præcisè conceptu est prima regula operationũ nostrarum, quoad ea, cum quibus ex se præcisè connectitur intrinsecè connexione omninò determinatà. Cæterùm quoad ea, respectu, quorum se habet indifferenter ex se præcisè, non potest habere rationem regulæ, nisi accedente determinatione libera suæ voluntatis. Vndè sola volũtas Diuina habet rationem primæ regulæ vniuersalis volendo, & nolendo necessariò ea, cum quibus bonitas naturæ Diuinæ connectitur ex se determinatè, & quibus similiter repugnat: atque de cæteris determinando liberè. Qua de causa priora illa dicuntur esse de iure naturali diuino; hæc posteriora de iure diuino positiuo, quoad ea, de quibus disponit Deus sola sua voluntate, ac libertate; De iure verò humano, quoad ea, circa, quæ cooperatur voluntas, ac libertas humana.

Ad 3. Dictamen sapientiæ Diuinæ approbat, ac reprobat necessariò ante omnẽ liberã determinationem, quæ sunt de iure naturali, seu bona, seù mala; & quoad hæc est regula nostræ voluntatis ratione prior, quàm voluntas Diuina. Cætera proponit indifferenter, ac vagè, nec approbat, aut reprobat determinatè, nisi accedente libera determinatione; & quoad hæc est regula nostræ volũtatis ratione posterior, quàm voluntas diuina. Vndè voluntas Diuina quoad omnia, est regula realiter prima simul cum bonitate, & sapientia diuina, & à neutra potest discrepare in aliquo, quia identificatur realiter

ter cum vtraque, At ratione nostra, quoad aliter qua est prima regula, & quoad aliqua alia est secunda, vel potius tertia regula iuxta dicta. Quapropter ratio regulæ vniuersalis conuenit ipsi primò etiam ratione nostra. Quia neque ex modo nostro concipiendi intelligitur vlla regula vniuersalis, seù proxime, ac determinatè directiua nostri vniuersaliter, quoad omnia antè liberam determinationem, ac dispositionem Diuinæ voluntatis, eademque data, ac intellecta, eo ipso illa datur, ac intelligitur.

Ad 4. Aliud est, Deum velle aliquid; aliud Deum velle, vt nos velimus aliquid. Aliud similiter est, Deum velle aliquid voluntate beneplaciti, aliud velle voluntate signi. Aliud denique est, Deum velle aliquid voluntate antecedenti, aliud velle voluntate consequenti, quæ diuisiones expositæ sunt in q. 23. de Deo. Voluntas Diuina habet rationem regulæ, respectu nostræ, solùm quatenus vult nos velle aliquid; idque voluntate signi, & antecedenti. Exempla autem obiectionis sunt de ijs, quæ Deus non vult nos velle, nec vult voluntate signi, & antecedenti, ideòque sunt abs re,

Art. 1. Ad 5. Discrimen eorum, quæ sunt bona, vel mala ex sola libera determinatione Diuina, non innotescit nobis, nisi ex diuina reuelatione, quæ simul, ac indiuisim manifestat eandem determinationem Diuinæ voluntatis. Ratio autem naturalis non potest conijcere differentiam bonæ, & malæ operationis, nisi quoad ea, quæ sunt de iure naturali, vel humano. Et quoad hæc potest cognoscere conuenientiam, aut disconuenientiam cuiusque operationis, tum respectu naturæ humanæ, quà rationalis est, tum respectu legis humanæ, nondum cognitâ, seu explicitè animaduersa conuenientia, aut disconuenientia respectu finis vltimi, aut voluntatis Diuinæ: Verùm si voluntas operetur cum sola cognitione prioris illius conuenientiæ, aut dis-

sconu-

conuenientiæ, operatio euadet bona, vel mala sola bonitate, aut malitia philosophica, seu politica, reddente hominem benè ordinatum relatè ad ea, quæ sunt intra ipsum hominem, aut in ipso homine, vel relatè ad Rempublicam temporalem ac proindè denominante eundem bonum, vel malum, vel ciuem, vel etiam hominem, sed philosophicè, ac monasticè tantum; sicuti denominatur bonus miles, aut medicus, qui operatur iuxtà cognitionem eorum, quæ conferunt ad victoriam, vel ad sanitatem. Impossibile enim est, vt operatio sortiatur bonitatem, vel malitiam, nisi relatè ad finem propositum per cognitionem, quà dirigitur, & qualem idem finis continet in se; quia operatio sortitur speciem à fine per ipsam intento, aut contempto; idemque proinde finis est mensura totius bonitatis, & malitiæ conuenientis actui.

Art. 2. Necessaria igitur est vlterior illatio, & transitus cognitionis ad vltimum finem, scit ad voluntatem Diuinam, vt operatio euadat bona, vel mala, bonitate, aut malitia Theologicà reddente hominem benè ordinatum relatè ad ea, quæ sunt supra ipsum, ideòque eum denominante bonum, vel malum, hominem absolutè, siuè adæquatè, siue inadæquatè; perfectè, vel imperfectè; eodemque modo eundē constituente bonum ciuem Regni Cælorum, vel alienum ab eo Regno. Vnumquodque enim est bonum, vel malum simpliciter, quatenus est bene, vel malè dispositum in ordine ad suum finem. Cum ergò finis humanæ naturæ non sit ipse homo, aut legislator humanus, aut quidquam aliud creatum, sed solus Deus; atque consecutio huius finis eiusdemque consequibilitas, per hæc vel illa media determinatē, dependeat à voluntate Diuina, vt dictum est suprà: patet operationem hominis non posse euadere bonam, vel malam bonitate, vel malitia reddente hominem bonum, vel malum, quà homo est, absolutè & sine

ſine addito, niſi mediatè, vel immediatè ordinetur ad Deum, & ad voluntatem diuinam. Quod ipſum fieri minimè poteſt non præeunte cognitione vltimi finis, & voluntatis diuinæ, quatenus diſponentis de medijs neceſſarijs, aut vtilibus ad conſecutionem illius. Sola autem eiuſmodi bonitas, & malitia eſt propria conſiderationis Theologicæ. Sola igitur voluntas Diuina eſt prima regula vniuerſalis bonitatis, & malitiæ actuum humanorũ apud Theologũ; Eſto detur alia regula quoad nos prior bonitatis, & malitiæ ſecundum quid, mediante cuius cognitione peruenimus naturaliter ad cognitionem illius alterius regulæ per ſe, & ſpecialiter primæ. Sed de his addetur aliquid præterea infrà.

Ad 6. Lex naturalis ſcripta in cordibus noſtris eſt lata à Deo, & conſtituta per voluntatem Diuinam, non minùs, quàm lex poſitiua Diuina, aut humana, ſiue ſit ſcripta in chartis, aut tabulis, ſiue intimata voce tenus. Nemo autem ſufficienter dirigitur ad ſuum finem, ſeù naturalem, ſeù ſupernaturalem abſque alterutra ex illis lege, atque adeò ſine cognitione Diuinæ voluntatis. Quapropter Apoſtolus, dum loquitur de gentibus, quæ legem non habebant, ſolam illis negat legem *ſcriptam* ſine metaphora, & eatenus dicit eas ſibi fuiſſe legem, quatenus, conſideratione ſui, poterant peruenire, & perueniebant ad cognitionem legis Diuinæ, quà obligabantur de facto; non verò quod conſideratione ſui ſiſtendo in ſe ſufficienter dirigerentur. Nempè qui inſpicit ad ſcripturam aliquam, oportet vt indè manuducatur ad cognoſcendum aliquid vltrà id, cui adiacet ſcriptura. ſi quidem eam intelligat. Illæ autem gentes habebant opus legis ſcriptum in cordibus uis; ſcriptum verò manu Dei, *in qua eſt cor Regis, & qui ſolus intuetur cor*, & cuius caracteres opere quaſi fuſorio impreſsi, vt pote indiſtin-

&i ab ipso corde, ità referunt auctorem suum, auctorem simul, ac plasmatorem cordis, vt confundi cum nullo alio possit ab eorum lectore, nisi volente, & ne quidem volente falli, & obliquis vtcumque oculis inspiciente cor, quatenus est instrumentum scriptum, & tabula legislatoris; cum sit nimis manifestum, à nullo alio præter Deum talem scripturam perfici potuisse, nec Deum alterius legislatoris amanuensem esse posse.

Art.1. Ad 7. Bonum aliud est vtile, aliud iucundum; aliud honestum, iuxtà communem diuisionem desumptam ex Philosopho; vtile dicitur, quod est necessarium, aut conferens ad esse rei, seu quo res indiget, vt sit. Iucundum dicitur, quod est necessarium aut conferens ad esse delectabiliter, seù quo quis indiget, vt delectabiliter, & iucundè sit. Honestum dicitur, quod est necessarium, aut conferens ad esse excellenter, seù quo quis indiget, vt sit excellens, idest, cultu, ac reuerentia dignus. Vndè bonum vtile conuenit homini quatenus est ens creatum; idest indigum, vt sit, aliorum bonorum extra se; estque proinde ipsi commune bonum vtile cum omnibus alijs rebus creatis. Bonum verò iucundum conuenit homini quatenus est animal, estque ipsi commune cum brutis vel certè propiùs accedens ad ea quorum capacia sunt bruta, quàm ad ea, quorum soli Angeli sunt capaces. Bonum denique honestum conuenit homini quà homo est, estque ipsi commune cum solis Angelis, vel certe accedit propiùs ad ea, quorum soli Angeli sunt capaces, quàm ad ea, quorum capacia sunt bruta, aut inanimata.

Art.2. Ratio huius postremæ partis est, quia homo nequit excellere; ita vt sit cultu, ac veneratione dignus, nisi ipsi accedat perfectio aliqua maior, quàm quæ necessario inest naturæ suæ. Quia homines sunt infimi inter eos,

qui colere, & venerari possunt; nemo verò iure colit, ac veneratur alium, nisi agnoscat in eo aliquid maius, quàm quod sibi necessariò inest ex sua natura. Patet autem propiùs accedere ad Angelos, quàm ad bruta, illud bonum, ratione cuius homo hominem superat, quoad ea, quæ necessariò insunt naturæ humanæ. Angeli autem cum comprehendant se, nequeunt cognoscere naturam suam, & bona, quorum ipsa est capax, quæque ipsam decent, quin simul cognoscant Deum, tanquam auctorem, & dominum suum, cuius proindè voluntati conformari debent. Ergò neque homo cognoscere potest bonum honestum, respectu sui, ratione cuius assimilatur Angelis modò dicto, quin simul saltem implicite, & conuertibiliter cognoscat Deum, & suam obligationem, vt conformetur voluntati eius. Mirum igitur non est, vt insensibilia, & bruta vtantur exigentia, & appetitu naturæ suæ tanquam regula sufficienti operationum suarum, cum non sint capacia bonorum, quæ superant naturam ipsorum. Homo verò indigeat superiori alia regula, cum sit capax bonorum, quæ superant naturam eius, & in ordine ad quæ redditur excellens respectu parium in natura. Cui rei tam longè abest, vt contradicat perfectio maior naturæ humanæ, vt potiùs ad eandem maioritatem perfectionis id necessariò consequatur.

Art. 3. Ad primam confirmationem: conceditur, ideò nos conformari debere voluntati Diuinæ, quia decet, vt illi conformemur, atque dedecet oppositum. Verùm quia hoc est primum vniuersaliter decens inter omnia, quæ decent humanam naturam, idest sunt honesta comparatione eius, iuxta expositionem honesti nuper datam, quod coincidit cum decenti; propterea est regula cæterorum omnium, quæ decent. Quapropter illa causalis, *quia decet*, sumpta in sensu legitimo ac vero, solam denotat prio-

prioritatem per accidens, quoad nos in cognoscendo, iuxta dicta ad 5. sicut cum dicimus, Deum posse facere aliquid, quia est possibile; cum re ipsa voluntas Dei sit causa. & ratio obiectiua à priori ob quam hoc deceat, & hoc aliud non deceat, sicut omnipotentia est causa, & ratio obiectiua à priori; ob quam quædam sint possibilia, & quædam alia impossibilia, prout dictum est q. 36. de Deo.

Art 4. Ad alteram confirmationem: vulgares locutiones de hypothesi impossibili solent esse nimis crassæ, distortæ, & impropriæ, nec sunt facilè traducendæ, & raro traduci vtiliter possunt ad Scholasticas præcisiones. Quia apprehensio iusta eiusmodi hypothesis, atque enunciatio fideliter determinatiua alterius partis, eà admissà, est perdifficilis etiam ingenijs benè disciplinatis, de quo alibi fusius. Crediderim, dum vulgò dicitur, honorandos esse parentes, ex.gr. tametsi non esset Deus, nec daretur lex vlla diuina, intelligi legem positiuam, liberè promulgatam de facto, eiusque auctorem solùm, vt auctor eius est. Atque in hoc sensu nihil indè concluditur ad propositum. Cæterum re ipsa sublato penitùs Deo nullum esset discrimen honesti à non honesto, & hominis boni à non bono, quia nullum esset discrimen benè dispositi à non benè disposito ad suum vltimum finem, vt patet ex dictis, sicut ablatà possibilitate itinerum, & onerum, nullum esset discrimen equi boni à non bono, & sic de similibus.

Ad 8. Sufficit regulam proximam, & immediatam esse homogeneam regulato. Regula autem proxima, ac immediata nostræ voluntatis, est dictamen rationis, vt dicetur quæst. 22. Quod dictamen ità est entitatiuè homogeneum cum nostris actibus voluntatis, vt simul sit intentionaliter, & obiectiuè conformis vijs, & cogitationibus Dei. Quæ proindè dicuntur dicta-

re

re toto Cælo à cogitationibus, & vijs noſtris, ſumptis præcipuè pro ratione inferiori; tametſi diſtent infinitè etiam à noſtra ratione ſuperiori propter magnitudinem perfectionis, & propter reconditam altiſſimorum finium amplitudinem. Quod ad notitiam attinet voluntatis Diuinæ, ſemper ea nobis adeſt circa particulare eligibile, vel certa ex fide, vel euidens ex diſcurſu, vt patebit ex q. 23. & 24. licet ſpeculatiuè, & in vniuerſali plures ſæpè occurrant difficultates, vel prorſus inexplicabiles, vel non determinabiles cum certitudine.

QVÆSTIO XXI.

Vtrum voluntas Diuina præcipiens, prohibens, conſulens, permittens differant realiter ex parte obiecti directi?

VIDENTVR differre ſolùm ex modo tendendi, vel per ſolam reflexionem ſupra ſe. 1. Quia eadem obiecta ſunt capacia terminandi actus honeſtos, atque inhoneſtos, vt patet in amore, & odio Dei, altero ſummè honeſto, altero ſummè inhoneſto: cum tamen obiectum adæquatum vtriuſque ſit ſolus Deus; eademque eſt ratio de ſimilibus. Ergò eadem obiecta ſunt capacia quæ terminent præceptum, aut conſilium, atque prohibitionem; & conſequenter ijdē actus noſtri ſunt ſimiliter capaces, vt ſubſint promiſcuè ijſdem Dei legibus inuicem oppoſitis. Ergò voluntas Diuina præceptiua, & prohibitiua, non differunt neceſſariò ex parte obiecti,

obiecti, circa quod versantur.

2. Eadem obiecta volita ab agente libero, & compote rationis, gignunt actus honestos, vel inhonestos; volita verò à bruto, aut homine ex parte libertatis, nec honestatē, nec inhonestatē refundunt vllam; & iuxta bonā, vel malā fidē operantis euadūt actus honesti, vel inhonesti circa quodcumq. cuiusuis cōditionis obiectū. Ergo eadem obiecta, ijdemque actus absque vlla inter se diuersitate, vt sunt in se intrinsecè, possunt subesse promiscuè voluntati diuinæ præceptiuæ, & prohibitiuæ; & nec præceptiuæ, nec prohibitiuæ, sed purè permittenti.

3. Præceptum, & consilium differunt in voluntate Diuina ad eum modum, quo differunt in voluntate nostra votum, & simplex propositū. Nostrum autem votum, & propositum, non semper, ac necessariò differunt inter se ex parte obiecti directè voliti. Quia de eodem opere cum ijsdem omnibus circumstantijs obiectiuis potest vnusquisque pro libito concipere vel votum obligans in conscientia, vel simplex propositum nullam imponens obligationem conscientiæ. Ergò similiter potest Deus vel præcipere, vel consulere pro libito absque vlla diuersitate obiectiua alterius ab altero actu.

4. Voluntas Diuina præceptiua, & prohibitiua, vel cadunt super actus nostros, quatenus directos cognitione eiusdem voluntatis præceptiuæ, & prohibitiuæ, & quatenus indè sortiuntur discrimen bonitatis, & malitiæ moralis; vel cadunt super eosdem actus secundum se præcisò consideratos relatè ad alia obiecta distincta à voluntate Diuina legislatiua. Si primum; sequitur circulus vitiosus, exposita differentia voluntatis diuinæ præceptiuæ, & prohibitiuæ relatè ad bonitatem, & malitiam actuum nostrorum; & rursus exposità bonitate, & malitia nostrorum actuum relatè ad voluntatem diuinā præceptiuam, & prohibitiuam. Si secundum; ijdem

ijdem actus secundum, idem poterunt placere, & displicere Deo; siquidem displicet, quod prohibetur, & placet, quòd præcipitur. Quod tamen est absurdum non minus, quàm idem secundum idem simul esse bonum, quod est obiectum complacentiæ, & malum, quod est obiectum displicentiæ. Nullus igitur est modus exponendi idoneè differentiam voluntatis Diuinæ præceptiuæ, & prohibitiuæ ex parte obiecti adæquatè distincti ab eadem voluntate.

5. Non potest dici voluntatem Dei legislatiuam, & obligantem differre à voluntate consiliatiua, nec obliganti, per hoc præcisè, quod legislatiua vult, & minatur pœnas facienti, aut omittenti aliquid; consiliatiua verò non vult illas, nec minatur, sed solùm promittit præmia sub simili conditione. Hoc, inquam, dici non potest; quia intentio, & minæ pœnarum, atque promissio præmiorum supponunt bonitatem, & malitiam operationum, quibus ea rependuntur. Nec enim operationes ideò sunt malæ, quia subiacent pœnis; aut bonæ, quia compensantur præmijs; nec ideò præcisè, aut vitandæ sunt actiones, ad quas subsequuntur pœnæ, quia vitandæ sunt pœnæ ipsæ; aut expetendæ sunt actiones, ad quas consequuntur præmia, quia expetenda sunt ipsa præmia: Quin potius è conuerso, ideò præscribuntur pœnæ quibusdam operationibus, quia sunt malæ, debentque vitari multò magis propter malitiam ipsarum, quàm propter malum, quod inest pœnæ; cùm prior malitia sit multò maior, quàm posterior ex q.7. de Iustificat. Et similiter promittuntur præmia quibusdam alijs operationibus, quia sunt bonæ, debentque expeti præcipuè propter bonitatem ipsarum; & eò euadunt laudabiliores, atque digniores præmio, quò minùs respicit ad lucrũ præmij, qui operatur. Seclusa autem differentia obiectiua per pœnas, & præmia, inter voluntatem diuinam legislatiuam, & consiliatiuam; præceptiuam, & prohibitiuam; nihil omninò

superest ex parte obiecti directi, relatè ad quod distinguantur inter se prædicti actus diuinæ voluntatis, vt patet consideranti rem ipsam, & rationes alias modò propositas. Differunt ergò eiusmodi actus, vel præcisè ex modo tendendi ad suum obiectum ipsumq; respiciendi, vel præcisè per reflexionem suprà se ipsos, quatenus Deus per vnum suum actum vult ipsum esse prohibitionem obiecti, & actus creati, circa quem versatur, per alium verò actum vult similiter ipsum esse præceptum, & sic de consilio, deque permissione.

Art. 1. Respondetur. Duplex desideratur differentia obiectiua pro intelligentia clara, & distincta voluntatis diuinæ obligantis à nō obligante, seù legislatiuæ à consiliatiua, & permissiua; nec non voluntatis præceptiuæ à prohibitiua. Prior differentia est, quæ proponitur per dictamen præuium diuinæ sapientiæ, ratione cuius differentiæ præcognoscitur oportere, vt hoc præcipiatur, & hoc aliud prohibeatur; aliud verò consulatur, aut prohibeatur. Altera differentia est penes id, ad quod specialiter terminatur vtralibet ex ijsdem dispositionibus diuinæ voluntatis; quæ secunda differentia desideratur præcipuè, quoad ea obiecta, & actus, qui proponuntur antecedēter à dictamine diuinæ sapientiæ cum indiffetentia, vt prohibeantur, vel præcipiantur, iuxta dicta in q. præcedenti. Vtraque porrò istiusmodi differentia visa est nonnullis vsque adeò difficilis explicatu, vt succubuerint oneri difficultatis, atque concluserint nullā esse vtriusuis differentiam, saltem vniuersalem ex parte obiecti directi, aut dictaminis sapientiæ diuinæ, aut diuinæ voluntatis legislatiuæ: atque ideò totam differentiam reuocandam esse, vel in modum tendendi diuinæ voluntatis, vel in reflexiones peculiares cuiusque actus diuini supra se eo modo, quo insinuatum est nuper in quinta ratione dubitandi, atque ipsi fusissimè prosequuntur impediti semper, atque

vlterius semper impulsi, obscuritate doctrinæ suæ semper relabentis ad punctum, à quo cœperat expositio.

Art. 2. Verùm vltra falsitatem distinctionis actuum tum intellectus, tum voluntatis, vel per solos modos tendendi, vel per solas reflexiones singulorum actuum supra se, de qua falsitate alibi agendum est ex professo; suppetunt aliæ rationes, quæ demonstrant existere reipsa discrimen tum ex parte obiecti propositi per dictamen Diuinæ sapientiæ, tum ex parte obiecti approbati, & reprobati per voluntatem legislatiuam Dei. Primùm, quia promulgatores Euangelij suadent gentilibus legem Dei contentam in decalogo esse optimam, & rationi maximè cõsentaneam ex consideratione obiectorum, quæ illi subsunt. Quia scilicet quæ præcipiuntur per illam, sunt honestissima; & quæ prohibentur, sunt æquè inhonesta. Quòd fieri non posset, certè fieret inutiliter & cum petitione principij; si honestas, & inhonestas obiectorum non solùm essent reipsa connexæ cum lege Dei, sed etiam formaliter; & adæquatè conuenirent ipsis per puram denominationem à sola sapientia, & voluntate legislatiua Dei; nec nisi per vtramque, vel alteram earum discernerentur inuicem honesta, quatenus honesta, ab inhonestis, vt inhonestis. Deindè obiecta, quæ præcipiuntur, & vetantur à Deo per legem naturalem, habent intrinsecè in se ipsis dignitatem, alia quidem vt præcipiantur, alia verò vt vetentur. Quia suppofita hominum existentia, necesse est saltem ex natura rei, vt existat lex naturalis, qualis existit defacto. Alioquin non posset nobis certò naturaliter constare, vti constat de facto, de existentia eius legis, atque humana Respublica esset, vt minimùm, æquè benè constituta cum opposita lege, aut absque vlla lege. Cui autem conuenit ex se intrinsecè necessitas vt prohibeatur, aut præcipiatur, eo ipso conuenit ex se intrinsecè sufficiens ad id ipsum dignitas, nec

nō discernibilitas ab alijs obiectis nō habētibus in se intrinsecè talē necessitatē, & dignitatem. Reliquæ autē omnes leges, aut imitantur legē naturalem, eandemque promouent supra captum rationis naturalis, vt lex supernaturalis: aut sunt appendices, & quasi conclusiones legis naturalis, vt lex positiua tum diuina, tum humana naturalis ex parte obiecti, & actuum, quos præscribit ideòque necesse est, vt omnis alia lex inueniat ex parte obiectorum discrimen intrinsecū, quale dictū est adesse in obiectis, circa quæ versatur lex naturalis. Præterea quæ conueniunt, quæque disconueniunt quibusuis alijs rebus distinctis à substantijs intellectualibus, differunt inter se intrinsecè, ac essentialiter, & non per solam denominationem extrinsecam à dictamine sapientiæ, & à voluntate diuina, siue determinatè, siuè indeterminatè, ac vagè singula singulis debeantur. Fieri autem non potest, vt quæ conueniūnt, & disconueniūt; prosunt, ac nocent substantijs intellectualibus, quæ ex sua natura intrinsecè sunt fines respectu cæterorum omnium existentium extra Deū, non sint similiter diuersa inter se intrinsecè, cum sint magis quodammodo ordinata ex se ad hominem & Angelos, quæ spectant ad ipsos; quàm sint ordinata ex se, quæ spectant ad alias substantias, propter rationem dictam. Cum igitur honesta, & inhonesta sint præcipua inter ea, quæ spectant ad substantias intellectuales, quæque eisdem vel prosunt, vel nocent; oportet illa esse, quasi à fortiori, diuersa, ac dissimilia intrinsecè ex sua natura. Postremo, eàque cæteris efficacior impugnatio eiusmodi opinationis est legitima explicatio discriminis obiectiui, quod intenditur; cuius nimirum ignoratio coniecit in eam sententiam auctores ipsius, potiùs, quàm ratio aliqua positiua directè illam persuadens.

Art. 3. Sed antequàm ea explicatio exhibeatur, expedit breuiter perstringere duas quorundar

dam rationes discriminis eius obiectiui. Prior est honestum esse illud omne, & solum bonum, quod præponderat physicè suo contradictorio; inhonestum verò esse id, cui præponderat quodlibet incompossibile secum. Quæ tamen ratio subsistere vniuersaliter nequaquam potest. Quia nullum prorsus est bonum, quod non præponderet suo contradictorio. Quod enim non est æstimabilius, aut appetibilius, quam pura negatio sui; patet nullius esse bonitatis; cùm quod appetitur, eo ipso præponatur suæ negationi. Non autem omne bonum est honestum: cùm vtile, & iucundum sæpè destituantur honestate. Neque verò sufficit præponderantia physica obiecti respectu alicuius positiui secum incompossibilis, qualecumque ipsum sit. Quia sæpè cõtingit, vtilitatem vnius obiecti vtilitati alterius, & similiter delectationem delectationi secum incompossibili præponderare; & tamen neutri vllam inesse honestatem. Si autem ob hoc superaddatur, requiri ad honestatem obiectiuam, vt obiectum præponderet vniuersaliter cuicumque secum incompossibili siue positiuo, siue negatiuo, non vno ex capite apparebit, neque hic figi posse pedem.

Art. 4. Primùm enim dantur quædam obiecta honesta, vt matrimonium, & status religionis, seu virginitas, inuicem incompossibilia, & inæqualia; ac proindè quorum alterum, licet honestum sit, non præponderet alteri, licet secum incompossibile sit. Deindè ad operandum honestè non est necesse obiectum operationis, aut actus interni, comparare eum omnibus, & singulis incompossibilibus respectu ipsius, vt patet ex communi modo operandi; & præterea si aduertatur obiectum esse consultum, aut præceptum à Deo, tametsi minimè considerentur omnia incompossibilia, operatio euadit honesta. Ergò regula honestatis, eiusdemque differentia obiectiua, & intrinseca, non est, eiusdem præponderantia, saltem formaliter. Tertiò eadem

est proportionalis ratio de honesto ; & de inhonesto. Ad inhonestatem autem non requiritur, vt obiectum nulli secum incompossibili præponderet, prout apparet clarè, ex singulis binariis peccatorum inuicem incompossibilium, & dissidentium specie, vt auaritiæ, & prodigalitatis aliorumque similium. Nec sufficit ad inhonestatem non præponderare alicui solùm incompossibili; quia id conuenit aliquibus honestis, vt liquet ex modò dictis. Debet enimuerò eadẽ esse regula, & discernibilitas recti, & obliqui, proportionaliter. Quartò contingit obiecta quatenus indifferentia secundum speciem, esse incompossibilia inuicem, & inæqualia, vt apparebit qu. 27. ac proindè alterum eorum præponderare, alterum non præponderare alicui secum incompossibili. Ergò nec præponderantia, nec carentia præponderantiæ respectu incompossibilis determinant ad honestatem, vel inhonestatem, vt accidit & in requie, & in deambulatione recreante corpus. Quintò præstantiora, ac honestiora sunt quædam opera consilij, quàm quædam alia debita ex præcepto; & nihilominùs illa non præponderant magis, quàm ista bonis secum incompossibilibus, siquidem incompossibile cum opere consilij, non eo ipso est turpe: est autem tale, quod est incompossibile cum opere præcepto. Ergò eiusmodi præponderantia non est mensura honestatis, nec differentia obiectiua consilij, & præcepti.

Art. 5 Altera ratio eiusdem differentiæ obiectiuæ à quibusdam alijs tradita, dicit honestatem obiectiuam consistere formaliter in conceptu boni, quod conuenit naturæ rationali, quatenùs rationalis est, seù quatenus excedit omnia irrationalia; inhonestum verò esse, quod disconuenit eidem. Nempè conceptum honesti esse relatiuum essentialiter, sicut est relatiuus conceptus vtilis, & iucundi; neque alium terminũ, eius relationis esse posse, quàm naturã rationalẽ vt rationalem; ad quam scilicet solam, & om-

nem,

nē, spectat honestas tā obiectiua, quàm formalis. Verùm neq. hæc expositio, nisi ampliùs promoueatur, satisfacere potest. Primū quia peccata superbiæ, inuidiæ, curiositatis, infidelitatis, & similia versantur circa bona cōuenientia naturæ rationali, quatenus rationali, quorum scilicet sūt incapaces substātiæ irrationales. Deinde substātia rationali creata, cū sit limitata, & imperfecta, etiā vt rationalis, est indiga nò solùm honesti, sed etiam vtilis, & iucundi: & quæ sunt vtilia, ac iucunda respectu ipsius, saltem pleraque, nullius sunt bonitatis, aut conuenientiæ respectu irrationalium. Ergò ratio boni conuenientis naturæ rationali, vt rationali, est communis honesto, vtili, & iucundo; ac proindè aliquid præterea speciale assignandum est, per quod formaliter differat honestum ab vtili, & iucundo, siuè realiter, siuè ratione tantùm distinctio ab ipso honesto. Demum non potest esse regula, & mensura, atque ratio formaliter discretiua honestatis, conuenientia respectu naturæ peccabilis, sub quo conceptu includitur rationalitas. Necesse namque est esse impeccabilem substantiam, cui non conuenit nisi honestum; cum peccare nemo possit amore honesti; nec possit amari, quod non conuenit amanti. Nec vacat dicere, regulam, & rationem formalem discretiuam honestatis non esse particularem cuiusque naturam rationalem, sed conceptum communē naturæ rationalis, prout etiā complectitur Deū; quo sensu nihil nisi honestum conuenire potest naturæ rationali. Non, inquam, vacat hoc dicere, Primò, quia quod conuenit vni substantiæ rationali, estque honestum respectu eius, potest esse disconueniens, & inhonestum, aut impossibile respectu alterius, vt patet in dominatione vniuersali comparata cum Deo, & nobiscum atque in alijs eiusmodi innumeris. Deindè quia Deus ad ferendas leges congruentes Angelis, & hominibus, debet respicere ad rationem boni, quod conuenit ipsis secundum se, & non ad

rationem boni, quod conuenit sibi, ac proindè oportet assignare rationem discretiuam honesti, & inhonesti; nec non magis, & minùs honesti, ac inhonesti, independenter à comparatione obiectorum cum Deo, seù cum naturà rationali, prout etiam complectitur Deum.

Art.6. His igitur, alijsque eiusmodi prætermissis, concluditur breuiter, iuxta dicta in q. præcedenti, legē imprimis naturalem constitui per voluntatem Dei, qua necessariò vult se esse talem, ad cuius perfectam, ac permanentem cognitionem peruenire, & quo frui nemo possit, qui non sit amator eius super omnia, & cultor, Ex. gr. seù qui hoc contemnit libera sua volūtate. Lex verò positiua constituitur per voluntatem liberam Dei, qua vult ne quis perueniat ad eandem cognitionem, & fruitionem Dei, nisi adhibuerit talia determinatè, seù sacramenta, seù sacrifitia, ex. gr. sed ea liberè contempserit. Eadem est ratio proportionaliter de lege obliganti sub veniali, constitutà per voluntatē Dei de differenda per aliquod tempus determinatum, eadem illa cognitione, & fruitione, apponenti impedimentum aliquod leue amoris, & cultus sui erga Deum, vel prætermittenti partem exiguam sacrifitij, aut sacramenti. Consilium denique tum naturale, tum positiuum constituitur respectiuè per voluntatem Dei, tum necessariam, tum liberam, qua vult, vt faciens, aut eligens tale aliquid liberè, perueniat ad eandem illam cognitionem, ac fruitionem, aut tutiùs, aut cum maiori vtriusque intensione; vtquè oppositum contingat oppositæ liberæ determinationi voluntatis creatæ. Quæ sunt facilè peruia consideranti discursum fundamentalem quæstionis præcedentis.

Art.7. Per eiusmodi voluntatem Diuinam constituitur operatio nostra ipsam terminans in ratione medij necessarij, aut peculiariter opportuni, ac vtilis ad consequutionem vltimi finis nostri, vt per se patet. Vndè, qui præcognita

gnita tali voluntate diuina prætermittit, ac negligit talem operationem, eo ipso saltem implicitè prætermittit, ac negligit, vel certè non satis diligenter quærit suum vltimum finem. Qui autem prætermittit, ac negligit suum vltimum finem, eundemque summum suum bonum indistinctũ à diuinitate, aut nõ satis diligẽter illi incũbit; eo ipso est malus, & vituperabilis, & pęnâ dignus, vel certè est reprehensibilis, & dignus subtractione alicuius præmij peculiaris. Quia eo ipso est malè dispositus, aut simpliciter, aut secundum quid, vel certè non est perfectè dispositus respectu sui finis, vt patet. Eadem est è conuerso ratio de contraria proportionaliter adhæsione ad vltimum finem pro bonitate, & dignitate laudis, ac præmij, vti partim innotuit q. 18. & innotescet magis qu. 30. ac deinceps. Patet itaque eandem voluntatem diuinam esse indiuisim re ipsa regulatiuam bonitatis, & malitiæ nostrarum operationum; atque præmiatiuam, & punitiuam earundem, sed non sub eadem ratione formali: idque sufficit, vt bonitas operis sit ratione prior, quàm præmiabilitas eius; & malitia, quàm punibilitas; vtque similiter sit prior in voluntate Dei ratio regulæ, seu legis, quam ratio præmiantis, ac punientis. Indidem vlterius patet discrimen reale ex parte obiecti inter voluntatem Dei legislatiuam, & purè consultiuam; præceptiuam, & prohibitiuam. Nempè voluntas legislatiua vltra opus nostrum amplectitur pœnam, & præmium; consultiua verò solum præmium, & subtractionem præmij; præceptiua præmium sub conditione, quod exhibeatur tale determinatum opus, & pœnam sub conditione quòd idem non exhibeatur: prohibitiua è conuerso pœnam sub conditione quòd fiat tale determinatum opus, & præmium sub conditione, quòd euitetur. Præmium autem, & pœna distinguuntur inter se, & dantur à parte rei cum reali distinctione ab omni diuina voluntate. Patet igitur voluntatem præcipien-

tem, prohibentem, & consulentem, ac permittentem differre realiter, saltem inadæquatè ex parte obiecti, quod respiciunt directè.

Art. 8. Indidem exponi facile possunt obiecta naturaliter honesta, & inhonesta, quæque sunt magis honesta, vel inhonesta tum intrinsecè ex sua natura, tum extrinsece ex lege Dei; Illa enim quorum prosecutio, & amor coniungit ex sua natura cum vltimo fine, & summo bono nostro, sunt honesta intrinsecè ex sua natura: Inhonesta verò, quæ auertunt similiter ab eodem. Consequenter, quibus alterutrum horum conuenit determinatè sumptis, sunt determinatè tũ honesta, tum inhonesta; honesta, vt bonitas Dei, vita innocentis, veritas; inhonesta, vt idola, peccator vt peccator, mendacium. Quibus autem eadem illa proprietas conuenit ex sua natura tantum vagè, & indeterminatè, sunt ex sua natura tantum vagè, & indeterminatè tum honesta, tum inhonesta; honesta, vt orare, & sacrificare tali, vel tali ritu, forma, ac modo, & Sacramentum perficere cum tali, vel tali materia, & forma; inhonesta verò, quæ se habent ad oppositum simili modo. Demum posterioris huius generis obiecta euadunt determinatè, tum honesta, tum inhonesta per denominationẽ à voluntate Diuina statuente, vt pro consecutione vltimi finis adhibeantur tales determinatè species ex eiusmodi collectione rerum intrinsecè indifferentium, vtque vitentur tales aliæ species determinatè. Qua accedente libera sanctione diuinæ voluntatis, prosecutiones, & vitationes; amores, & odia seù neglectus eiusmodi obiectorum ex sua natura indifferentium, euadunt perindè vtiles, atque nociuæ proportionaliter in ordine ad vltimum finem, eiusque consecutionem, & omissionem; atque sunt vtiles, & nociuæ ex sua natura, & ex necessaria determinatione Diuinæ voluntatis; prosecutiones, & vitationes, amores, & odia; seù neglectus prioris generis obiectorum habentium intrin-

trinsecè; ac essentialiter determinationem, vt perducant, quantum est ex se, ad vltimum finem, aut auertant ab eodem. Patet igitur ex his omnibus voluntatem diuinam, quatenus directiuam nostræ voluntatis secundum omnes suos actus, quibus diuersimodè nos obligat, aut deobligat, respicere diuersas rationes obiectiuas ex parte rerum, circa quas directè versatur.

Ad 1. Negatur, Amorem, & odium Dei terminari ad idem obiectum adæquatum. Quia bonitas *Dei*, quæ est motiuum adæquatum dilectionis Dei, non est motiuum neque inadæquatum odij Dei, sed aliquid creatum, ac temporale, cuius prosecutio auertit à Deo, & ab amore veræ felicitatis; vel essentialiter ex sua natura, vel ex determinatione extrinseca diuinæ volũtatis modo dicto. Dictum porrò est, voluntatem diuinam præcipientem vltra obiectum, seù actum quem præcipit absolutè, velle conditionatè volitione formaliter, vel virtualiter conditionata retributionem vitæ æternæ; & vetantem, è contra velle similiter priuationem vitæ æternæ. Quæ planè sunt obiecta realiter distincta. Quarè obiectio peccat in eo, quod considerat tantum inadæquatè obiectum voluntatis Diuinæ præcipientis, & prohibentis.

Ad 2. Repugnat, vt cognitio, qua dirigitur agens liberum, repræsentet eadem omnia, & sola, quæ repræsentantur per cognitionem, qua dirigitur brutum, aut homo expers libertatis, ac indifferentiæ, vt apparet manifestè ex q. 13. & 14. Idem discrimen obiectiuum apparebit q. 24. inter bonam, & malam fidem. Negatur itaq; antecedens obiectionis, in quo similiter obrepit fallacia ex consideratione inadæquata obiecti adæquati, circa quod versatur actus moralis, & non moralis; honestus, & non honestus.

Ad 3. Negatur similiter votum, & simplex propositum, nihil inuicem differre ex parte obiecti directi. Quia, qui vouet ex. gr. ieiunium tali die obseruandum, ità vult, vt idem ieiuniũ,

siquidem obseruatum ab ipso fuerit, sit sibi medium conferens ad consecutionem vitæ æternæ; vt simul velit excidere ab eadem vitæ æternæ consecutione, si prætermiserit idem ieiunium. Hoc enim necesse est, vt velit saltem implicitè, & virtualiter sub aliquo prædicato cōuertibili re ipsà cum eo prædicato, quod modò expressum est, quicumque vult verè vouere, seque obligare obligatione propria voti. Nihil verò tale velle potest, qui solùm concipit simplex propositum, neque vult se obligare ad ieiunium, & sic de similibus. Patet autem, priuationem vitæ æternæ differre realiter ex parte obiecti à quocumque absolutè compossibili cum vita æterna. Negatur itaque suppositum de voto, & præcepto, & consequenter intentum præcipuum de præcepto, & consilio.

Art. 1. Ad 4. Sicut in rebus ipsis nullum est inconueniens duo aliqua mutuò inter se connecti, vt creatorem, & creaturam: ità in ordine intentionali nullum est inconueniens, ac proinde non datur circulus vitiosus. Ex hoc præcisè, quod duæ aliquæ propositiones sint mutuò relatiuæ, & mutuò causales sub prædicato eiusdē rationis: vt, *Ideò est creator, quia producit creaturam; & ideò est creatura, quia producitur à creatore.* Requiritur ergò prætereà ad inanitatem vitiosam, ac repugnantem connexionis mutuæ, tam obiectiuæ, ac physicæ, quàm intentionalis, ac intellectualis; vt in vtroque, vel altero ex extremis ipsius, nullum omninò supersit prædicatum, præter prædicatum formaliter relatiuum, in quo fundetur, seù supra quod cadat ipsum relatiuum; quatenus necesse est, vt omne relatiuū fundetur in aliquo absolutò; vtque prius ratione sit in se, & ad se, quodcumque est ad aliud, & ad aliud refertur. Vndè repugnat, vt creatori alicuius nullum aliud prædicatum conueniat prætérquàm esse creatorem eius. Quia eo ipso nihil haberet, quod communicare posset termino creationis; cum communicari illi minimè possit,

possit, vt sit creator sui. Repugnat itidem, vt creaturæ nullum aliud prædicatum conueniat, quàm esse creatum: quia eo ipso nihil illi conueniret, ratione cuius ab alio producti, verificari posset ipsum esse creatum ab alio. Eadem ratione foret nulla, adeòque foret vitiosa ea propositio, quà diceretur, Creatorem esse, à quo procedit creatura; & vicissim, creaturam esse, quod procedit à creatore; nihilque prætereà specialiter superadderetur, neque in priori, neque in posteriori parte expositionis.

Art. 2. Nihil autem huiusmodi accidit in re nostra. Quia licet voluntas Dei præceptiua terminetur ad actus præceptos, & bonos, vt præceptos, & bonos, & similiter voluntas Dei prohibitiua terminetur ad actus prohibitos, & malos; atque actus boni, & mali dependeant à voluntate Dei præceptiua, & prohibitiua, vt tali, quod negandum nequaquam est; Nihilominus voluntas Dei præceptiua, & prohibitiua habent aliud prætereà obiectum peculiare; nimirum præceptiua collationem gloriæ, si detur in homine talis determinatè obiecti prosecutio libera, nihilque obstet aliud; sin minùs, subtractionem gloriæ; atque è conuerso prohibitiua. Similiter actus præcepti, & prohibiti; boni, & mali habent, præter voluntatem diuinam, obiectum aliud peculiare, quo mouentur, & à quo specificantur, vt apparebit infra q. 25. Quapropter ad dilemma obiectionis respondetur admittendo priorem eius partem, & negando partem posteriorem; & negando rursus ex priori parte sequi circulum vitiosum ob rationem datam, ex qua patet ad probationem in contrarium. Videatur suprà art. 7. & resp. ad 1.

Ad 5. Conceditur, actus non ideò esse bonos, vel malos, quia digni sunt præmio, vel pœna; sed potiùs è conuerso: & similiter conceditur actus malos, non ideò præcisè, aut etiam præcipue vitandos esse, quia vitanda est pœna. Cæterùm negandum est; actus

aliquos

aliquos posse esse theologicè bonos, aut malos independenter à præcognitione formali, vel virtuali voluntatis Dei de conferenda, & subtrahenda respectiuè felicitate, & summo bono, quod est ipse Deus; si fiant, aut prætermittantur tales actus determinatè modo superiùs explicato. Quia seclusa tali præcognitione nullo suo actu potest voluntas nostra anteponere, aut postponere summum bonum alijs bonis inferioribus, prosequendo eadē, aut negligendo propter ipsum; quandoquidem seclusà eà præcognitione non innotescit, cum quibus alijs bonis sit compossibile, vel incompossibile summum bonum. Præexistente autem eadem præcognitione cum cæteris requisitis, potest voluntas nostra, ob rationem contrariam, anteponere, & post ponere summum bonum alijs bonis inferioribus. Quòd si anteponat, actus euadet bonus, & dignus, si aliud non obstet, consequutione eiusdem summi boni; sin minùs, euadet malus, & dignus priuatione summi boni. Distinguantur itaque, voluntas promissoria, & comminatoria præmij, & pœnæ, à voluntate conferente, & inferente præmium, & pœnam, & auferentur omnes tricæ. Quia dependenter à priori voluntate euadunt actus appretiatiui, aut neglectiui summi boni; idest, digni, vel indigni eo, summo bono; atque dependenter ab hac bonitate, & malitia, dignitate, & indignitate, posterior voluntas rependit præmia, & supplicia.

QVÆ-

QVAESTIO XXII.

Vtrum dictamen conscientiæ sit proxima, ac immediata Regula morum?

VIDETVR non esse. 1. Quia quòd dependet ex regula, priùs est in ipsa, quàm in regulato: bonitas autem, & malitia morum dependet ab eorum regula, eademque est priùs in actu voluntatis, atque ab eo deinde redundat per denominationem ad actus aliarum potentiarum. Ergò bonitas, & malitia morum non dependet tãquàm à regula à dictamine conscientiæ. quod est in intellectu.

2. Bonitas intellectus practici, est Verum conforme appetitui recto, vt dicitur 6. Ethic. c. 2. Ergò appetitus rectus est regula intellectus practici, idest, dictaminis conscientiæ; & non conuerso.

3. Mouens est regula mobilis, non mobile mouentis. Voluntas autem est mouens intellectum, & alias potentias: quia est dominatiua super omnes alias potentias. Ergò intellectus per suum actum, non est regula actuum voluntatis; sed magis è conuerso.

4. Regula morum obligat ad conformitatem cum ipsa. Dictamen autem conscientiæ non obligat ad conformitatem secum, Quia est actus ipsius moraliter operantis, qui obligare se ipsũ nequaquam potest. Cum enim par in parem non habeat imperium, multo minùs potest quisquã habere illud; respectu sui.

5. Non potest habere rationem regulæ proximè

ximæ, & immediatæ, quod poteſt diſcordare à prima, & ſuprema regula. Dictamen autem conſcientiæ noſtræ, ſæpè diſcordat à prima, & ſuprema regula morum: Sæpè enim incertis, ideòque falſitati obnoxijs rationibus colligimus, quid Deus velit, aut nolit. Vndè neceſſe eſt, vt iudicium noſtrum, ſæpè diſcordet à voluntate Diuina, quam dictum eſt eſſe primam, & ſupremam regulam morum.

Art. 1. Reſpondetur. Sicut eadem facultas cognoſcitiua dicitur intellectus, relatè ad prima ſpeculabilium principia per ſe nota; ratio verò, relatè ad ea, quæ inde inferuntur per diſcurſum: Ità etiam dicitur ſynderesis, relatè ad prima operabilium principia; vt faciendum eſſe, bonum, & vitandum malum: Quod ſibi quiſque non vult, non eſſe alteri faciendum: Dicitur verò conſcientia, relatè ad particulare operabile, vt hìc, & nunc dandam eſſe huic, ad hoc eleemoſynam. Verùm vſus apud pleroſque communis inualuit, vt ſynderesis pro habitu; conſcientia verò ſumatur pro actu, vt dicit D. Thomas de verit. q. 16. & 17. art. vtrobique 1. Actus autem conſcientiæ, ſiue iudicium de particulari operabili, alius eſt antecedens actum voluntatis, eumque dirigens, & dicitur dictamen conſcientiæ, atque definitur cum D. Thoma applicatio habitus, vel notitiæ vniuerſalis ad aliquem actũ particularem. Alius actus eſt conſequens electionem voluntatis, & dicitur teſtimonium cõſcientiæ. Non agitur de præſenti de poſteriori iſto actu, vtpotè nihil conferente ad bonitatem, vel malitiam actus voluntatis, quem præſupponit iam exiſtentem, & bonum determinatè, vel malum.

Art. 2. Dictamen autem conſcientiæ præuiũ, de quo agendum eſt, definitur rurſus diſtinctiùs cum Magiſtro, D. Thoma, & alijs communiter, *Iudicium practicum de aliquo hìc, & nunc bene vel malè faciendo.* Nomine iudicij practici intelligitur cognitio ſe ſola immediatè, ſufficiens ad diri-

dirigendum actum voluntatis, *hic, & nunc*, apponitur: ad amplectendum omnes circumstãtias, quæ cognoscũtur inesse actioni immediatè executioni mandandæ. Quia independenter ab earum propositione non conuenit cognitioni ratio regulæ. *Benè, vel malè*, accipitur de bonitate, & malitia, non tamen secundum quid, & respectu alicuius extrinseci, quæ est consideratio propria artium, quæ versantur circa materiam exteriorem, sed de bonitate, & malitia simpliciter, & absolutè talibus respectu operantis; quæ scilicet ipsum operantem faciunt bonum, vel malum, non solùm secundum quid in ordine ad finem aliquem particularem, nempè bonum medicum, pictorem, aut militem; sed simpliciter, seù in ordine ad finem vltimum, relatè ad quẽ dicitur bonus, aut malus homo. Additur deniq. *de aliquo faciendo*, ad excludendam distinctiùs regulam proximam à posteriori; seù testimonium conscientiæ, quod versatur circa aliquid iam factum.

Ad 3. Iudicium istiusmodi practicum, seù dictamen vltimum conscientiæ esse proximam, ac immediatam regulam morum, demonstrat clarè ratio, quà vtitur D. Thom. q. 19. art. 3 4. & 5. Quia videlicet voluntas non fertur immediatè ad obiecta præcisè, vt sunt in se, sed vt proponuntur per intellectũ. Ergò si per iudicium immediatè directiuum actus voluntatis proponatur obiectum, vt malum; voluntas illud amplectens feretur in malum, ac proindè actus erit malus: si verò proponatur vt bonum, feretur in bonũ, ac proindè actus erit bonus: quandoquidem actus voluntatis, vti & actus intellectus, specificatur ab obiectis, sub ea ratione formali, sub qua attinguntur ab eisdem. Qua de causa dicit Philosophus 5. metap. text. 3. & alibi non semel, nihil differre, an finis dicatur simpliciter bonus, an bonum apparens. Confirmatur; quia actus nostræ voluntatis possunt esse boni, & mali, per conformitatem, & disconformitatem ad aliquam regu-

regulam. Ergò neceſſe eſt, vt per conformitatẽ, & diſconformitatem ad dictamen vltimum rationis ijdem ſint boni, & mali. Patet conſequentia, quia ſi intellectus repræſentata qualibet alia regula, v. g. lege Dei, ſimul adijceret, nõ expedire, non eſſe honeſtũ, nec laudabile, vt illi obediatur, non poſſet actus voluntatis euadere bonus per conformitatem cum illa, nec malus per difformitatẽ, nec enim poſſet ferri voluntas per ſuum actum ad honeſtatem incognitam ſibi hic & nunc; nec actus poſſet accipere honeſtatem formalem ab obiecto ſua, in quam minimè feretur. Ergò omnis alia regula habet ex dictamine rationis vim proximam inducendi bonitatem, & malitiam in actus noſtros.

Art. 4. Exercet autem iſtam vim dictamen vltimum conſcientiæ, quatenus eſt participatiuum dictaminis ſapientiæ Dei, quod eſt comprehenſiuum bonitatis, voluntatiſque Diuinæ, tum neceſſariæ, tum liberæ: id quod docemur apertè pſ. 4. 7. Vbi præmiſſa interrogatione. *Multi dicunt. Quis oſtendit nobis bona?* nempè ſacrificiũ iuſtitiæ, & ſpem collocatam in domino, quæ immediatè præcedunt; protinus reſpondetur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: ideſt, idem Dominus, qui ſcripſit legem in cordibus noſtris inſerendo naturæ noſtræ participationem naturæ, & bonitatis ſuæ, ratione cuius participationis poteſt dominari homo, & eſſe ſin s cui, & propter quem amentur, quæ illi cõgruunt; & relatè ad quem ſunt conſequenter diſcernibilia, quæ placent Deo, quæque diſplicent, tanquam conſentanea, aut diſſentanea bonitati naturæ eius, inſeruit quoque menti noſtræ participationem ſapientiæ ſuæ, ratione cuius participationis poteſt homo legere, ac intelligere ſcripturam illam approbatiuam eorum, quæ decent, & reprobatiuam eorum, quæ non decent, & conſequenter conſcendere ex eius inſpectione ad cognoſcendam legem æternam Dei fundatam in eius bonitate, & latam, aut firmatam volun-

luntate eius. Dictamen itaque rationis, & conscientiæ, quod non potest dici lumen vultus Dei signatum super nos, nisi quatenus specialiter, ac excellenter est imitatiuum sapientiæ Dei modo dicto, adeòque collatiuum agendorum cū bonitate, & voluntate Diuina, quibus scilicet solis nititur sapientia Dei, est ostensiuum bonorū, nempè totius iustitiæ, quam exhibere debemus, cooperante, ac donante Deo, adeòque cum spe reposita in ipso. Idem igitur dictamen est eatenus regula proxima vniuersalis eorum omnium, quæ agere, quæque vitare debemus.

Ad 1. Verùm est priùs esse, ac contineri aliqualiter in regula, quàm in regulato, quod dependet ex regula; sed est diuersimodè in vtroque. Alioquin, vel vtrumque esset regula, vel vtrumque regulatum. Bonitas igitur, & malitia moralis, quæ primò reperitur in actibus voluntatis sub ratione appetibilis ac fugibilis; existit nihilominus priùs sub ratione veri in dictamine conscientiæ, cui propterea conuenit, vt præcedat tanquam regula appetitionis, ac fugæ.

Ad 2. Philosophus agit ibi de intellectu practico præcisè quatenus est ratiocinatiuus, & cōsiliatiuus circa ea, quæ sunt ad finem, præsupposita intentione finis debiti, quam dicit appetitum rectum, quatenus est appetitus veri finis humanæ naturæ. Patet autem bonitatem intellectus practici sic acceptā sitam esse in vero conformi appetitui taliter recto; sed hoc non tollit, quo minùs idem intellectus practicus præcedat, ac regulet bonitatem electionis subsequentis ad eam intentionem, similiterque præcedat, ac regulet bonitatem intentionis, ipsumque appetitum rectum dictamen conscientiæ ortum ex synderesi.

Ad 3. Intellectus, & voluntas mouent se mutuò, quoad aliquos actus per aliquos alios actus suos; nec enim est inconueniens, quòd idē sit mouens, & mobile, respectu eiusdem, quoad diuersa. Verumtamen intercedit hoc discrimen, quòd voluntas mouetur, quoad omnem suum actum

actum per aliquem actum intellectus, & non è conuerſo. Quia primus actus voluntatis, quoties ipſa incipit operari de nouo, eſt ab aliquo actu intellectus, non minùs, quàm deinde quilibet alius actus voluntatis; non verò è cōuerſo. Vndè intellectus in toto poſteà progreſſu retinet prærogatiuam ſimpliciter prioris, ideòque eſt abſolutè regulatiuus, ac motiuus volūtatis adæquatè. Voluntas verò non eſt motiua aliarum omnium potentiarum, ac præſertim intellectus quoad omnes ipſarum actus & operationes, ſed tantùm quoad aliquas.

Ad 4. Dictamen conſcientiæ ſolùm obligat, *vt quo*, tanquam manifeſtatiuum, ac intimatiuum legis æternæ Dei, ſeu applicatiuum ipſius, vt patet ex dictis. Hoc autem pacto non modo par in parem, verùm etiam inferior poteſt habere imperium in ſuperiorem, vt apparet in voce præconis, & in ſcriptura intimante decretum legiſlatoris.

Ad 5. Fieri nequaquam poteſt, vt dictamen vltimum conſcientiæ circa particulare eligibile hìc & nunc diſcordet à voluntate Diuina, ſiuè per ſe, ſiuè per accidens obligante, & conſulente hìc & nunc; nempè eo ipſo, quod voluit, vt noſtra voluntas in omni ſuo actu dirigeretur immediatè ab actu noſtri intellectus; voluit vtique, vt ipſa proſeqneretur, atque vitaret quidquid intellectus conſideratis omnibus, vltimò concluderet proſequendum, aut vitandum eſſe hìc & nunc; neque aliud velle potuit, vt apparet euidenter ex terminis. Vndè vltimum dictamen conſcientiæ ſemper eſt euidens, & euidenter conforme voluntati Diuinæ, nec poteſt illi ſubeſſe falſum; vti clariùs apparebit ex dicendis in duplici quæſtione ſequenti, maximè verò in priori.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum liceat vti quauis opinione probabili, in quauis materia?

VIDETVR non licere, quauis promiscuè vti, sed sola probabiliori, simulque tutiori, vel saltem aut probabiliori, aut tutiori. 1. Quia intellectus non potest determinari pro libito à voluntate, vt assentiatur opinioni minùs probabili, præapprehensis motiuis maioris probabilitatis pro parte opposita. Cum enim intellectus sit potentia necessaria, eò necessariò incumbit, quò impellitur maiori vi. Qua de causa docet Philosophus 2. de anim. text. 153. opinatiuam non ità subesse voluntati, sicut subest imaginatiua: *Quia licet* inquit, *fingere pro libito quidquid volumus: opinari autem in nobis non est. Necesse enim est verum, aut falsum dicere.* Patet autem nemini licere, vt vtatur opinione, cui non assentitur; quandoquidem actus voluntatis specificatur ex obiecto, quatenus assertiuè proposito ab intellectu; & talis reipsa euadit, qualis creditur futurus si eliciatur, vt liquet ex q. præcedenti & confirmabitur magis q. sequenti ex illo Apostoli: *Quod non est ex fide peccatum est.*

3. *Qui amat periculum, in illo peribit*, vt dicitur Eccli. 3.27. Amat autem procul dubio periculum, qui sequitur opinionem, aut minùs probabilem, aut minùs tutam: oppositum enim tutiori necesse est esse periculosius; & quod est minùs probabile, est propinquius falso: quod in re morali perindè est, atque esse propinquius opposito, cum lege Dei; Conuertuntur enim hæc

hæc duo, vt patet. Perit ergò, idest peccat lęthaliter, qui sequitur minùs probabilia, minùsq. tuta in re graui; & venialiter, qui in leui. Confirmatur ex cap. *Iuuenis* De sponsal, vbi Eugenius Pontifex decernit in dubijs tenendum esse, quod certius apparet. Eodem pertinet exemplū Clementis tertij eligentis opinionem potiori fundamento innixam cap. *Capellanus* De ferijs: nec non illud Augustini cap. *si quis autem* De pœnit. dist. 7. *Tene certum, & dimitte incertum*. Quibus testibus innixi Henric. Caietan. Nauarr. & alij auctores antiquiores vnanimi omnes cōsensu docent, vbi neutra pars est certa, non posse deseri tutiorem tutâ conscientia, atque sua auctoritate, quæ maxima est, oppositam paucorum modernorum sententiā reddunt prorsus improbabilem, vti meritò cōtendunt Comitolus noster, & Candius Philalethus.

3. Si liceret vti vtralibet ex quibusuis opinionibus probabilibus inuicem oppositis, liceret etiam vti successiuè vtraque, altera videlicet pro vna opportunitate operandi, & posteà altera illi opposita pro alia opportunitate operādi. Nec enim quòd præcesserit vsus vnius partis, reddit illicitum vsum partis oppositæ pro tempore sequenti, qua non minùs licuisset vti pro tempore antecedenti. Quia vsus libertatis, & permissionis legis, non potest restringere libertatem, & auferre permissionem præexistentem, sed vtraque recurrit pro sequenti opportunitate operandi perindè, atque si nihil antecedenter actum esset. Hoc autem admisso, sequitur rursus, posse in multis casibus eludi legem grauiter obligantem, atque extingui penitùs vim eius obligatoriam, ita vt frustretur lex, & fiat oppositū eius, absque vllo peccato; quia vbi sunt multa horologia, dispariter, vt solet, sonātia, posset quis ex. gr. die sabbati ad primum signum mediæ noctis licitè comedere carnes; quatenus illud signum gignit opinionem probabilem, elapsum esse diem sabbati, atque incepisse

pisse die Dominicæ. Posset verò idem nihilominus celebrare licitè sacrum die Dominicæ, abstinendo à cibo post vltimum signum mediæ noctis; quatenus hoc signum gigneret opinionem similiter probabilem non fuisse elapsum eò vsque diem sabbati, & tunc primum incipere diem Dominicæ. Hoc autem ità peracto, frustrabitur, vt patet, sine peccato lex præcipiens, ne quis celebret post comestionem carnium à die Iouis exclusiuè. Quod quantæ sit absurditatis, nemo non videt. Plures eiusmodi casus prosequitur fusè Cardinalis de Lugo disput. 15. de Eucharist, sect. 2. vt probet ab absurdo, non licere saltem semper, & pro omni casu vsū vtriusque simul opinionis probabilis inuicem oppositæ, sed solùm vtriusuis seorsim pro libito. Verùm interim manet sine responsione sufficienti, & quietatiua intellectus, ratio à priori modo proposita, & efficaciter deducta ex vsu licitò cuiusuis opinionis probabilis, vti obseruat, & multipliciter vrget Caramuel negans absurditatem sequelæ, quam tamen agnoscit iam in posteriori, editione Theologiæ suæ fundamentalis.

4. Qui operatur honestè, eo ipso operatur prudenter. Non autem operatur prudenter, qui operatur iuxta opinionem minùs probabilem; minùsque tutam. Prudentis enim est, sequi tutiora; vel saltem non ea deserere absque maiori probabilitate in oppositum. Profectò in negotijs temporalibus mercaturæ, militiæ, & similibus, præsertim, quæ sunt magni momenti, ab omnibus censetur imprudens, qui spretis tutioribus consilijs, ambiguis, seu incertis se committit: Interest autem multò magis, in negotio animæ, nullum subire periculum, aut quàm minimum fieri potest. Ergò est imprudens à fortiori, nec operatur honestè, qui operatur iuxtà opinionem minùs tutam; minùsque probabilem de vitando peccato, idest, morte animæ. Confirmatur; quia amicus, & famulus id exequens,

quod

quod erat minùs probabile placere amico, aut domino, minùsque tutum apparebat pro conformitate, cum voluntate eius; eo ipso est contemptor amici, & domini, nec eatenus est bonus, aut amicus, aut famulus. Peccat autem contemptor Dei, & qui non operatur, vt decet amicum, & bonum famulum Dei.

5. Non licet vti opinione minùs probabili, aut minùs tuta, Ministro Sacramentorum, Iudici, Medico, Chirurgo, & moribundo pro expiatione conscientiæ, vt fert communis Doctorum etiā modernorum consensus, Ergò non licet vniuersaliter, vti quauis opinione probabili in quauis materia. Et prætereà videtur esse eadem ratio de quouis alio, circa quamlibet aliam materiam, & in quibusuis circumstantijs.

6. Tota hæc controuersia videtur inutilis. Quia qui operatur contra vltimum dictamen cōscientiæ, eo ipso peccat; & qui illi conformatur, eo ipso operatur honestè, vtcumque se habeant cœtera, siue præcedentia, siuè concomitantia, vt liquet ex q. præcedenti. Nihil igitur refert, an sint probabiliora, an minùs probabilia, tutiora, aut minùs tuta, quæ hinc & indè proponuntur. Quia his vtcumque se habentibus, qui potest physicè concipere dictamen conscientiæ approbatiuum sui operis, illudque concipit de facto, liberatur eò ipso à peccato; sin minùs, incidit in peccatum. Omnia itaque promiscuè licent, quæ quisque sibi in animum inducere physicè potest licere sibi hìc, & nunc, & reliqua omnia non licent. Ergò omnis controuersia de probabilioribus, & tutioribus, est inanis iactura temporis, & otij malè feriati.

Art. 1. Respondetur. Opinio communiter definitur, *Assensus vnius partis cum formidine de veritate partis oppositæ.* Quà assensus est, differt à scrupulo, & dubio, quibus est communis formido: quà verò formidat, differt à scientia, & fide supernaturali, quibus est communis ratio assensus. Loco formidinis, poni potest motiuum falli-

fallibili, quod est causa illius, ità vt dicatur opinio, *assensus ex motiuo fallibili*. Hinc opinio probabilis est, quæ nititur motiuo fallibili, sed magni momenti, idest fundante exiguam formidinem. Debet autem esse magni momenti, non solùm secundum se, sed etiam facta comparatione cum fundamento partis oppositæ, & cum omnibus, quæ occurrunt, circumquaque consideratis. Dantur enim opiniones non solùm improbabiles, aut temerariæ, sed etiam erroneæ, & hæreticæ, quæ nituntur difficillimis, & apud paucos solubilibus argumentis, magnaque præterea populorum, & plurium regnorum consensione firmatæ; & tamen, quia fundamentis fidei Christianæ, vel alijs in contrarium argumentis, manifestè conuincuntur falsitatis, nequaquam ad probabilitatem pertingunt. E conuerso stellas esse pares; licet nullo magno argumento falsum esse demonstretur; probabile nihilominus non est absolutè, quia non habet pro se positiuum alicuius momenti argumentum. Oportet igitur motiuum probabilitatis esse momenti positiuè, & negatiue magni. Fundamentum porrò magni momenti id esse censetur, quod virum prudentem inducere potest in sui assensum; seu quod maiori vi pollet, quàm quibus semper, aut ferè semper contingit coniungi cum falsitate, seu quod ità intellectum trahit ad assensum, sicut allicit voluntatem motiuum excludens necessitatem moralem ad oppositum; ac demum (vt nihil addam terminis ex se, & per experientiam notissimis) quod magna vi suadet aliquid, aut quale raò fallit, aut non admodum frequenter.

Art. 2. Vnius viri pij, & docti auctoritatem sufficere ad probabilitatem opinionis docēt Nauarra, Suarez, Vasquez, Valentia, Salon, Thomas Sanchez, Castro Palao, Bresserus, cum pluribus alijs, contra Torres disput. 50. de Iust. dub 2. qui tamē refellitur efficaciter ad hominē: quia iuxta

M ipsum

ipsum tres quatuorue viri pij, & docti sufficiunt ad probabilitatem. At multo etiam plures affirmant sufficere auctoritatem vnius eiusmodi viri. Ergò probabile est eam sufficere. Ergo sufficit reipsa. Patet secunda ista consequentia; quia nequit esse probabilis opinio reflexa de probabilitate opinionis directæ, quin & hæc probabilis sit. Nec enim magni ponderis esse potest fundamentum, quod mouet ad asserendum magni ponderis esse, quod leue est, saltem si perfectè cognoscatur, vti accidit in præsenti. Accedit non moueri temerè, aut imprudenter, aut ex animi leuitate, eum, qui accommodat assensũ viro pio, & docto; id autem facit, qui ducitur opinione improbabili, & assentitur sine motiuo magni momenti.

Ar. 3. Excipitur primò Homo ingenij vt plurimùm paradoxi in rebus moralibus, & propensus ad res nouas ex genio, vel ex amore gloriæ vanæ. Secundò præoccupatus affectu, & commodo, aut incommodo perturbante animum. Tertiò quòd non adsint in contrarium plures viri pij, ac docti sui iuris in dicendo, negantes, aut non innuentes probabilitatem opinionis singularis. Nempè in his, & similibus circumstantijs, si non adsint efficacia argumenta à ratione, aut auctoritate sacra, quæ specialiter suffragentur opinioni singulari, nequaquam sufficiet ad probabilitatem authoritas vnius viri pij, & docti. Nomine autem pietatis intelligenda hìc præcipuè venit veracitas, deinde zelus, & desideriũ, vt actiones humanæ sint conformes legibus, atque respublica illis obediat iuxtà mentem legislatoris. Nomine verò doctrinæ intelligitur, vel peritia vniuersalis principiorum, ac deductionum moralium, vel notitia exacta eius materiæ particularis, de qua agitur. Hoc secundum efficit, ne fallatur auctor sententiæ: primum verò, ne fallat mendacio, aut incuria, ac oscitantia.

Artic. 4. Opinio tuta dicitur, quæ ducit ad actionem certò conformem cum lege per se

obli-

obligante vel quæ facit,vt actio ſibi conformis, eo ipſo ſit conformis legi per ſe obliganti,ità vt nullum ſit periculum peccati non ſolùm formalis, ſed neque etiam materialis; nempè reſpectu peccati formalis conſequentis;quælibet opinio, cui quis aſſentiri poteſt, & aſſentitur de facto, eſt omninò tuta, vt apparebit à fortiori ex dicendis in q. ſequenti. Ex iſtis definitionibus, & deſcriptionibus deducitur,quid ſit opinionem eſſe magis, aut minùs probabilem; magis aut minùs tutam; illud videlicet expendi relatè ad veritatem; iſtud relatè ad conformitatem operis ſubſequentis cum lege per ſe obliganti, magis, aut minùs certò deuinctas opinioni. Quæ duo, cum inter ſe valde diſſideant,nec connectantur inuicem mutuò, fieri profectò poteſt, & ſæpè accidit, eandem opinionem eſſe magis probabilem, ſimulque minùs tutam, & è conuerſo ex. g. attritionem cognitam vt talem ſufficere ad Sacramentum, & effectum pœnitentiæ, & licere accedere ad illud,cum illa ſola, probabilior eſt opinio, meliori ratione, & longe maiori DD. auctoritate munita; & nihilominus eſt tutior oppoſita opinio, negans id ipſum licere;quia quiſquis iſtam opinionem negantem opere cōpleuerit,atq. acceſſerit ad Sacramentū cum perfecta contritione, certiſſimè vitabit omne peccatum.

Art.5. Opinio formaliter ſpeculatiua, & mediatè tantùm, ac remotè practica, eſt,quæ verſatur circa materiam operationis humanæ ſecundum ſe; vel quæ ipſam operationem externam, aut etiam internam electionem conſiderat, abſque aliqua circumſtantia, aut ratione formali pertinente ad moralitatem actus, & variantem eius ſpeciem, ſiuè illa ſe teneat ex parte obiecti, ſiue ex parte operantis, ſiuè ex parte modi operandi. Practica verò immediatè, & formaliter, quæ iudicat de honeſtate electionis ijs omnibus conſideratis, prout notatum eſt art. 1. Propter iſtiuſmodi diſcrimen opinionis ſpeculatiuæ & practicæ fieri poteſt, vt eadem opinio ſit

speculatiuè probabilis, simulque improbabilis practicè: ex. gr. typham esse materiam sufficiẽtem consecrationis Corporis Christi; & attritionem cognitam, vt talem, esse dispositionem sufficientem ad absolutionem sacramentalem, est opinio speculatiuè probabilis: & tamen est opinio practicè improbabilis, licere consecrationem in typha; nec peccare accedentem ad sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis cum sola attritione cognita vt tali. Licet autem in rigore hoc non sit eandem opinionem esse probabilem & improbabilem; sed vnam opinionem, quæ est speculatiua, esse probabilem, & aliam, quæ est practica, & habet obiectum saltem inadæquatè diuersum, esse improbabilẽ; non proptereà deserenda est communis locutio, dicens modo explicato eandem opinionem speculatiuè probabilem, & practicè improbabilem: quia per particulas *speculatiuè, & practicè*, intelligunt Caietanus, Nauarra, & alij, eandem diuersitatem intrinsecam cognitionum, & obiectorum, quam modo expressi, vt obseruat Bresserus aduersus Vasquez, & Granados, qui impugnant communem locutionem, eiusdem & ipsi sententiæ re ipsa.

Art. 6. Certum est, non licere vti opinione speculatiuè tantùm probabili, & practicè improbabili. Quia actiones sunt circa singularia hic, & nunc, ideoque dependent tanquàm à regula à cognitione illa eodem modo repræsentante. Certum rursus est apud omnes auctores, licere vti opinione practicè probabiliori, tametsi minùs tuta sit; quòd ex dicendis constabit à fortiori esse verum. Quæritur iam, vtrum licitus sit vsus opinionis practicè probabilis, cuius contraria est magis probabilis, simulque magis tuta. Affirmant Suarez, Vasquez; Valentia, Sanchez, Bannez, Salon, Aragon, Montepilosus, quos cum alijs pluribus referunt, & sequũtur Tannerus, Dubalius; Gammachæus in præsenti, & Bresserus lib. 3. de conscient. cap. 6. Nec

non

non Theophilus Raynaudus disput. 4. discip. moral. q. 2. art. 1. & alij ferè omnes, postremi huius sæculi auctores, hoc est, ferè omnes qui hac de re egere diligenter, distinctè, ac in proprijs terminis, idque consensu vsque adeò vnanimi, vt vix sit vllus, qui apertè, ac indubitanter renitatur, præter vnum Comitolum, qui fundamentis ductus admodum languidis, censuram tulit manifeste nimiam, contra communem sententiam, cui procul dubio standum est.

Art. 7. Suadetur primùm. Quia in alijs rerum generibus occurrunt plura, quibus præstitis, æquè certò vitantur peccata, atque vsu opinionis probabilioris, ac tutioris, & quibus omissis, adest periculum incidendi in actiones contrarias legi Dei, non minùs quàm concepto proposito non vtendi opinione probabiliori, ac tutiori: & tamen illa non præcipit Deus, sed tãtùm consulit. Ergò nec vsum opinionis probabilioris præcipit, sed tantùm consulit. Patet consequentia: quia nulla est ratio credendi seueriùs egisse Deum, quoad vsum opinionum, quàm quoad electiones aliarum rerum. De antecedenti ideò dubitari non potest, quia ingressus in religionem exactissimæ obseruantiæ, assidua nouissimorum meditatio, solicitudo quærendi occasionem martyrij animo ad illud benè præparato, consiliorum denique omnium executio, tantundem procul dubio valent ad vitanda peccata, atque propositum vtendi semper opinione probabiliore, ac tutiore; illisque omissis, adest periculum toties incidendi in actiones contrarias legi Diuinæ, atque concepto proposito contrario de vsu opinionum, vt patet; Quæ comparatio ideò vrgentior æstimari debet; quia quæ contraposita sunt opinioni probabiliori, ac tutiori, continent periculum, siuè inductum, siuè vitatum, peccati formalis: Voluntas verò vtendi, aut non vtendi opinione magis probabili, & magis tutà, solùm inducit, aut vitat periculum peccati tantùm materialis.

vti paulò priùs significatum est, & mox clariùs apparebit.

Art. 8. Augetur vis argumenti, data ratione à priori pro vtroque extremo comparationis. Deo non sunt adscribendæ leges afferentes maiora incommoda, quàm commoda, & imponentes onera grauia, ac importabilia. Tales autem forent leges obligantes sub peccato tam ad sequelam, opinionum omnium probabiliorum, ac tutiorum, quàm ad cætera omnia ope a consil ij, quæ præseruant à peccato formali, sicut illæ à peccato materiali. Ergò neutræ leges sũt adscribendæ Deo; Probatur minor; quia cum sit difficillimum nõ minùs conformari semper opinioni probabiliori, ac tutiori, quàm conformari omnibus consilijs, aut etiam semper alicui ex illis speciei seorsim æquè frequenter occurrenti; succumberet facilè oneri legis, de vtrolibet præstando, humana debilitas, incideretque in necessitatem moralem frequenter peccandi, non solùm venialiter, sed etiam lethaliter. Quã in rem, vt nihil dicam de difficultate aliorum operum consilij omnibus nota; circa difficultatem præcepti de sequendo semper opinionem tutiorem, iuuat attingere pauca ex multis, quæ adduci possent exemplis.

Art. 9. Si adesset eiusmodi præceptum; teneremur semper sub lethali ad perfectam contritionem, vel confessionem, immediatè post primum instans, cuiusque peccati lethalis; & peccaremus denuò pro singulis instantibus, pro quibus differrentur perfecta contritio, & confessio, tum de primo peccato, tum de quauis interposita iustificationis mora. Deberent omnes singulis diebus festis excitare in se dolorem de peccatis & explicanda esset in confessione circumstantia peccati die festo commissi. Quibus similia colligere facilè quisque potest propè innumera ex qualibet summa morali. Quia in singulis quæstionibus adest semper altera ex opinionibus tutior; Quis autẽ nõ videat, quantũ

hinc

hinc immineat frequentiæ peccatorum formalium periculum; & quantò maius malum id sit, quàm periculum peccatorum materialium, quod inest vsui opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ?

Art. 10. Quod si dicatur, opiniones magis tutas, quæ modò propositæ sunt, esse minùs probabiles oppositis; imprimis non sunt minùs probabiles apud ipsorum auctores, & eorum asseclas. Deindè est difficilis, saltem vt plurimùm, discretio inter maiorem, & minorem probabilitatem, ideòquè foret frequens perplexitas, & implicatio conscientiæ, iuxta aduersarios. Denique reddenda est ab illis ratio; quæ non satis apparet; cur discrimen maioris, & minoris probabilitatis (quod planè est exiguum) sit sufficiens se solo, cæteris paribus, ad tantū discrimen, quantum est inter peccatum, & actum bonum; & quarè sicut in alijs rebus materia consilij non consistit in indiuisibili; sic etiam in præsenti, cum sit materia consilij etiā apud ipsos, vsus opinionis tutioris si simul sit minùs probabilis, non sit itidem materia consilij, licet vrgentioris, quando simul erit æquè probabilis, aut etiam probabilior? Dixi hoc discrimen esse difficile; addo esse falsum: quia maior, vel minor probabilitas non magis variare potest speciem electionis, quàm maior, vel minor indigentia pauperis speciem subuentionis, & misericordiæ.

Art. 11. Probatur rursus eadem sententia. Qui peccat, eo ipso operatur imprudenter. Sed qui vtitur opinione verè probabili practicè, nō proptereà operatur imprudenter, tametsi opposita sit probabilior, & tutior. Ergò non peccat. Maior est certa apud omnes cum D. Thoma 2. 2. q. 47. art. 7. Nec potest in dubium reuocari, loquendo de prudentia propriè, & strictè sumpta. Probatur minor; quia vtens opinione verè probabili practicè, tametsi minùs probabilis, & minùs tuta sit, non operatur impruden-

ter, neque quatenus imperat intellectui assensum illius; neque quatenus, supposito eo assensu, exequitur electionem illi conformem. Hoc secundum patet; quia supposito assensu, euidens est electionem illi conformem futuram esse honestam, vt liquet ex q. praecedenti, & apparebit magis ex q. sequenti. Primum verò suadetur; quia voluntas imperans intellectui assensum opinionis verè probabilis, tametsi opposita sit probabilior, ac tutior, non praecipitat illum temere, sed alligat illi parti, vbi magno cum fundamento (quali dictum est necessariò inniti opinionem probabilem) speratur ad futurum verum, idest finem ipsius intellectus.

Art. 12. Confirmatur specialiter haec ratio, & vniuersaliter omnia superiora. Quia cùm voluntati euidenter innotescat se esse sui iuris, & caeteras potentias ipsi esse naturaliter subiectas, dùm non innotescit euidentià pari, restringi sibi lege aliquà contraria dominium, quoad aliquem earum actum, non deturbatur à priori possessione, & potest imperare, vt volet; nec tenetur admittere incertas iuris certi exceptiones; Nempè leges omnes, quas Deus imponit homini, sunt exceptiones iuris vniuersalis, quod eidem naturaliter indidit erga omnia inferiora, tam intrà, quàm extra hominem ipsum. Quae consideratio est procul dubio digna, vt diligenter inspiciatur pro quaestione praesenti, sicut & alia quaedam, quae mox suggerētur circa secundum. Quia verò rationes propositae militant eadem vi indiscriminatim pro quauis materia, & quauis personarum conditione, vt patet; concluditur, vsum cuiusuis opinionis practicè probabilis licere vniuersaliter absque vlla exceptione, cumque eá sola obseruatione, quae adhibebitur in responsione ad 5.

Art. 1. Ad 1. Ostensum est suprà quaestione 12. voluntatem posse libere determinare se ipsam ad vtrumlibet ex motiuis vtcumque inter se inaequalibus absolute, dummodò vtrumuis eorum

rum excedat alterum secundum aliquid. Similiter ergo potest liberè determinare intellectum ad vtrumlibet ex motiuis vtcumque inter se, inæqualibus, dummodò saluetur similis excessus mutuus quoad aliquid. Nec enim maiori vi determinatur intellectus à suo motiuo, quàm voluntas à suo, sub eadem vtrobique proportione: quandoquidem innata vtriusque inclinatio ad suum bonum, & perfectionem, est æqualis, ac vniformis. Ergò ad eadem proportionaliter potest voluntas determinare intellectum imperio suo, ad quæ potest determinare se ipsum electione sua, vt docet D. Thomas q. 17, art. 6. præsertim ad 1. Nempè subordinatio potentiæ necessariæ, respectu potentiæ liberæ, qualis datur in intellectu respectu volũtatis, ad hoc instituitur, vt imperium potentiæ liberæ subeat vices electionis propriæ respectu potentiæ necessariæ, adeòque vt potentia necessaria determinetur per imperium liberè, ad ea omnia proportionaliter, ad quæ eadem potentia libera determinatur per electionem propriam. Itaque sicut voluntas potest determinare electiuè, & actiuè ad vtrumlibet ex eligibilibus inæqualibus; potest etiam determinari intellectus obedientialiter, ac passiuè ad vtrumlibet ex opinabilibus inæqualibus, modo dicto.

Art. 2. Confirmatur; Quia nullius opinionis probabilis motiuum potest superare tanto cum excessu motiuum cuiusquam alterius opinionis itidem probabilis, quanto cum excessu superant argumenta, & motiuum fidei Catholicæ, rationes omnes, & motiua hæresum, errorumque oppositorum, vt per se patet: & tamen potest determinari intellectus imperio voluntatis, vt contemptis argumentis & motiuo fidei, assentiatur motiuis hæresum, & errorum, vti peculiari fundamento ostenditur q. 27. de Virt. Theolog. Ergò à fortiori potest accommodari intellectus, vt assentiatur motiuo minoris probabilitatis præ motiuo probabilitatis maioris.

Art. 3. Iam Philosophus non contendit in eo loco, nullam omninò esse libertatem opinandi, sed solùm eam non esse talem, qualis est libertas imaginandi; quatenus imaginari possumus absque vlla ratione, & motiuo peculiari, quidlibet; & quomodolibet ex ijs, quæ priùs percepta fuere sensione exteriori; opinari verò nequaquam possumus absque ratione aliqua persuadente verum esse, vel falsum, quod opinamur, vt notat circa eum text. D. Thomas, & fusiùs Dandinus, atque alij; siuè ea ratio sit conuincẽs, seque sola determinans intellectum, quod soli conuenit euidentiæ veritatis, vt docet Pater Noster Sanctus Ignatius in aurea sua Epistola de virtute Obedientiæ; siue non sit conuincens, ideóque permittat voluntati determinationem vltimam intellectus. Primum videlicet illud abundè sufficit pro scopo Philosophi sólùm volentis, ac probantis phantasiam distinguiab opinione, propter potestatem illimitatam fingendi pro libito quidquid volumus.

Art. 4. Dici deinde posset: Transeat non posse voluntatem directe, ac immediatè determinare intellectum ad assensum opinionis minùs probabilis: negatur tamen propterea reddi omninò impossibilem, aut illicitum vsum opinionis minùs probabilis, ac minùs tutæ; quia potest nihilominus indirectè, ac mediatè determinare voluntas intellectum in eundem illum assensum, hoc modo: Probabilius est licere vti opinione quauis practicè probabili, licet opposita sit probabilior, & tutior. Sed eiusmodi est hæc opinio directa. Ergo eius obiectum est honestum hìc & nunc absolutè; licet non appareat tale ex motiuis eius proprijs, & directis. Maiorem poterit sibi quisque facile in animum inducere auctoritate Doctorum, & rationibus propositis pro nostra sententia. Cætera autem sunt perspicua. Verùm quia absolutè puto esse possibilem, ac licitum assensum, & vsum opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ independenter ab istiusmodi

di reflexione, & memoria, atque aduertentia actuali huius nostræ sententiæ; & motiuorum eius, idque ea ipsa motiua satis ostendunt; standum est potiùs priori responsioni; præsertim quia in hac re veritas reflexæ nititur veritati directæ, & non è conuerso.

Art. 1. Ad 2. Locus ille Eccli. non est è re, iuxta legitimam eius intelligentiam; quia ibi agitur expressè de homine duri cordis, eumque prædicitur malè habiturũ in nouissimo, & quia cõtemnit periculum æternæ damnationis, quod inest statui peccati lethalis, propterea fore vt pereat; idest, damnetur. Deindè cu libet omissioni operis consilij inest posteà aliquod peccãdi periculum peculiare, nec propterea peccatur ea omissione. Qua de causa Theologi communiter docent, illius tantùm periculi voluntariã incursionem esse peccaminosam ad quod morali infallibilitate, ac necessitate consequitur peccatum, cuius est periculum. Patet autem non inesse huiusmodi periculum vsui opinionis probabilioris; cum talis esse non possit, cuius opposita est moraliter certa, vt liquet ex eius expositione data supra art. 1.

Art. 2. Accedit ea pericula, quæ si vetarentur sub peccato, esset maius frequentium peccatorum periculum, quàm si permitterentur cũ solo consilio de vitando, non esse prohibita lege Dei obliganti sub peccato; ne aliqua lex Dei sit absolutè damnosa, & maius afferens nocumentum, quàm vtilitatem. Eiusmodi autem esset lex obligãs sub peccato ad vsum omnis opinionis probabilioris, ac tutioris, vt ostensum est suprà ab art. 8. Quare opiniones, quæ cõmuniter dicuntur tutiores respectu peccati materialis, sunt procul dubio periculosiores respectu peccati formalis, si quis in animum inducat non solùm consultius, & honestius esse sequi partem tutiorem; sed etiam debere sub peccato. Quò deberent seriò respicere, qui nobis aduersantur, tam quoad præsens vniuersale prin

cipium; quàm quoad alias doctrinas illis consonantes.

Art. 3. Textus Eugenij in illo cap. *Iuuenis*, loquitur expressè de dubijs, estque accipiendus de dubijs propriè talibus; cùm nullum appareat ibi fundamentum applicandi eam vocem ad sensum improprium, & inclusiuum opinionis etiã probabilis. Textus autem Augustini continet merum, idque optimum consilium, nec vllum adest indicium intimationis præcepti: Eiusdemque vigoris est exemplum Clementis tertij. Quod ad auctores illos attinet antiquiores, sciendum est nullibi eos agere de hac quæstione in proprijs terminis, & ne quidem in terminis alienis ex professo, ideòque non esse saltem indubitatos sententiæ, pro qua adducuntur, Patronos: vndè non debent tanti fieri in hac re, quanti meritò habentur in alijs; sed iure posthabentur auctoribus longè pluribus indicatis suprà art. 6. Pro nostra sententia, quibus adsunt oppositi cõmendationum tituli, ita vt quod ad auctoritatem attinet, non solùm sit probabilior hæc pars, sed etiam moraliter certa.

Art. 4. Deindè Thomas Sanchez lib. 1, in Decal. c. 9. & Salas in præsenti disput. de Consc. sect. 5. ostendunt clarè antiquiores illos agere de solo casu dubij practici propriè, & strictè talis, in quo nemo dubitat, quin tenenda sit pars tutior, nec possit omitti sine peccato quando dubitatur, an actio sit peccaminosa, quia dubitans practicè, idest, omnibus vndequaque consideratis de obligatione aliquid faciendi, aut omittendi, habet iudicium euidens de honestate partis tutioris; de honestate verò partis oppositæ nullum potest formare iudicium, aut non nisi temerarium; vt potè destitutus omni prorsus eam in partem motiuo, vel certè leui solũ in illam motiuo excitatus, ideòque nulla, aut vix vlla existente spe attingendæ veritatis, & conformitatis cum voluntate diuina obliganti per se, si incumbat in eam partem:

partem: oppositum autem accidit in casu opinionis verè probabilis practicè, vt patet ex dictis.

Art.1. Ad 3. Licet contingat vtramlibet partem cōtradictionis simul esse probabilem; ideoque fieri possit, vt detur simultas probabilitatis circa vtramque; fieri tamen nullatenus potest, vt detur probabilitas de simultate vtriusq; partis; cùm sit euidens vtramque partem contradictionis simul dari non posse. Vndè licet simul probabile esse possit ex.gr. tum Petrum currere, tum Petrum non currere; probabile tamen nunquam erit Petrum simul currere, & non currere; aut nec currere, nec non currere. Similiter est euidens, cum dantur duæ leges certò obligantes copulatiue, non sufficere probabilitatem de adimpletione vtriuslibet, seu alterutrius seorsim, seu distributiuè; sed necessariam esse certitudinem, vel saltem probabilitatem de adimpletione vtriusque simul, seù copulatiuè. In casu autem argumenti dantur imprimis duæ leges certò obligantes copulatiuè; altera non comedendi carnem antè mediã noctem sabbati, altera non celebrandi die Dominicæ præmissa comestione post mediam noctem sabbati. Deinde licet sit probabile esse mediam noctem, tum ad primum, tùm ad postremum signum mediæ noctis; probabile tamen nequaquam est, ad vtrumque signum copulatiuè esse mediam noctem: cum sit euidens, mediã noctem consistere in indiuisibili, nec ipsam à se ipsa distare posse, prout distat primum signum à postremo. Si ergò comedatur caro post primum signum, & deindè celebretur cum ieiunio solo post postremum signum, non erit probabile satisfactum esse vtrique legi copulatiuè, sed tantùm alteri disiunctiue; ac proindè erit certum, datã esse transgressionẽ alterutrius ex legibus obligantibus copulatiuè. Idem dicitur, proportione seruata, de similibus casibus, circa quos patitur paralogismum Caramuel, arguendo à di-

a distributiuo ad collectiuum.

Art. 2. Quapropter ex vsu licito cuius uis opinionis practicè probabilis, solùm sequitur in materia proposita, licere, vt quis vno sabbato comedat carnem post primum signum mediæ noctis, omissa deindè celebratione in die immediato dominicæ; similiterque licere sequenti sabbato, vt idem nihilominus celebret in die immediato Dominicæ, obseruato ieiunio naturali post postremum signum mediæ noctis, & cōtinuata comestione cibi permissi die sabbati, vsque ad idem postremum signum. Quia videlicet est probabile vtrouis modo satisfieri toti legi. Atque hæc probabilitas redit eodem modo pro sabbato sequenti, vtcumque actum sit sabbato antecedenti. Idem dicitur proportionaliter de vsu quarumlibet aliarum opinionum inuicem oppositarum pro diuersis opportunitatibus operandi, dummodò pro singulis posterioribus opportunitatibus recurrat, sicut ad fuit priùs, probabilitas de adimpletione omnium legum copulatiuè, seu de non transgressione vllius legis tam disiunctiuè, quàm determinatè.

Ad 4. Inuenire, approbare, ac præcipere medium probabiliter tantùm illatiuum finis præintenti, est infimus prudentiæ gradus, à quo si quis decidat, incidit in imprudentiam manifestam. Infimum autem cuiusque generis comparatum cum supremo eiusdem, induit apparentiam quandam pertinentis ad oppositum genus; At patet in liberali, & forti, qui comparati cum magnifico, & magnanimo apparent illiberalis, & timidus, ad eum ferè modum, quo ijdem subeunt eorundem apparentiam comparati cum audaci, & prodigo, vt dicitur 2. Ethic c. 8. sub initium. Hoc igitur pacto, qui eligit minus probabilia, minùsque tuta, apparet imprudens comparatione eligentis probabiliora ac tutiora; sicut etiam apparet talis comparatione perfecti, qui neglectis operibus consilij, & maturitate tutioris, eligit statum vitæ spiri-

tualiter minimum, solique incumbit obseruantiæ præceptorum. Cæterùm non est reipsa imprudens absolutè, licet non sit perfectissimè prudens, qui eligit minùs probabilia, minusque tuta, relictis probabilioribus, ac tutioribus; dũmodò verè illa probabilia sint practicè; quia videlicet eligit, quæ magno ductus fundamento, tametsi non maximo, putat esse conformia voluntati diuinæ; & congruentia vltimo fini: quod certè non præstat absolutè imprudens, & peccator. Idem autem censetur communiter, proportione seruatà, de œconomo, amico, & famulo; vndè ea exempla retorquentur potiùs aduersus arguentem, qui confundit minùs probabil.a, minùsque tuta, cum dubijs, & periculosis.

Art. 1. Ad 5. In quibusdam operum generibus probabilitas quæuis speculatiua est conuertibilis cum probabilitate practicà: in quibusdam non est; sed requiritur maior, vel maxima probabilitas, vel etiam totalis certitudo. Quæ differentia prouenit ex eo, quòd aliquando bona, & mala fides operantis variant euentum intentum per actionem; aliquando non variant; aliquando imminet malum irreparabile; aliquando reparabile; idque aliquando leue, aliquando graue. Patet enim iuxta differentiam istarum rerum, requiri disparem certitudinis gradum circa vtilitatem, & efficaciam medij ad finem, vt electio euadat honesta, ideòque non semper conuerti probabilitatem speculatiuam de sufficientia medij ad inducendum finem intentum cum probabilitate practica de honestate electionis, quà hìc & nunc adhibetur idem medium.

Art. 2. Hac de causa Ministro Sacramentorum non sufficit, saltem per se, quæuis probabilitas de legitimitate materiæ, & formæ, vt liceat ipsi perficere Sacramentum; quia si non adhibeat materiam, & formam institutam re-

ipſa à Chriſto Domino, Sacramentum euadet nullum, vtcumque ipſe opinatus fuerit de eius valore: quod inconueniens cum ſit maximum, tenetur vitare miniſter quantum poteſt; ac proinde non eſt probabile practicè, quòd poſſit adhibere materiam, & formam minùs tutam, omiſſa tutiore, niſi fortè eſſet longè probabilius, ac moraliter certum, eſſe ſufficientem, quæ eſt minùs tuta. Eadem ferè ratio eſt de Medico, & Chirurgo, vt patet. Similiter moribundus ſi non adhibeat diſpoſitionem ad Sacramentum reipſa ſufficientem; tametſi probabile, vel etiam moraliter certum fuerit, eſſe ſufficientem: reipſa incidet in damnationem; quæ eſt ſummum malum, æternum, ac irreparabile; ideòque non eſt practicè probabile ſaltem per ſe, quòd poſſit in eo articulo adhibere diſpoſitionem minùs tutam, omiſsà tutiore. Denique reſpectu etiam Iudicis videtur ſolam opinionem ſpeculatiuè probabiliorem eſſe probabilem practicè, atque minùs probabilem ſpeculatiuè eſſe practicè improbabilem tam in ciuilibus, quàm in criminalibus. Tum quia Iudex per ſententiam reipſa diſconformem iuri, infert malum ſaltem aliquatenus irreparabile aduerſus eum, cui reipſa ſuffragatur ius, quidquid ſit de probabilitatibus; tum quia ex conſenſu populorum eliguntur iudices periti, & maturi iudicij, vt ferant ſententiam iuxta id, quod ſibi certius videtur, atque coguntur illam ferre ſub formula hoc ipſum ſignificante implicitè, vel explicitè. In alijs materijs non dantur ſpeciales iſtiuſmodi rationes, ſed bona fides ſufficit ad inducendum præmium vitæ æternæ; Ideòque paritas ad alias materias extendi non poteſt.

Art. 3. Verùm differentia iſta eſt purè materialis quoad punctum præſentis controuerſiæ: Quia non diſputatur de opinione ſpeculatiuè probabili, nec de inferibilitate probabilitatis practicæ, ex probabilitate ſpeculatiua; ſed

sed de solo vsu opinionis practicè probabilis, vndecumque ea probabilitas subsistat. Vsus autem opinionis verè probabilis practicè, est æqualiter licitus respectu cuiusuis in quauis materia, vt patet ex rationibus superiùs productis. Quapropter si ministro Sacramenti (idem dicitur de reliquis proportionalitèr) probabile videatur non solùm valere Sacramentum adhibità tali determinatà materia; sed etiam licere sibi hic & nunc, vt eandem materiam adhibeat; poterit vtique perficere Sacramentum sine peccato adhibita eà materia: quià videlicet eò ipso credet id sibi licere ductus auctoritate, vel ratione magni momenti iuxta dicta suprà; ideòque non credet imprudenter, seù stulte, ac peccaminosè. Posita, autem inculpabiliter fide seù assensu, quòd operatio sit honesta, repugnat, vt ea euadat inhonesta, saltem immediatè, & ratione sui, vt patebit q. sequenti.

Ad 6. Sicut in rebus omnibus alijs orto dubio de obligatione sic vel aliter faciendi, necesse est adhibere consultationem, qua deponatur dubium; atque interim vrget obligatio faciendi, quòd tutius est; & si dubitetur vtra pars sit tutior, necessaria omninò est consultatio ad uitandum peccatum, eaquè est instituenda cum omni diligentia moraliter possibili. ita etiam orto dubio de obligatione operandi iuxta tales, vel tales opiniones, necesse est, consultatione similiter diligenti indagare rationes, quibus deponatur, ac determinetur tale dubium reflexum, nisi quis subiacere velit oneri sequendi semper opiniones tutiores. Quia verò magna pars operationum humanarum subest iam de facto opinionibus in vtramque partem probabilibus, apparet esse valdè vtilem, ac necessariam considerationem istam reflexam de vsu licito opinionum, nisi quis subiacere velit onerosæ admodum, ac arduæ obligationi operandi semper iuxta tutiorem in tanta rerum opinabilium varietate innumerabiliter multiplici, ideòque sæ-

sæpissimè occurrenti. Immo, qui crediderit (quod facilè est credere, estque absolutè verum vt apparet ex dictis suprà ab art. 8.) sibi, aut alijs, quorum instructio sibi incumbit, imminere magnum periculum formaliter peccandi ex eiusmodi obligatione adstringenti semper ad tutius; tenebitur procul dubio comparare sibi doctrinam huius quæstionis, eandemque, prout tulerit opportunitas, communicare alijs, si quidem ad ipsum pertinuerit instructio aliorum in confessione, vel extra confessionem, de rebus pertinentibus ad conscientiam; solaque proindè ignorantia inuincibilis excusare potest, prout excusat plerosq. ab obligatione discendi, ac docendi vniuersale præsens principium de vsu opinionum, de quo adijcietur vlteriùs non nihil in q. seq.

QVÆ-

QVAESTIO XXIV.

Vtrùm dictamen conscientiæ errantis habeat vim obligandi, ac deobligandi, tanquam sufficiens regula morum?

VIDETVR non habere. 1. Quia actus conformis suæ regulæ, seu obligationi præexistenti, eo ipso est bonus. Actus autem conformis dictamini conscientiæ errantis, idest, iudicio falso affirmanti honestum esse ex. gr. mentiri hic & nunc, atque omissionem mendacij esse peccaminosam, eo ipso est malus, vt patet. Quia si esset bonus, dictamen præuium affirmans eum fore bonum, & omissionem eiusdem fore malam nō esset falsum, vt supponitur. Enunciaret enim de obiecto, quod reipsa illi conuenit. Implicat autem eundem actum esse bonum, & non esse bonum; atque omissionem eius esse peccaminosam: Implicat igitur in terminis dictamen conscientiæ falsum habere vim obligandi, ac deobligandi, atque esse sufficientem regulam morum.

2. Philosophus 5. Ethic. c. 2. docet; *& rationem veram, & appetitum rectum esse oportere, vt operatio sit studiosa*; atque in eodem libro inculcat sæpè, nullum actum posse esse bonum absque prudentia, nullamque enunciationem prudentiæ posse esse falsam. Ergò dictamen conscientiæ erroneæ est insufficiens ad operationem studiosam, seu honestam.

3. Dictamen conscientiæ errantis est disconforme voluntati, & legi æternæ Dei; nec enim

falsum esse posset, si esset illi conforme. Ergò operatio conformis dictamini conscientiæ errantis, est disconformis voluntati, & legi æternæ Dei. Ergò est mala iuxta doctrinam Augustini serm.6. de verb.Dom. post med. quòd inferioris potestatis præceptum non obligat (adde, nec excusat) si contrarietur præcepto potestatis superioris; sicut si Proconsul iubeat aliquid, quòd Imperator prohibet: quo ferè pacto comparatur dictamen rationis cum voluntate, & lege æterna Dei.

4. Dictamen conscientiæ vincibiliter errantis non excusat à peccato. Ergò nec inuincibiliter errantis; ac proindè nullus error excusat; Antecedens est indubitatum apud omnes cum D. Th. q.19.art.6. Probatur consequentia: tum quia dictamen vltimum conscientiæ, quo immediatè dirigitur actus voluntatis, eodem prorsus modo proponit obiectum, siuè insit illi error vincibiliter, siue inuincibiliter insit: tum, quia posito vltimo dictamine conscientiæ erroneæ præcipiente ex.gr. mendacium hìc & nunc, aut prohibente fidem in Christum hìc & nunc, nullamque permittente moram sine peccato, nullus iã superest locus quærendi viam, & rationes ad vincendam, seù depellendam ignorantiam, vt per se patet; ac proindè omnis ignorantia est æquè inuincibilis, cùm eò vsque ventum est; atque ideò vel omnis, vel nullus error vltimi dictaminis indiscriminatim excusat, seu ligat.

5. Actus voluntatis non specificantur ex cognitione dirigente, sed ex obiecto proposito per cognitionem: Cognitio autem non proponit, aut veram honestatem, dum præcipit; aut veram malitiam, dum prohibet. Ergo actus voluntatis indè subsecuti non possunt constitui in vlla specie aut bonitatis, aut malitiæ.

6. Si dictamen conscientiæ falsum perinde sufficeret, atque verum, ad bonitatem, & malitiam operationis per conformitatem, & difformitatem, eius cum illo; nullam oporteret adhi-

bere

bere diligentiam, ad depellendos errores, & ignorantiam circa operabilia; ſed vnuſquiſque ſatisfaceret toti ſuæ obligationi operãdo, prout ſibi ſponte videtur, nihil curando; an verum id ſit, an falſum; quod tamen patet eſſe abſurdum.

7. Auguſtinus ep. 154. propiùs ad finem, quam ad med. *Si quis autem*, ait, *bonum putauerit eſſe, quòd malum eſt, & fecerit hoc putando, vtique peccat. Et ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod malè fit.* Loquitur autem manifeſtè de ignorantia inuincibili, certè eam non excipit, vt liquet ex indiſcreta vniuerſalitate poſteriorum iſtorum verborum. Ergo ignorantia inuincibilis non excuſat à peccato.

Art. I. Reſpondetur. Quæſtio præſens coincidit magna ex parte cum q. 10. Vtrum ignorantia cauſet inuoluntarium. Quapropter ſicut ibi dictum eſt, ignorantiam antecedentem cauſare inuoluntarium, non verò ignorantiam conſequentem: ita in præſenti dicendum eſt dictamen conſcientiæ inuincibiliter errantis, excuſare à culpa operantem iuxta ipſum, & ſufficere, vt euadat bonus actus, qui eſt ipſi conformis: non tamen excuſari à culpa inuincibiliter errantem, ſed peccare ſiue diſcordet à dictamine ſuo, ſiuè pareat eidem. Et quidem neceſſe eſt, electionem diſconformem vltimo dictamini cõſcientiæ, ſeù vero, ſeu falſo, præcipienti, aut prohibenti aliquid eſſe malum: quod colligitur clarè ex 14. ad Rom. 23. Vbi cum præmiſiſſet Apoſtolus rectè facere gentiles ad Chriſtum conuerſos, non diſcernentes ritu judaico cibos mundos ab immundis, atque ex omnibus proptereà edentes promiſcuè, mox ſubungit *Qui autem diſcernit, ſi manducauerit damnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Id eſt, qui iudicant cibos alios eſſe vetitos, alios permiſſos, & nihilominus ex omnibus edunt promiſcuè, profectò peccant: quia ope-

operantur contra dictamen rationis. Omne autem, quod non eſt iuxta dictamen rationis, & iuxta id, quod vnuſquiſque credit ſibi licere, etiſi credat falsò, peccatum eſt. Qui procul dubio eſt legitimus eorum verborum ſenſus, vt liquet ex contextu totius capitis, & oſtendit ex conſenſu plurium Patrum Iuſtinianus noſter ibi; habetque præterea auctorem Innocentium capit. *finali* de præſcriptione, & plures PP. apud Gratian. cap. *Omnes* §. *Ex his*. 28. q. 1.

Art. 2. Ratio eſt, quia actus voluntatis non ſpecificatur ex obiecto, vt eſt in ſe, ſed vt propoſito per rationem, ideòque euadit talis, quale apparet obiectum in cognitione, vti ponderatum eſt ſuprà q. 22. Quarè putans ſe peccare, niſi mentiatur, aut ſi credat in Chriſtum, reipſa peccat omiſſo mendacio, ſeu concepta fide in Chriſtum. Peccat autem grauiter, ſi putauit id eſſe peccatum graue; venialiter verò, ſi putauit eſſe leue, ſiuè ſolam apprehenderit rationem malitiæ ſecundum ſe, abſque vlla ſuſpicione, aut dubitatione grauitatis: quæ quidem nequit irrepere in actum, niſi aliqualiter præfulſerit in cognitione; idemque dicitur de ſpecie malitiæ, quæ videlicet talis contrahitur, qualis exiſtimata eſt. Fieri porrò nequit, prout docet D. Thomas q. 19. art. 5 ad 3. vt apprehendatur operationem eſſe malam, quin apprehendatur ſpecialis aliqua ratio malitiæ; nempè, quod opponatur præcepto diuino, quòd ſit ſcandaloſa, vel quid ſimile; quandoquidem conceptus malitiæ in aliquo eiuſmodi formaliter conſiſtit.

Art. 3. Neceſſe ſimiliter eſt, actus conformes dictamini conſcientiæ inuincibiliter errantis nō ſolùm eſſe expertes omnis malitiæ, ſed etiam eſſe honeſtas, atque laudabiles, eadem ſpecie bonitatis, quam ſortirentur ſub dictamine vero enunciante eandem ſpeciem bonitatis de obiectis materialibus, quibus reipſa illa conueniret. Colligitur hoc claré ex proximè præcedenti & aucto-

auctoritate, & ratione. Quia eodem prorsus modo dependent actus voluntatis à dictamine praeuio conscientiæ siue vero, siue falso, quoad honestatem, & inhonestatem. Eadem igitur ratione; qua dictum est actus disconformes dictamini conscientiæ, vtcumque errantis, eo ipso esse malos, ea specie, & modo malitiæ, qui apparet in eo dictamine, concluditur etiā actus conformes eidem dictamini esse similiter honestos, ac laudabiles, eaque bonitate præditos, quæ apparet in tali dictamine, dum cætera sunt paria, vti paria profectò sunt, quando error est inuincibilis, Si quidem eo ipso est inculpabilis, ideòque non potest formaliter ratione sui transmittere vllam malitiam, aut denominationem mali in actus subsequentes.

Art. 4. Necesse denique est, actus subsequentes ad dictamen, seu præceptiuum, seu prohibitiuum conscientiæ vincibiliter errantis, esse malos, & peccaminosos, siue sint eidem dictamini conformes, siue sint disconformes. Quia qui conijcit se ignorare aliquam legem, ad cuius cognitionem peruenire possit, si velit, & nihilominùs procedit ad opus nulla adhibita diligentia, aut non adhibita, quantam adhibere potest, & cōmuniter adhibent prudentes in re magni momenti, operatur procul dubio cū contemptu legis ac legislatoris, & vtrumq. parui pē-dit. Qui autem operatur cum contemptu legis, fit reus eiusdem legis, & actus contrahit eam speciem malitiæ, quam contraheret transgressio dependens a cognitione perfecta legis. Istam porrò malitiam contrahit talis actus extrinsecè per denominationem à voluntate libera ignorandi. Quæ videlicet sola est immediatè & formaliter contemptiua legis. Vndè non superadditur vlla prætereà malitia peculiaris, ac seorsim imputabilis, ratione actus subsequentis ad dictamen erroneum, si ille sit huic conformis: quia eo ipso erit conformis legi Dei proximè

ob-

obliganti ex suppositione ignorantiæ, nec est iã amplius libera conformitas alia cum lege Dei. Quà ferè ratione obseruant, & approbant specialiter istam partem doctrinæ Suarez tract. 9. in t. 2. disp. 12. sect. 4. & 5. & Vasquez in præsenti disput. 60. c. 2.

Art. 5. Quòd si non conformetur voluntas eidem dictamini, committetur nouum peccatum seorsim imputabile; quia de nouo exorbitabit libera voluntas ab immediata sua regula. Istud autem peccatum erit grauius, vel leuius, quàm peccatum commissum per liberam electionem ignorandi legem, prout contigerit esse grauiorem, vel minùs grauem obligationem intimatam per dictamen falsum conscientiæ, quàm esset obligatio legis voluntariè ignoratæ. Ex his igitur apparet satis, an, & quatenus dictamen consciëntiæ errantis sit regula proxima morum obligans, & deobligans, seu excusans.

Ad 1. Dictamen vltimum conscientiæ nunquam potest esse falsum, quoad honestatem motiui formalis, & finis propositi voluntati, & quoad bonitatem actus eliciendi dependenter ab ipso, vt dicetur ad 5. Sed solùm potest esse falsum relatè ad obiectum materiale, quatenus illi adscribit rationem honestatis, connexionis cum vltimo fine, & conformitatis cum voluntate Diuina, quæ illi non inest reipsa; nulla autem est implicãtia in falsitate cognitionis quoad aliquid, absque falsitate, quoad aliquid aliud simul representatum per ipsam. Quia verò bonitas actus dependet à sola vera bonitate motiui formalis, non sequitur actũ voluntatis fore bonum, & malum simul, sed solùm fore bonum, si sit conformis tali dictamini; sin minùs, fore malum.

Ad 2. Philosophus requirit pro studiositate operationis rationem veram simul cum appetitu recto, quoad finem, & motiuum formale,

voluntatis; & quoad hoc ipsum negat enunciationem prudentiæ posse esse falsam: id quod minimè deest dictamini conscientiæ errantis, vtpote errantis solum, quoad obiectum materiale, eiusque identitatem cum ratione formali motiua voluntatis ex se honesta, vt modò dictum est. Per hoc nimirum differt omne dictamen proprium prudentiæ à ratione inferiori, eiusque dictamine: Quia ratio inferior non solùm errare potest, quoad obiectum materiale, sed etiam seducit, quoad finem, & motiuum formale propositum voluntati, dum eam allicit, tanquam ad vltimum suum finem, ad id, quod reipsa non est vltimus eius finis. Atque hoc solum discrimen intendit stabilire Philosophus in illo loco.

Ad 3. Dictamen conscientiæ errantis est disconforme voluntati diuinæ obliganti per se, & absolutè, sed simul est conforme voluntati diuinæ obliganti per accidens hic & nunc ex suppositione falsitatis. Quia ex quo signauit lumen vultus sui super nos; & voluit vt dirigeremur immediatè nostra, quæ fallibilis est, ratione; voluit consequenter voluntate signi, & præceptiua, vt id fieret à nobis; quod nobis faciendum videretur hic & nunc, siuè id videretur supposita aliqua fallacia intellectus, siuè non supposita. Cui rei nihil contradicit, quod dicit Augustinus de comparatione Proconsulis, & Imperatoris. Quia si Proconsul iuberet oppositum eius, quod iubet Imperator, & diceret suam iussionem esse iussionem Imperatoris, idque à subditis crederetur; tenerentur vtique parere iussioni Proconsulis. Hoc autem modo se habet dictamen vltimum conscientiæ erroneæ. Quia affirmat, licet falsò, mendacium, verbi gratia hic, & nunc esse honestum, & præcipi à Deo, idque creditur ab operante, siquidem dictamen ipsum est actus ita credendi.

Ad 4. Conceditur antecedens, & negatur

conſequentia; ad cuius probationes patet ex dictis ſuprà art.3. & 4.

Ad 5. Dictamen affirmans Ex. gr. mendaciū eſſe honeſtum, nec poſſe hic & nunc omitti abſque læſione charitatis ideò eſt falſum, quia veram illi adſcribit honeſtatem, & connexionem cum charitate: ſi enim falſam, & chimæricam adſcriberet, nulla eſſet fallitas; nec poſſet voluntas eo dictamine permoueri ad mentiendum. Ergo dum voluntas determinatur ex vi talis dictaminis, habet pro motiuo formali, & fine proximo, veram honeſtatem, veramque connexionem cum charitate, licet falsò creditam de mendacio. Cum ergo ſpecies actus dependeat ex ratione formali motiua, & non ex ratione obiectiua materiali, ac pure terminatiua, patet actum directum dictamine conſcientiæ errantis, eidem conformem eſſe eatenus honeſtum vera, ac reali honeſtate.

Ad 6. Sicut in ordine naturali, ac phyſico, permittit Deus monſtra, eaque vult exiſtere, in rerum natura, ſed vult voluntate tantùm, conſequente, ob imperfectionem cauſarum ſecundarum; cum tamen voluntate anteceden-ti, &, quantum eſt de ſe, ſemper intendat effectus ſecundum ſuam ſpeciem omninò perfectos, atque completos: Ita in ordine intentionali ac morali vult antecedenter, ac abſolutè, tum ex parte intellectus actus veros, & ſimiles obiectis ſuis; tum ex parte voluntatis actus conſeruatiuos, minimeque perturbatiuos ordinis rerum inſtituti ab ipſo Deo: qui videlicet actus habent rationem finis per ſe intenti, reſpectu vtriuſque huius potentiæ noſtræ: ſed quia vtraque potentia eſt intrinſecè imperfecta, & conſequenter neutra poteſt aſſequi ſemper totalem perfectionem in ſuis actibus, propterea vult nonnunquam voluntate conſequenti, & tantùm ex ſuppoſitione, actus falſos, ex parte intellectus, tum in ſpeculatiuis, tum in practi-

cis; & supposita falsitate in practicis vult ex parte voluntatis nostræ actus minimè correspondentes reipsa ordini rerum instituto ab ipso Deo. Verùm quia discrepantia voluntatis à ratione, quæ ratio est eximia quædam participatio luminis vultus Diuini, semperque proponit finem rectum etiam quando fallitur circa obiectum materiale, vt superiùs dictum est, est longè deterior, quam discrepantia eiusdem ab ordine intrinseco obiectorum materialium; propterea vult supposito errore practico intellectus, ne vel tunc discrepemus à dictamine rationis. Itaque ex voluntate Dei antecedenti, eademque obliganti per se tenemur ad indagandum eandem Dei voluntatem, quatenus per se, ac absolutè est ordinatiua nostræ, & ad conformitatem nostræ electionis cum ipsa. Quòd si aliquando legitimam eius notitiam non assequimur, tum etiam tenemur non exorbitare à dictamine rationis errantis, propter obligationem ad id impositam per voluntatem, & legem Diuinam obligantem per accidens, & ex suppositione ad oppositum eius, ad quod per se, ac absolute obligare intendit.

Art. 1. Ad 7. *Illis verbis* Augustini vtitur admodum fidenter Iansenius pro suo errore de veris peccatis seorsim, & secundum se imputabilibus ad culpam, & pœnam peculiarem sub ignorantia totali, & omninò inuincibili. Vtitur verò in primis inconsequenter. Quia l. 2. de statu nat. lap. c. 5. tradit ex professo ignorantiam inuincibilem facti, & iuris diuini positiui excusare à peccato, solùmque proindè non excusare ignorantiam inuincibilem legis naturalis. Augustinus autem agit ex professo in illa epistola de sola ignorantia facti, nempè de ignorantia, qua putatur non esse immolatitiam carnem, quæ immolatitia est; ac proinde agit de eo solo genere ignorantiæ, quam si inuincibilis sit, excusare à peccato certissimum est apud Iansenium Augustino.

Art. 2. Deindè eadem illa verba obiectionis non cohærent cum contextu ſeu antecedenti, ſeu conſequēti eius epiſtolæ in eo ſenſu, qui adſcribitur ipſis à Ianſenio. Quia antecedēter poſt medium epiſtolæ dicit ſic Auguſtinus *Non autē peccat, qui cibum poſtea neſciens manducauerit, quem prius tanquam idolothytum reſpuit.* Ad finē verò Epiſtolæ præmiſſo dubio de viatore Chriſtiano victo famis neceſſitate, & non inueniente cibū niſi poſitum in idolis concludit ſic *Breuiter reſpondeo. Aut certum eſt eſſe idolothytum aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certum eſt, eſſe, melius Chriſtiana virtute reſpuitur. Si autem, vel non eſſe, ſcitur, vel ignoratur, ſine vllo cōſcientiæ ſcrupulo in vſum neceſſitatis admittitur.* Vtrinque igitur liquidò conſtat ignorantiam inuincibilem, ſeu conſcientiam inuincibiliter errantem excuſare à peccato ex mēte Auguſtini ſaltem circa eam materiam, de qua agitur in ea epiſtola,

Art. 3. Subintelligenda itaque eſt in verbis obiectionis ignorantia vincibilis, ſeu coniuncta cum notitia obligante ad eam perfectè depellendam, vel ad ſuperſedendum interim ab opere. Primum; quia nequit aliter ſubſiſtere conſonantia eius ſententiæ cum reliquo contextu, atque Auguſtinus ipſe laboraret ea inconſequentiæ ratione, quæ notata iam eſt in Ianſenio luculenter abutente, vt ſolet, teſtimonijs, & ſyncera doctrina Auguſtini. Deindè caſus, de quo ibi eſt ſermo, proponitur, ac præmittitur his verbis: *Si quis dubitat de aliqua carne, vtrum immolatitia ſit, & nō eſt immolatitia, ſi eam cogitationem tenuerit* &c. In hoc autem caſu præexiſtentis dubitationis, ſi quis adhibeat diligentiam, quanta ſufficit ad dubium prudenter deponendum, aſſequitur per ſe cogitationem, & exiſtimationem conformem obiecto, vt habet in ſe, & operando conformiter ad ipſam non peccat, tametſi faciat quod dubitabatur, an eſſet illicitum, & non erat, vti determinat ibidem

con-

consequenter Augustinus.

Art. 4. Quod si in eodem casu dubij putetur licere, quod reipsa est illicitum, eo ipso deprehenditur, loquendo per se, non fuisse adhibitã diligentiam, quanta sufficit ad deponendum prudenter dubium, & propterea peccatur, dum fit, quod putatur esse bonum, & est malum reipsa. Quæ est posterior ibidem resolutio Augustini contenta in verbis obiectionis. In quibus videlicet, ne dicatur exorbitare penitùs à proposito, retinet priorem partem casus præmissi, quæ erat de dubiò obligante ad indagandam veritatẽ; & variat, vt liquet ex verbis ipsis, posteriorem partẽ, quæ erat de honestate materiali obiecti, circa quod dubitatio inciderat, & consequenter variat indirecte conditionem cognitionis, quia idem obiectum in se illicitum, putatur esse honestum, ex defectu vtique diligentiæ, adeòque per ignorantiam vincibilem. Quia verò Legem Dei naturalem omnes scire tenentur, proptereà nemo excusatur per se à peccato, dum agit cõtra legem naturalem, tametsi ignorans id faciat; vt docet D. Thomas dicta q. 19. art. 6. alijque Theologi communiter, non quod ignorantia, cũ est verè inuincibilis, non excuset vniuersaliter in omni materia, sed quia talis non est ignorantia legis naturalis, saltem per se, & vt plurimum, & circa præcipua eius capita; tametsi quoad aliqua, & ab aliquibus quoad multa difficillimè pellatur, ideòque Augustinus nonnunquam dicat non posse pelli significando nomine impossibilitatis magnam difficultatem. Atque hoc est quod vnicè intendit Augustinus in tot illis locis perperam à Iansenio obiectis vbi supra aduersùs D. Thomam & reliquos Scholasticos nihil reipsa dissidentes ab Augustino, à quo solus ipse Iansenius distat toto cælo, estque valdè iniurius aduersus ipsum, dum ei adscribere tentat errorem notatum initio huius responsionis, eumque absurdissimum, vt conuincit ratio superius proposita ex D. Thoma.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm bonitas, & malitia actuum humanorum dependeat ex obiecto, & circumstantijs?

VIDETVR non dependere ex illis. 1. Quia obiectum, & circũstantiæ obiectiuæ sunt res extra animam existentes. *In rebus autem non est malum, sed in vsu peccantium*, vt tradit August. lib. 3. de doctr. Christ. c. 12. sub init. Ergò actus humani non sunt mali, & per consequens neque boni ex obiecto, & circumstantijs.

2. Obiectum voluntatis comparatur cum actu eius, tanquam materia, & tanquam effectus. Bonitas autem rei non prouenit ex materia, sed ex forma; & multò minùs bonitas causæ, ac actionis prouenit ex effectu, sed magis è conuerso. Ergò bonitas actus non dependet ex obiecto.

3. Quæ circumstant aliquid, sunt extra ipsũ. Bonitas autem, & malitia sunt in re ipsa, quæ est bona, aut mala. Ergò nulla ratio bonitatis, & malitiæ potest prouenire ex circumstantijs; idest ex ijs, quæ circumstant vel physicè obiectum principale, vel intentionaliter tendentiam ad illud.

4. Bonitas, & malitia actuum dependet totaliter à fine eorum, Quia ex doctrina Augustini li. 2. de morib. Eccles. & Manichæo. 13. sub init. *secundum quod finis est culpabilis, vel laudabilis, secundum hoc sunt opera nostra culpabilia, vel laudabilia.* Finis autẽ est extra rationem obiecti, & circumstantiarum. Quia idem actus dandi eleemosynam ex. gr. cum quibusuis circumstantijs

eius

eius obiectiuis potest esse indifferenter, tum ex fine vanæ gloriæ, tum ex fine misericordiæ, vel charitatis.

5. Bonitas, & malitia per prius est in actu voluntatis, quàm in actu exteriori, qui est obiectum interioris; quia vti dicit Augustinus lib. 1. Retr. c. 9. *Voluntas est, qua peccatur, & rectè viuitur*. Ergò bonitas, & malitia non deriuantur ex obiecto in actum internum.

Art. 1. Respondetur. Certum est bonitatem, & malitiam actuum humanorum dependere ex obiecto eorum. Quia quod ad malitiam attinet, traditur hoc manifestè Oseæ 9. 10. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*. Eadem autem est ratio proportionalis de bonitate. Quia verò actus voluntatis non fertur ad obiectum, vt est à parte rei; sed prout repræsentatur esse in se à parte rei; & vnumquodque est à parte rei cum suis circumstantijs: nec præscinditur ab eis per cognitionem practicam, eadem procul dubio est de circumstantijs quoque ratio. Quare Rupertus circa eum locum concludit rectè. *Talis vnusquisque est, quale est illud, quod diligit.*

Art. 2. Verùm, quia non omne obiectum, nec omnis circumstantia dat bonitatem, vel malitiam actui voluntatis; neque quæ dat, eodem semper modo dat; sciendum est vniuersaliter omnem cuiusque effectus perfectionem adæquatè sumptam prouenire à causa ipsius adæquatè sumpta; quia causa adæquata effectus, est causa omnium, quæ insunt effectui per identitatem. Quòd si causa adæquata non sit simplex, sed composita ex diuersis comprincipijs iuuantibus se mutuò, vnumquodque comprincipium est causa collatiua bonitatis resultantis in effectum secundum aliquam rationem, seù formalitatem peculiarem; ita vt effectus postulet intrinsecè emanationem sui ab vnoquoque comprincipio influente in ipsum, ratione peculiaris perfectionis, seù formalitatis perfectiuæ correspondentis specialiter eidem

dem comprincipio. Sicut enim effectus conſideratus adæquatè ſecundum ſe totum, non ob aliud poſtulat emanationem ſui à toto ſuo principio adæquatè ſumpto, niſi quia quidquid eſt in effectu, eſt acceptum à principio: ita conſideratus ſecundum talem vel talem formalitatem actualitatis & bonitatis, non ob aliud poſtulat emanationem ſui à tali vel tali principio, niſi quia ab eodem formaliter accipit talem formalitatē perfectiuam. Vndè ſi aliquod ex comprincipijs ſit indifferens ad plures effectus ſpecie diuerſos, alia verò comprincipia non habeant ex ſe eandem amplitudinem indifferentiæ; effectus correſpōdebit priori comprincipio, quoad formalitatem aliquam genericam, & indifferentem ex ſuo cōceptu ad plures ſpecies; poſteriori verò, vel poſterioribus comprincipijs correſpondebit quoad formalitatem, vel formalitates magis determinatas.

Art. 3. Actus autem voluntatis noſtræ prouenient ex pluribus comprincipijs ſeſe inuicem iuuantibus, nempè ab ipſa voluntate, & ab eius motiuo formali, & cognitione huius motiui, & ab habitu inclinante ad idem motiuum, ſi fortè is quoque præexiſtat. Porrò inter hæc comprincipia voluntas, quantum eſt ex ſe, eſt indifferens ad actus bonos, & malos, & ad omnes ſpecies poſſibiles ſub vtroque iſto genere. Ideòque voluntati ſecundum ſe ſolùm correſpondent formaliter, tanquam principio ſuo effectiuo, vitalitas, voluntarietas, aliaque eiuſmodi prædicata communia actibus bonis, & malis: atque indifferentia ex ſe ad omnes ſpecies actuum bonorum, & malorum. Quare differentia ſubalterna actus boni à malo, nec non differentia ſpecifica atoma cuiuſque actus, tum boni, tum mali, ab omnibus alijs ſpeciebus actuum, neceſſariò reuocatur ad obiectum & circumſtantias obiectiuas, à quibus videlicet ſimili ratione dependet differentia ſpecifica reliquorum quoque comprincipiorum, nempè cognitionis, & habitus.

Art. 4.

Art. 4. Sed distinguendum prætereà est inter obiecta. Quædam, enim sunt ex se indifferentia ad honestatem, & inhonestatem, vt rusticatio venatio, & similia; atque hæc se solis non possunt constituere actum in specie boni, vel mali, determinatè, ideòque indigent ad id superadditis sibi circumstantijs particularibus, aut relatione ad finem determinatè honestum, vel inhonestum, vt dicetur q. 27. Alia verò sunt obiecta intrinsecè honesta, vel inhonesta, sed capacia exceptionis contrariæ, vt subuentio parentum cum indigent, & acceptio rei alienæ inuito domino, quorum prius est honestum ex se, posterius verò inhonestum: licet fieri possit, vt subuentio parentum reddatur inhonesta, si adsit obligatio præeminens ad aliud opus incompossibile cum ea subuentione, vtque reddatur honesta acceptio rei alienæ inuito domino ratione extremæ necessitatis; atque ex eiusmodi obiectis redundat determinatio actuum ad speciem boni, vel mali nisi intercedat exceptio modo explicata, quæ sit causa determinationis ad oppositam speciem. Alia deniqne sunt obiecta intrinsecè honesta, atque inhonesta, & incapacia exceptionis contrariæ, vt bonitas diuina, quæ non potest amari secundum se, nisi honestè; vel odio haberi, nisi inhonestè; & locutio contra mentem, quæ è conuerso non potest amari honestè per se, nec odio haberi inhonestè: atque huiusmodi obiectum, patet sufficere ex se ad differentiam specificam actus in ratione boni, vel mali moraliter.

Art. 5. Superest postremò applicanda rei præsenti distinctio obiecti formalis motiui, seu, voliti ratione sui, ab obiecto solū terminatiuo, & volito ratione alterius. Circa quod est notanda ex communi consensu differentia inter bonitatem, & malitiam; nempè bonitatem non causari in actibus volūtatis, nisi ab obiectis formalibus motiuis volitis ratione sui; id quod suggerit frequenter Philosophus 2. Ethic. c. 4.

lib.6. c.12. & alibi, & ex eo D. Thom. quæſt. 19. art. 7. ad 5. & alibi ſæpè: & ad inducendam malitiam in actum ſufficere inhoneſtatem obiecti etiam purè materialis; vndè, vt quis ſit iuſtus, quod eſt exemplum Philoſophi, neceſſe eſt velle iuſtum, & velle iuſtè; Ideſt, quia iuſtum eſt formaliter: at verò vt ſit iniuſtus, ſufficit velle iniuſtum, tametſi non velit iniuſtè, ſeu quia iniuſtum eſt, ſed propter aliud quoduis motiuum, ſiuè honeſtum ſecundum ſe, ſiue inhoneſtum. Nam qui vult furari, vt det eleemoſynam, vel propter mœchiam; vtrouis modo eſt fur, & eſt iniuſtus. Ratio huius diſcriminis, tametſi communiter nulla redditur, eſt facilis, quæ reddatur claré, quia videlicet neque honeſtas aliqua obiecti, aut circumſtantiæ, poteſt præcognoſci vt amabilis ratione ſui; neque transgreſſio legis diuinæ, aut peculiaris alia decentia actionis præcognoſci poteſt vt vitanda ratione honeſtatis oppoſitæ, quin eo ipſo negligatur, ac nihili pendatur illa quidem honeſtas per omiſſionem liberam ipſius, & adhæſionem ad motiuū aliud incompoſſibile; hæc verò transgreſſio ac dedecentia per omiſſionem honeſtatis oppoſitæ, & per adhæſionem ad bonum delectabile tranſitorium Patet autem honeſtatem, ſeu complacentiam diuinam neglectam ac nihili habitam licet purè materialiter inexiſtentem obiecto volito, non poſſe eſſe materiam laudis, aut præmij; eſſe verò materiam vituperij, ac ſupplicij, negligentiam, & parui penſionem finis debiti, legiſque diuinæ.

Art. 6. Accedit bonitatē moralem actus eſſe prædicatum poſitiuum, ideòque indigere influxu poſitiuo ex parte principij à quo prouenit; malitiam verò moralem conſiſtere in priuatione, vt dicetur q. 29. ideòque ſufficere, pro ea contrahenda, habitudinem ad aliquid impeditiuum influxus poſitiui communicantis bonitatem. Patet autem nullum exhiberi influxum poſitiuum in actum ab obiecto purè materiali, ſeu

non

non volito ratione sui; & quod non mouet vi sua ad actum, quem terminat. Patet similiter voluntatem efficacem furti v.g. tametsi non voliti propter se, sed præcisè propter eleemosynā, vel mœchiam, esse incompossibilem cum rectitudine iustitiæ, & cum amore efficaci eiusdem. Patet igitur, rationem specificam, seù differentialem actus boni desumi ex solo motiuo eius formali honesto; ad malitiam verò sufficere obiectum materiale inhonestū præcognitum vt tale.

Art. 7. Quia verò vtraque hæc ratio differentiæ inter bonitatem, & malitiā militat æquâ vi, vt per se satis apparet, quoad circumstantias, ratione quarum obiectum ex se indifferens determinatur, vt sit honestum, vel quæ obiecto iam honesto ex se superaddunt honestatem peculiarem; concluditur non posse actum voluntatis reddere bonum simpliciter vllas circumstantias, vel illi superaddere directè peculiarem aliquam bonitatem, nisi transeant in rationem obiecti mouentis saltem partialiter ad eundem actum: Circumstantias verò, ratione quarum obiectum redditur inhonestum; vel quæ illi superaddunt peculiarem inhonestatem sufficere, si præcognoscantur vt tales, ad hoc, vt actus euadat malus, aut speciali aliqua malitia reddatur deterior. In hunc igitur modum bonitas, & malitia actuum humanorum dependent ab obiecto, & circumstantijs, tanquam causa peculiari vtriusque, quoad mutuam inter se differentiam, & quoad rationes omnes differentiales vtriusuis.

Ad 1. Licet res omnes exteriores sint bonæ secundum se: quædam tamen res quibusdam alijs nocent physicè, & respectu earum sunt malæ. Similiter ergò quædam res dedecent respectu naturæ rationalis: ideòque dicuntur malæ ac inhonestæ, relatè ad actum prosecutiuum ipsarum, cumque reddunt malum, ac nocentem naturæ rationali.

Ad 2. Obiectum formale motiuum actus

voluntatis non est pura materia circa quam, nec potest esse purus effectus ipsius; quia est causa finalis eiusdem. Causa autem finalis est vera causa, ideòqne potest causalitate sua inducere bonitatem in actum quem terminat; & similiter obiectum etiam materiale potest esse impeditiuum influxus alicuius boni, vt dictum est, ideòque potest suo modo esse causa alicuius malitiæ in actu.

Ad 3. Circumstantiæ dicuntur propriè tales respectu obiecti, cui accidunt, nec non respectu actionis exterioris. Cæterùm respectu actus interni translatitiè tantùm, & per quandam accommodationem dicuntur tales; quia re ipsa sunt obiectum partiale, ad quod intrinsecè, ac essentialiter refertur idem actus interior, vt apparebit clariùs in q. sequenti; ideòque actus interior potest specificari in ratione boni, vel mali ex circumstantijs, non secus, ac ex obiecto principali.

Ad 4. Dicitur similiter, actionem exteriorem, vt dationem eleemosynæ, esse indifferentem ex se ad finem bonum, vel malum, non tamen actum internum; quia actus internus immediatè liber, per se ipsum intrinsecè est determinatio voluntatis ad eum finem, vi cuius de facto mouetur in actu secundo, atque determinatur voluntas, vt superius dictum est, & dicetur iterum q. sequenti: ex qua etiam apparebit distinctiùs, finem non esse extra obiectum actus interni, cuius est finis, sed esse potiùs obiectum eius præcipuum, eaque de causa ex fine prouenire bonitatem actus; sicut ex defectu boni finis prouenit tota malitia peccati.

Art. 1. Ad 5. Circa comparationem illam prioritatis inter actiones interiores, & exteriores, quoad bonitatem, & malitiam, ponit tres conclusiones D. Thomas quæst. 20. artic. 1. Prima est Bonitatem, & malitiam conuenientem actioni exteriori ex fine ipsius, vt dationi eleemosy-

mosynæ ex gloria Dei; aut ex gloria vana, priùs inueniri in actu voluntatis, & deinde deriuari in actionem exteriorem; quia finis est obiectum proprium voluntatis, nec ad eum refertur actio exterior per se ipsam, sed ratione actus interni. Secunda est: Bonitatem, & malitiam conuenientem actioni exteriori secundum se propter debitam materiam, & debitas circumstantias, priùs esse in ordinatione, & apprehensione rationis, quàm in actu voluntatis. Quia prout existentes in ratione causant actus voluntatis, earumque bonitatem, & malitiam. Tertia est: Eandem bonitatem, & malitiam secundum ordinem executionis priùs esse in actu voluntatis, quàm in actione exteriori. Quia actus voluntatis est principium actionis exterioris. Circa hæc diu multumque disputant Vasquez, & nonnulli alij; sed mihi videtur tota hæc doctrina vsque adeò clara, & certa quoad omnes suas partes, & tam adæquata rei, de qua determinat, vt nihil illi superaddi reipsa possit, nullaque circa eandem controuersia realis supersit.

Artic. 2. Nihilominùs consequenter ad doctrinam superiùs traditam, obseruari potest, honestatem, atque inhonestatem obiectiuam, tum finis, tum actionis exterioris esse causam æquiuocam bonitatis, & malitiæ moralis, quæ formaliter insunt actibus voluntatis. Quapropter bonitas, & malitia physica, seu honestas, & inhonestas obiectorum non imputabiles homini, quæ consistunt in summo bono, & in propinquitate ad summum bonum, atque in distantia ab eodem, ac demum in vi perducendi hominem ad idem summum bonum, atque remouendi ab eodem, sunt priores bonitate, & malitia morali propria actuum liberorum, vt potè inducentes vtramque causalitate sua, vt dictum est; sunt autem priores, vel intentionaliter tantùm, & in ratione, vel etiam entitatiuè, vt

in se ipsis intrinsecè. At verò bonitas, & malitia moralis, vt tales formaliter, insunt primò, ac per se actibus internis immediatè liberis, vtpotè imputabilibus operanti immediatè ratione sui: atque actionibus externis insunt secundariò, & per accidens, nempè per denominationem extrinsecam ab actibus internis, ratione quorum, & non ratione sui, sunt imputabiles operanti eædem actiones externæ. Quæ quidem apparent liquidò ex quæst. 18. sola itaque præcauenda est hac in re æquiuocatio, ne fiat argumentum à genere ad genus, & varietur suppositio, vti variatur in obiectione ob defectum distinctionis modò expositæ.

QVÆ-

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm diuisio actus in bonum, & malum, sit diuisio generis in species?

VIDETVR non esse generis in species, sed subiecti in accidentia, atque bonitatem, & malitiã esse denominationes saltem inadæquatè extrinsecas actibus, qui sunt boni, & mali. r. Quia idem actus potest esse modò præceptus, modò prohibitus, sicuti eadem actio exterior, vt deambulatio, potest modò præcipi, modò prohiberi, siquidem Deus æquè dominatur vtrique actioni, & homo æquè subest imperio Dei, quoad omnes suas vires. Ergo idem actus potest esse modò bonus, modò malus, ac proindè bonitas, & malitia sunt prædicata extrinseca, & accidentalia ipsius.

Confirmatur: qui comedit carnem prope mediam noctem feriæ quintæ, potest continuare eandem comestionem ex vi eiusdem affectus post mediam noctem, cumque eius notitia; & Deus cuilibet quodlibet potest præcipere, ne vlteriùs perseueret in eliciendo eo actu, quem initio elicuit honestè, & honestè eò vsque conseruauit. Quod quidem videtur esse manifestum, certè nulla ratione ostendi potest repugnare. Patet autem in vtroque casu eundem actum transire de bono in malum, vel certè transire posse; si videlicet continuetur actus, vt potest, post prohibitionem Dei,

Confirmatur rursus: Quia bonitas, & malitia moralis consistit in conformitate, & disconformita-

mitate cum lege Dei, vt dictum est suprà. Disconformitas autem, & conformitas vnius cum alio consistit in respectu rationis, & est denominatio purè extrinseca non minùs in extremo; quod conformatur alteri, quàm in eo, cui illud conformatur, vt apparet in imagine, & prototypo, alijsque eiusmodi inuicem conformibus, seu similibus Ergò.

2. Deus est causa omnium actuum nostrorũ non minùs; sed multò magis, quã nos ipsi sumus eorum causæ. iuxta illud Isa. 26. 12. *Omnia enim opera nostra operatus es nobis*. Deus autem non est causa nostrorum peccatorum, vt patet inter alia multa, ex Tridentino reprobante sess. 6. can. 6. mala opera ita vt bona Deum operari. Ergò ratio peccati, totaque malitia actus peccaminosi. quæ non habet auctorem Deum, distinguitur realiter ab actu ipso, qui est malus, & nihilominus existit auctore Deo. Patet consequentia. Quia, quæ non procedunt ab eodem principio, sed habent causas realiter distinctas, necessariò distinguuntur realiter inter se: Quod enim est causa alicuius, eo ipso est causa realis omnium realiter identificatorum cum ipso; quandoquidem causa efficiens attingit effectum vt est in se physicè à parte rei, & non secundum præcisiones formales intellectus. Eadem autem videtur esse ratio de bonitate, atque de malitia, quoad identitatem, vel distinctionem respectu actus, qui est bonus, vel malus.

5. Vt bonitas, & malitia substantialis actus prouenieus ab obiecto eius sit intrinseca, & essentialis eidem, bonitas tamen, & malitia accidentalis proueniens ex circumstantijs obiecti, non potest non esse extrinseca actui, & distincta realiter ab eodem: tum quia bonitas, & malitia proueniens ex circumstantijs non aliter comparatur cum bonitate, & malitia, quæ prouenit ex obiecto, quàm comparantur circumstantiæ ipsæ cum ipso obiecto, cum quo procul dubio comparantur, tanquam accidentia afficientia ipsum,

ipsum, ac denominatiua extrinsecus. Tum quia bonitas, & malitia, quæ est ex obiecto, communiter dicitur substantialis; accidentalis verò, quæ est ex circumstantijs; cuiusmodi diuisio nō cadit in prædicata rei, quorum neutrum distinguitur ab ipsa re. Tum quia circumstantiæ aliæ sunt mutantes speciem aliæ non mutantes, vt liquet inter alia ex Tridentino sess. 14. cap. 5. post med. cum tamen omnes æquè pertinerent ad speciem actus, si omnis eius bonitas, & malitia esset adæquatè identificata cum specie actus.

4. Bonum, & malum conuenit actibus voluntatis, sicut rebus alijs. In alijs autem rebus bonum, & malum non diuersificant speciem; nam homo manens idem specie potest esse bonus, & malus; & similiter de alijs eiusmodi, vndè diuisio hominis in bonum, & malum, & sic de similibus, non est diuisio generis in species, sed subiecti in accidentia. Talis igitur est diuisio actuū etiam humanorum in bonos, & malos.

5. Idem effectus potest prouenire ex actu bono, & malo, vt generatio hominis ex adulterio, & ex actu coniugali. Ex causis autem specie diuersis, proueniunt effectus specie diuersi. Ergò actus bonus, & malus non differunt specie, sed denominatione extrinseca.

6. Actus bonus eò est æstimabilior, cæteris paribus, quò maior est difficultas in contrarium, quæ superatur per ipsum; & similiter actus malus eò est detestabilior, cæteris paribus, quò difficiliorem illum reddiderit Deus per suam gratiam, ac illustrationem præuiam & adminicula gratiosa bonæ indolis, & educationis, bonorum exemplorum, & similium. Actum autem esse facilem, vel difficilem nihil ponit intrinsecum in ipso: Quia difficultas nihil in actum influere potest, vtpotè non solùm non cooperans ad existentiam eius, sed etiam contradicens, ac resistens, quo minus existat. Ergò non est intrinseca actibus voluntatis tota ipsorum æstimabilitas, seù bonitas, & malitia, quæ est ratio æsti-

æſtimationis debitæ vnicuique rei.

Art.1. Reſpondetur. Dictum eſt in q. præcedenti, bonitatem actus prouenire ex obiecto formali motiuo ipſius, neque circumſtantias obiectiuas poſſe illum reddere bonum, aut eidem adiungere incrementum aliquod bonitatis, niſi tranſeant in rationem obiecti mouentis formaliter. Patet autem cuicumque actui eſſe adæquate intrinſecum ordinem ad ſuum obiectum formale motiuum adæquate ſumptum; & prædicata, quæ ipſi conueniunt ratione cauſalitatis, quam in eum exercet idem motiuum, eſſe eidem eſſentialia, ſicut cæteris quibuſcumque effectibus ſunt eſſentialia prædicata, quæ illis conueniunt ratione influxus cauſarum, à quibus dependent quoad entitatem. Omnis ergo bonitas conueniens actibus volũtatis eſt adæquate intrinſeca, & eſſentialis eisdem, ac proinde pertinet ad conceptum quidditatiuum, & ſpecificum ipſorum ſecundum ſe. Eadem autem eſt ratio ſuo modo de malitia. Quia ſimiliter dictum eſt ſuprà actus euadere malos, propter ordinẽ ad obiecta, & circumſtantias obiectiuas dedecentes, & prohibitas lege Dei; ideòque impeditiuas influxus poſitiui obiectorum, & circumſtantiarum valentium conferre rectitudinem voluntati in actu ſuo. Ordo autem actus mali in eiuſmodi obiecta, & circumſtantias obiectiuas, eſt ſimiliter intrinſecus eidem. Quia vnuſquiſq; actus per ſe ipſum eſt intrinſece determinatio potentiæ, à quo procedit reſpectu obiectorum, & circumſtantiarum, circa quæ verſatur per eundem actum, ſiue ſint obiecta ipſius formalia, ſiue materialia ſint. Ergo malitia non minus, quam bonitas, eſt intrinſeca actibus, & pertinet ad rationem ſpecificam ipſorum, eiſdem ſecundum ſe omnino eſſentialem, & non tantùm reduplicatiuè quatenus ſunt boni, vel mali.

Art.2. Confirmatur; quia bonitas & malitia moralis includunt in ſuo conceptu libertatem actus, qui eſt bonus, & malus. Libertas autem

est adæquate intrinseca actui, qui est liber, quoad omnia, & singula, circa quæ versatur liberè voluntas, vt dictum est q.14. Ergò tam bonitas, quàm malitia conueniens actui relatè ad quæcumque obiecta, & circumstantias, est ipsi similiter intrinseca adæquatè omninò. *Impossibile* nimirū est, quòd sit adæquate *intrinsecū* actui, vt liberè velit obiectū honestum, quà honestum est, & conforme voluntati diuinæ, aut liberè nolit obiectum inhonestum, quà inhonestum est, & disconforme voluntati diuinæ; & nihilominus non sit adæquatè intrinsecum eidē actui, quod auctor eius honestè; aut laudabiliter velit, aut nolit: cum conceptus actualis honestatis, & laudabilitatis consistat formaliter in eo modo prosequendi honestum, & vitandi inhonestum. Idem dicitur de prosecutione inhonesti, & omissione honestatis debitæ, pro contrahenda malitia, siue ex obiecto, siue ex circumstantijs.

Art.3. Confirmatur rursus: Quia homo per actus suos bonos perficitur, & redditur bonus, & è conuerso per actus malos deterioratur, & redditur malus. Quod nequàquam accideret, si actus, qui sunt boni, & mali, constituerentur saltem inadæquatè in ratione talium per aliquid extrinsecum. Quia solùm inesset homini intrinsecè aliquid secundum se indifferens ad bonitatem, & malitiam. Quod autem ità est indifferēs, perficit, nec deteriorat per seipsum præcisè, vt patet. Sed neque quod est extrinsecum, potest ad alterutrum horum valere quidquam. Quia quæ sunt extrinseca, eatenùs præcisè prodesse, aut nocere cuiquam possunt, quatenus indè resultat aliquid intrinsecum eidem: cum sit de conceptu melioris, aut deterioris, vt in se, & non tantùm apud alienum habeat aliquid melius, aut deterius: alioquin posset quis reddi sanctior, aut doctior, aut valentior, per sanctitatem doctrinam, & vires suas, præcisè quatenus coexistentes alienis: Et quidem hoc apparet clarè

in

in habitibus. Quia liberalis, & prodigus, fortis, & timidus, non differunt inter se præcisè per denominationes extrinsecas, sed per bonam vnius, & malam alterius dispositionem intrinsecam, & permanentem ad operandum. Eadem autem est de actibus, & habitibus ratio. Quia ex Philos. 2. Ethic. c. 1. & 2. Similes habitus, similes actus reddunt. Ergò sicut diuisio habitus, ità & diuisio actus in bonum, & malum, est diuisio generis in species, & non subiecti in accidentia, & sicut fieri non potest, vt eodem habitu sit quis promiscuè, atque indistinctè promptus, & facilis ad obsequendum Deo, & ad resistendum eidem; ad operandum decenter, & indecenter: Ità etiam fieri non potest, vt idem actus voluntatis sit obsequium Dei, eiusdemque offensa; affectio modò decens; & modò indecens, vt contendunt Auctores oppositæ sententiæ.

Art. 1. Ad 1. Impossibile est, vt Deus aut prohibeat obedientiam respectu sui aut præcipiat inobedientiam, quia hæc est intrinsecè mala, ideòque minimè capax, quæ placeat Deo, & ab eo præcipiatur: illa verò est intrinsecè bona, ideòque minimè capax, quæ displiceat Deo, & ab eo prohibeatur. Actus autem voluntatis, qui est bonus, per se ipsum intrinsecè, est obedientia implicita, vel explicita respectu Dei, & similiter est inobed ētia respectu eiusdem, actus, qui est malus. Quia actus, qui est bonus, per se ipsum, essentialiter fertur ad honestum quà honestum est, & quia honestum est, vt patet ex q. præcedenti, atque in conceptu honesti includitur conformitas cum voluntate Dei, vt constat ex dictis in quæst. 21. ex quibus locis constat, similiter actum malum terminari intrinsecè ad obiectum, quod est inhonestum, & præcognitum vt tale, atque in hoc conceptu includi oppositionem cum voluntate, & lege Dei. Impossibile igitur est, vt Deus prohibeat actum internum voluntatis, quem præceperat priùs, idest, bonum; aut vt præcipiat actum, quem pro-

hi-

hibuerat priùs, ideſt, bonum, aut vt præcipiat actum, quem prohibuerat priùs, ideſt, malum. De actione exteriori alia longè ratio eſt; quia actio exterior non eſt per ſe ipſam intrinſecè obedientia, aut inobedientia formalis reſpectu Dei; ſed eſt materia, circa quam, & in qua exercetur tam obedientia, quàm inobedientia. Vndè nulla eſt paritas.

Art. 2. Iam dominium Dei licet circa omnia ſit æquale, non tamen habet eoſdem circa omnia vſus, vt patet inter alia ex legibus, quas imponit ſubſtantijs rationalibus, & nequit imponere irrationalibus, præterquàm æquiualenter. Similiter ergò quoad actus internos bonos, & malos, loco indifferentiæ ad præceptum, & prohibitionem, datur in Deo indifferentia ad prædefinitionem, & permiſſionem eorum; & prætereà datur indifferentia ad reddendos eoſdem actus proximè poſſibiles, vel impoſſibiles proximè, per ſuam legem præceptiuam, aut prohibitiuam. Cum enim Deus præcipit ieiunium, eo ipſo reddit proximè poſſibiles actus bonos volendi ieiunare impoſſibiles verò proximè actus malos volēdi ieiunare præcisè quà ſunt volitiui ieiunij. Cū autem præcipit comeſtionē, reddit è conuerſo proximè impoſſibiles actus bonos, & proximè poſſibiles actus malos volendi ieiunare. Quia ſtante præcepto ieiunij poteſt, qui ſubeſt illi, velle honeſtè ieiunium, & non poteſt nolle; niſi inhoneſtè; & è conuerſo, ſtante prohibitione: ideſt, ſtante præcepto poteſt velle ieiunium, volendo ſimul obſequi, & placere Deo, & tendere ad ſuum vltimum finem, & non poteſt nolle idem ieiunium, niſi volèndo ſimul reſiſtere voluntati Dei, & recedere à ſuo vltimo fine, vel certè niſi negligendo ſimul liberè voluntatem Dei, vt ſuum finem: & ſic proportionaliter de prohibitione. Quæ prædicata eſſe intrinſeca actibus; liquet ex quæſtione indicata de libertate.

Art. 3. Hinc patet ad primam confirmationē.

Quia

Quia post mediam noctem feriæ quintæ non potest esse volita comestio carnis, nisi per actum resistentem voluntati Dei, & contemptiuum vltimi finis, atque, superatiuum nouæ difficultatis ex lege Dei comminante pœnas æternas, si continuetur ea comestio. Nihil autem hujusmodi antecedenter aderat. Quapropter actio exterior potest esse eadem specie anteà, & posteà; affectus verò, & actus interior necessariò est diuersus specie. Consequenter Deus potest præcipere; ne continueter ampliùs actio exterior antecedenter exercita honestè, idest, ne amplius detur vllus actus efficax volendi exercere eam actionem; & similiter potest præcipere Deus, ne deinceps eliciatur vllus actus amoris circa obiectum, quod priùs poterat honestè amari; fieri tamen non potest, vt superuenientibus de nouo eiusmodi præceptis adhuc maneant proximè possibiles ijdem illi actus interiores, qui antecedenter eliciebantur honestè, ob rationem iam datam. Quia verò prohibitio propriè est de actione proximè possibili in sensu composito prohibitionis; proptereà actus interior aliquando elicitus honestè, nequit posteà esse, propriè prohibitus. Indidem patet ad posteriorem confirmationem. Quia conformitas, & disconformitas actus boni, & mali cum voluntate Diuina non est similitudinaria, vel dissimilitudinaria; sicut inter album, & album; inter album, & nigrum; sed est affectiua propria volentis, & nolentis, quod Deus vult, vt velimus; quam rationem affectus patet esse adæquatè intrinsecam actui, quo afficimur ad obiectum à Deo volitum prout volitum ab ipso; idemque dicitur proportionaliter de affectione ad oppositum voliti à Deo cum neglectu supra explicato voluntatis Diuinæ.

Ad 2. Malitia, seu ratio formalis peccati, cum constet in priuatione, nullam habet causam propriè efficientem, sed deficientem, qua-

lis

lis causa est nostra voluntas, & non voluntas, aut potentia Diuina. Vnde malitia peccati tota prouenit ex nostra voluntate volente resistere voluntati Diuinæ, negligente suum vltimum finem, & determinante potentiam Dei ad actum, qui est malus; cum Deus ipse voluntate sua antecedenti velit potius actum bonum oppositum, & ad eius existentiam moueat præmijs, atque supplicijs. Qua de causa nobis solis tribuitur existentia peccati, & tota eius malitia; Deo verò tantum tribuitur materiale peccati, seù tribuuntur sola illa prædicata actus mali, quæ sunt eidem communia cum actu bono; sicut curuitati tibiæ tribuitur claudicatio, cùm ratio motus communis claudicationi cum motu recto tribuitur virtuti loco motiuæ, quod est exemplum D. Thom. pro hac re. Nec obest huic partitioni realis identitas formalitatum; quia non obest eadem, quominùs ab vna causa prodeniat, & non ab alia, quòd effectus prodeat huius determinatè speciei. Hæc porrò sola determinatio significatur nomine causæ peccati, ideòq. Deus nullo pacto dici potest causa peccati, licet sit causa totius bonitatis, quæ est in actu peccaminoso.

Ad 3. Ex notis cognoscimus ignota, ideòque ex physicis, & sensibilibus intentionalia, & spiritualia, & ex obiectis actus, & quia processus nominationis sequitur processum cognitionis intellectiuæ, quatenus nomina signa sunt intellectuum, vt notat D. Thomas quæst. 7. art. 1. ex 1. periher. cap. 1. ideò ex prioribus illis, & ad modum illorum posteriora, ista nominamus saltem vt plurimum. Vndè quia in rebus sensibilibus quædam quibusdam alijs circumiacent, atque in obiectis etiam spiritualibus sæpè aliquid simile contingit, propterea in actibus quoque voluntatis, quædam rationes bonitatis, & malitiæ considerantur tanquam accidentales, & circumstantes; aliæ verò tanquam substantiales

les, & per se stantes, quatenus hic est accommodatur concipiendi, & significandi modus, quandoquidem actus semper concipimus relatè ad obiecta, & rationes illorum ad instar rationum, quæ sunt in istis. Cæterum re ipsa vnusquisque actus voluntatis fertur indiuisim tota sua entitate ad suum obiectum prout affectum omnibus suis circumstantijs, vti docet D. Thom. q. 18. art. 10. & q. 19. art 2. Ideòque tota bonitas, & tota malitia vnicuique actui interno cõueniens est, æquè essentialis, ac substantialis eidem reipsa, neque potest esse vlla quoad hoc diuersitas, præterquàm ex modo concipiendi, esto ex parte termini distinguantur realiter obiectum, & circumstantia obiectiua, quatenus vna pars termini, circa quem versatur actus internus, est magis indifferens respectu alterius partis, quàm è conuerso: atque ea pars, quæ est magis indifferens, dicitur obiectum, & terminus substantialis, quasi per se stans: quæ verò est minùs indifferens, magisque determinata, dicitur circũstantia, & terminus accidentalis, quasi adiacens alteri. Neq. tamen ex his deduci potest nullam esse differentiam circumstantiæ mutantis speciem à non mutanti speciem, sed ea sola, quæ sunt mutuò separabilia formaliter, simulque mutuò discernibilia per se præcisè, vt habetur ex D. Thoma q. illa 18. art. 11. Sic actui furandi in Ecclesia, propter Mœchiam cum scandalo adstantium, insunt plures rationes formales malitiæ specie inter se distinctæ, furti, sacrilegij, mœchiæ, & scandali. Quas rationes patet esse mutuò separabiles formaliter inter se, & quamlibet formalitatem esse discernibilem à reliquis secundum se præcisè. Intensio verò, præcognitio, & aduertentia maiores, duratio longior, plures partes obiecti homogeneæ non mutant speciem. Quia prædicata actus indè resultantia, vel non sunt separabilia mutuò formaliter à reliquis prædicatis, vel certè non

sunt discernibilia inuicem secundum se præcisè, & independenter ab accidentibus extrinsecus adiunctis.

Ad 4. In alijs etiam rebus id, quo est bonum vnumquodque, differt intrinsecè, ac entitatiuè ab eo, per quod redditur malum, vt obseruatum est suprà art. 3. ad quæs. Actus autem voluntatis est bonus, vel malus, vt quo ipse homo redditur bonus, vel malus, vt dictum est ibidem; vndè retorquetur potiùs argumentum.

Ad 5. Ex actu bono vel malo moraliter, quatenus tali semper proueniūt entitates speciè diuersæ, & non solùm denominationes extrinsecæ, nempè præmium, & pœna; laus, & vituperium. Verùm quia id non tollit, quo minùs quoad obiectū aliquod materiale, & in esse naturæ inter se cōueniant actus bonus, & malus; indè fit, vt possint eatenus inducere effectū aliquem communem, qui non correspondeat formaliter bonitati, vel malitiæ morali, sed prædicato actus præscindenti ab vtroque. Vndè hoc etiam argumentum retorquetur.

Ad 6. Quòd voluntas plus, vel minùs adhæreat per suum actum motiuo eius formali, & ad ipsum plus vel minùs efficiatur, est prædicatum procul dubio intrinsecum adæquatè eidem actui. Cui videlicet est procul dubio adæquatè intrinseca sua maior, vel minor intensio. Difficultas etiam in operando eatenus præcisè reddit magis laudabilem actum bonum, magisque vituperabilem malum, quatenus indirectè cogit voluntatem, vt magis adhæreat motiuo, cuius seu prosecutioni, seu fugæ resistit eadem difficultas. Quò enim quis magis impellitur in vnam partem, eò indiget maiori conatu, vt moueatur in partem oppositam, siue moueatur intentionaliter, siue physicè. Vndè si quis propter habitum valdè intensum benè, vel malè operandi, eliciat facillimè actum seu bonum, seu malum, non propterea necesse est, vt desit actui gradus aliquis æstimabilitatis, & laudis, aut vitupe-

rij. Quia habitus inducit directè eum excessum adhæsionis, & affectionis ad motiuum, seu malū seu bonū; ad quē indirectè determinat difficultas operandi, non ob influxum aliquem positiuum, sed ob influxum negatiuum, quem superat influxus positiuus maior motiui contrarij.

QVAESTIO XXVII.

Vtrùm diuisio actus moralis in bonum, & malum, sit adæquata?

VIDETVR non esse adæquatam, sed esse possibilem actum moralem indifferentem in indiuiduo, idest, qui neque bonus sit, neque malus. 1. Quia non est possibilis species, cuius non est possibile indiuiduum. Est autem possibilis actus indifferens secundum speciem vt docet communis sententia cum D. Th. in q.18, art.8. Et probatur efficaciter, quia natura actus dependet ex natura obiecti, circa quod ipse versatur, vt dictum est supra. Sunt autem aliqua obiecta indifferentia secundum suam speciem ad honestatem, & inhonestatem, vt fricare barbam, rusticari &c. Ergò aliqui actus sunt formaliter indifferentes secundum speciem ad bonitatem, & malitiam moralem. Ergò & secundum indiuiduum.

2. Sunt multi, qui opinantur esse possibiles actus indifferētes in indiuiduo. Ergò saltem per accidens hi possunt elicere actus indifferentes in indiuiduo. Patet consequentia, quia taliter opinantes possunt operari conformiter ad suam opinationem, formando dictamen vltimum conscientiæ iuxta illam, quòd videlicet hic & nunc

in hac operatione *nulla* reipsa sit honestas, vel inhonestas.

Confirmatur, quia qui exequitur actionem externam *inhonestam*, putans per ignorantiam inuincibilem *illam* esse honestam, elicit actum internum bonum, ac laudabilem. Ergò similiter elicit actum nec bonum, nec malum; nec laudabilem, nec vituperabilem, qui exequitur actionem reipsa vel honestam, vel inhonestam, putans per ignorantiam inuincibilem illam esse expertem omnis honestatis, & inhonestatis, tā intrinsecæ per se ipsam quàm extrinsecæ ex fine, & circumstantijs.

3. Electio obiecti ex se honesti, & præcogniti vt talis, non tamen eligens propter honestatem, non est mala, quia actus internus nequit cōtrahere malitiam ex obiecto, in quo nulla præcognita est inhonestas. Sed neque bona & laudabilis est eadem electio, quia ad bonitatem moralem electionis non sufficit præcognitio honestatis ex parte obiecti coniuncta cum libertate eligentis, sed necessaria insuper est prosecutio honesti propter honestatem, vt dictum est suprà qu. 25. art. 5. & 6. ex Philosopho, exque cōmuni aliorum consensu. Ergo talis electio erit indifferens in *indiuiduo*. Quo maximè fundamento nituntur Scotus, & Gabriel pro tuenda ista parte, tametsi putant nullam actionem esse possibilem, nec bonam, nec malam, seu indifferentem secundum speciem.

4. Licet inter contradictoria dari medium nequaquam possit; dari tamen potest inter contraria: fieri namque potest, vt aliquid neque album *sit*, neque nigrum; neque frigidum, neque calidum, & *sic* de alijs. Bonum autem, & malum non opponuntur inuicem contradictoriè, vt dicetur infra quæst. 29. Ergò dari potest medium inter bonum, & malum, quod sit expers vtriusque huius extremi, ideòque indifferens in indiuiduo.

5. Diuus Hieronymus Epist. inter suas 89. eademque 11. inter Augustinianas, dicit de opere ambulandi, & sic de similibus: *Nec bonum, nec malum est; siue enim feceris siue non feceris nec iustitiam habebis, nec iniustitiam.* Et Nazian. orat. 3. quæ est aduersus Iulianum, 9. *Ad hæc quomodo:* Quemadmodum, ait, *quis quis supplicio haud dignus est, non idem statim laudem, ac prædicationem meretur: eodem modo nec quisquis laude aut deprædicatione dignus non est, idem confestim pœnam quoque meretur.* Facere autem, & non facere terminantur ad effectum, vt est in se realiter; ac indiuidualiter, & non solùm præcisiuè secundum speciem; & similiter accipitur. neque præmium mereri, neque supplicium. Ergo ex sententia Hieron. & Nazian. agnoscendæ sunt actiones indifferentes in indiuiduo.

Art. 1. Respondetur. Concedendum imprimis est ex omnium consensu, & manifesta experientia, dari aliquos actus negatiuè indifferentes in indiuiduo ob defectum libertatis, aut perfectæ deliberationis, & actualis aduertentiæ ad regulam morum, qui proindè morales non sint. Concedendum rursus est, dari quædam obiecta, & opera, quæ propterea meritò dicũtur absolutè indifferentia secundum speciem suam, quia facillimè reponuntur in specie iam honesti, iam inhonesti, iuxtà conditionem circumstantiarum, & finis, quæ ipsis adiunguntur; & toties, aut ferè contingit, vt subsint circũstantijs, & fini honestantibus, atque inhonestantibus, quo differunt hæc obiecta, vt rusticatio, & similia, ab alijs, vt subuentione parentũ, & acceptione rei alienæ absque consensu domini, quæ propterea dicuntur communiter absolutè esse inhonesta, aut honesta determinatè ex specie, & natura sua, licet sint capacia exceptionis contrariæ, ob aliquam circumstantiam, vt propter obligationem præeminentẽ ad aliud opus incompossibile, & propter extremam necessitatem. Quia scilicet rarissimè contingit vt

ob

ob eiuſmodi circumſtantias reponantur in ſpeciē contraria. Multò verò magis differunt ab alijs obiectis eſſentialiter honeſtis determinatè, & incapacibus exceptionis contrariæ, qualia ſunt bonitas Dei, mendacium, & ſimilia. Concedendum denique eſt conſequenter, ſicut actus qui verſantur circa iſta duplicis prioris generis obiecta, ſunt honeſti, aut inhoneſti determinatè quoad ſpeciem: ità eos, qui verſantur circa primi generis obiecta, eſſe indifferentes ſecundum ſpeciem. Quia tales ſunt actus qualia ſunt obiecta ex dictis q.25.& 26.

Art. 2. Aduertendum verò eſt, ſpeciem in præſenti non ſumi à Theologis rigore logico pro quolibet prædicato intrinſeco, & realiter identificato, per quod vna res eſt diſcernibilis ab alia, eidemue diſſimilis, ſiue notabiliter, ſiuè parum; ſed pro prædicato præcipuo actus, quod ipſi conuenit relatè ad obiectum præcipuum, reſpectu cuius cætera, quæ reſpicit intrinſecè idem actus, ſe habeant tanquam eius accidentia, cùm talia reipſa non ſint, ſed verè eſſentialia, vt patefactum eſt ſuprà. Placuit nimirum Theologis vſurpare, circa actus, locutiones, licet non ità proprias, aſſimiles tamen ijs, quæ propriiſſimè obiectis adaptantur, ideòque commodiſſimas conſiderantibus ſemper, atque explicantibus actus per ordinem ad obiecta. Quæſtio itaque eſt de actu ſolùm morali, eoque conſiderato, quoad omnia prædicata ſibi intrinſeca, ſiuè primaria, ſiuè ſecundaria, & conuenientia, ſiuè relatè ad obiectum & finem, ſiuè relatè ad circumſtantias.

Art. 3. Dicendum eſt cum D. Thoma, Suarez, & pleriſque alijs, aduerſus D. Bonauenturam, Scotum, Vaſquez, & alios, nullũ eiuſmodi actũ ita iter conſideratum poſſe eſſe omninò indifferentem, ſed neceſſariò eſſe vel bonum, & laudabilem; vel malum, & vituperabilem. Quia actus elicitus cum aduertentia ad regulam morum; vel fertur ad ſuum obiectum quatenus ei re-

regulæ conforme, illudque amplectitur, quia est illi conforme, & tunc est bonus, & laudabilis, vt patet: vel fertur ad suum obiectum præcisè, quia vtile, aut delectabile est, negligendo interim, an transgrediatur mensuram regulæ morum, an non transgrediatur; & tunc actus est malus: Tum quia manifestè dedecet substantiã rationalem, vt operetur cum tali neglectu regulæ rationis. Tum quia liberè elegit modum operandi communem sibi cum bestijs, reiecta, seù nihili habita ratione differentiali sui ab illis: quæ confusio hominis cum bestijs est caracter peccatoris descriptus in psalmo, dum dicitur: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Tum denique, quia vtile & iucundum pertinens ad sensum, frequenter, imò plerumque coniungitur cum inhonesto, & remouet à transitu iustitiæ, ideòque vtriuis illorũ adhærens, tanquam motiuo adæquato, disponit liberè animum suum ad transgrediendos limites iustitiæ, & honestatis: quod patet sine peccato fieri non posse. Necesse autem est, vt qui actu aduertit ad regulam morum, atque operatur liberè, alterutro ex his modo operetur. Necesse igitur est, vt benè, vel malè, cum laude, vel cũ vituperio operetur.

Art. 4. Suffragatur huic rationi Sanctus Gregorius Nyssenus orat. de Infant. col. 4. dicens. *Quod neque in bono, neque in malo inuenitur, in nulla re prorsus est; sine medio est enim eiusmodi oppositionis contrarietas; boni, & mali inquam.* Nempè non minùs necesse est, operationem liberam elicitam præeunte dictamine rationis superioris esse bonam, vel malam moraliter, quàm necesse est bonam esse, vel malam physicè operationem impetu naturæ & dispositionis hic & nunc existentis prouenientem à suo principio. Et ratio vtrobique proportionaliter eadem est. Quia malum consistit in priuatione boni debiti, seù boni, cuius vnumquodque est capax. Agens autẽ rationale per dictamen rationis ponentis ob

ocu-

oculos regulam morum, redditur capax perfectionis, & bonitatis moralis, si quidem ductum illius sequi velit; sicut vnumquodque per se ipsum est capax bonitatis, & perfectionis physicæ sibi proportionatæ. Ergò sicut agens naturale si ex aliquo accidenti impediatur, quo minùs prodeat in actionem perfectiuam absolutè, eo ipso necesse est, vt patiatur malum aliquod physicum: Ita agens morale si impediatur, quominùs eliciat actum bonum perfectiuum moraliter sibi proximè possibilē (quod non aliter euenire potest, quam eodem agente sua ipsius electione depresso ad vltimum agendi modum sibi communem cum bestijs) eo ipso necesse est, vt patiatur malum aliquod morale; quale profectò est operatio degenerans à dignitate agentis rationalis, & priuans operatione perfectiua ipsius moraliter.

Art. 5. Hinc apparet, quòd si quis eligat ambulationem v. g. quia commoda est, atque conueniens ad conseruandam, atque fouendam salutem corporalem, & insuper quia nihil mali moralis illi inest, eo ipso electio euadit honesta. Quia ipsa exclusio inhonestatis, ac mali moralis, est honestas: Sicut exclusio tenebrarum est illuminatio. Inhonestas enim, & malitia moralis consistit in priuatione honestatis, & bonitatis moralis, sicut tenebræ consistunt in priuatione lucis, vt sæpe suppositum est ex dicendis in q. 29. Priuatio autem alicuius formæ nequit excludi, nisi per ipsam formam. Ergo eligens bonum, vel vtile, vel delectabile, quia non est inhonestum, eo ipso illud eligit, quia est honestum; quatenus duplex negatio affirmat illud ipsum, quod negaret negatio, quæ negatur, si daretur ipsa secundum se. Accedit, quòd qui non eligeret vtile, vel delectabile, si non aduerteret nihil inhonestatis illi inesse, potest moueri, ac determinari ad illud volendum hac ipsa de causa, quia nihil inhonestatis inest. Ergò nihil inesse inhonestatis est aliqua ratio bonitatis. Patet conse-

sequentia, quia sola ratio bonitatis potest mouere, ac determinare voluntatem: sicut sola ratio coloris, & lucis potest determinare potentiã visiuam. Iam verò ratio bonitatis consistens in exclusione inhonestatis non potest pertinere formaliter ad genus boni vtilis, vel delectabilis secundum se; cùm vtrumque hoc genus sit ex se indifferens ad inhonestatem. Ergò exclusio inhonestatis proposita per dictamen rationis est ipsa ratio honestatis. Accedit rursus, quòd operans cum hac cautela, vt nullam velit quærere vtilitatem, nullamque capere delectationem nisi de qua constiterit non esse prohibitam à Deo, nihilque mali moralis illi inesse, eo ipso nõ solùm non vituperatur, sed meritò laudatur. Ergò eo ipso prosequitur honestum formaliter vt tale, & agit honeste, ac laudabiliter. Qui autem non adhibet talẽ præcautionem, sed prosequitur vtile, aut delectabile præcisè; quia vtile, aut delectabile est, siue sit conforme, siue discõforme sit legi Dei, & Regulis honestatis, eo ipso agit inhonestè, & vituperabiliter, vt liquet ex se, & ex ratione insinuata suprà art. 4. Cum igitur nullum sit medium inter istos duos operandi modos vtpotè contradictoriè oppositos ex parte obiecti; patet nullum esse medium inter honestam, & inhonestam operationem; inter actum bonum, & malum, respectu moraliter operantis, seu operantis cum actuali aduertentia ad regulam morum.

Art. 6. Non est prætermittenda in fine valida huius sententiæ confirmatio, quæ desumitur à D. Thoma, & ab alijs communiter ex 12. Mat. 36 Vbi ita pronunciat Christus Dominus: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerunt homines, reddent rationem de eo in die Iudicij*; vtique tanquam de culpa, & materia iustæ punitionis. Quæ nimirum intentio manifestè apparet ex contextu, & supponitur, tanquã certa ab interpretibus ibi. Verbum autem otiosum dicitur communiter à Sanctis PP. quodcunque

que non profertur laudabiliter, & honestè; Nẽpè, *quod*, vt dicit Hieronymus, *non ædificet audientes; & sine vtilitate audientis, & dicentis dicitur*: quod, vt dicit Basilius, *ad propositum in Domino vsum non facit*: quod vt dicit Gregorius *ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ voluntatis caret*: Et quod, vt dicit Bernardus, *nullam rationabilem causam habet*. Quis autem non videat, eandem, si non & maiorem, rationem esse de operibus, atque de verbis dicente maximè Hier. in ps. 15. *Si de verbis otiosis redditur ratio; quantò magis de operibus?* & subiungente Bernardo rationem ibidem communem operibus, dum dicit; *Nemo vestrum fratres, pauci æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis*. Vitiosè enim prodigitur tempus, dum non impenditur consecutioni finis humanæ vitæ propositi actualiter per rationem, ideòque neglecti turpiter per electionẽ, si aliò nihilominus diuertatur intentio, & alius finis huic fini præferatur; quod est intrinsecè turpe: sicut vitiosè prodigitur pecunia, siue pauca, siuè multa, quæ inutiliter, & sine rationabili causa confertur, vti ponderat benè Suarez. Cum igitur ex his appareat tanta SS. Patrum, & sacri textus iuxta ipsos inclinatio spontanea in hanc partem, ea potissimùm tenenda est reiectis interpretationibus vtcunque probabilibus, quæ ad tuendum potiùs positum, quàm ex ipsorum manuductione Sanctorum, aut ex præscripto rationis insuperabilis, illis adhibentur à Vasquez, & nonnullis aliis. Quia verò sacer textus, & Sancti PP. absolutè, nullaque interposita exceptione loquuntur, atque rationes à nobis superiùs ponderatæ vim similiter habent, si quam habent, omninò vniuersalem, nulliusque capacem exceptionis: meritò concluditur neque per se, neq. per accidens dari posse actum moralem indifferentem in indiuiduo, seù qui adæquatè consideratus nullam in se habeat rationem aut bonitatis, aut malitiæ moralis, ideòque

diuisionem actus moralis in bonum & malum esse adæquatam.

Ad 1. Eodem sensu, quo admittitur possibilis actus indifferens secundum speciem, admittitur quoq; possibilis reipsa indifferens secundũ indiuiduum. Nec enim minus verum est hanc in particulari, & omninò determinatè, seu ambulationem, seu fricationem barbæ, seu leuationem festucæ esse indifferentem ex se, & secundum se præcisè consideratam, quàm verum est vniuersaliter, dari aliqua obiecta secundum se præcisè indifferentia ad honestatem, & inhonestatẽ. Cæterùm quia dum admittitur à D. Thoma, & aliis actus indifferens secundum speciem, non sumitur species pro tota collectione prædicatorum differentialium, quæ intrinsecè, ac essentialiter insunt actui, vt est in se à parte rei iuxtà notitiam superiùs datam, sed cum præcisione pro solo illo prædicato, quod conuenit actui relatè ad obiectum suum principale respectu cuius comparantur, tanquam circumstantiæ, & accidentia, reliqua, quæ proponuntur per rationem, tametsi æquè essentialiter attingantur ab actu voluntatis; nomine verò indiuidui intelligitur tota eadem collectio prædicatorum differentialium, quæ sola intelligitur vbiq; à Logicis nomine speciei, propterea nulla est inconsequentia in doctrina D. Thom. vtpotè admittentis rationem specificam præcisiuè, idest, cui ex suo conceptu relatè ad obiectum suum inadæquatè sumptum, neque repugnat determinatio ad bonitatem, neq; determinatio ad malitiam: non verò indifferentem positiuè, idest, cui ex suo conceptu adæquato relatè ad omnes rationes obiectiuas repugnet determinatio intrinseca tũ ad bonitatem, tum ad malitiam, prout explicat idem D. Thom. in eodem art. ad 1. Breuiter: est possibilis actus indifferens secundum speciem, specie latè sumptà pro quidditate rei inadæquatè considerata, non verò specie sumpta strictè pro quidditate rei adæquatè considerata,

quæ

quæ ratio speciei nomine indiuidui significatur; communiter à Theologis in præsenti, vt retineant voces antiquas, reipsa satis patente ex contextu iuxtà explicationem datam suprà articul. 2.

Art. 1. Ad 2. Reuocandum est in memoriam, auctoribus argumenti, plerosque ipsorum negare, & quidem negant optima ratione, quòd possibilis sit etiam per accidens casus perplexitatis, in quo quis practicè iudicet vtramque partem contradictionis esse verè, & æqualiter peccaminosam, v. g. auditionem sacri ratione excommunicationis, vel interdicti & omissionem auditionis ratione diei festi; ideòque sit necessitatus ad peccandum hìc & nunc necessitate simpliciter antecedenti, atquè ineuitabili: & tamen Granados, & nonnulli alij sub terminis vniuersalibus, seù speculatiuè affirmant possibilitatem eius euentus, & consequenter iudicant speculatiuè, quòd possit quis per ignorantiam inuincibilem constitui in necessitate metaphysica peccandi hìc & nunc per vtriuslibet partis electionem. Similiter ergo in re præsenti negatur à nobis fieri posse etiam per accidens, vt quis practicè iudicet, hìc & nunc neque honestam, & laudabilem, neque inhonestam, & vituperabilem esse respectu sui electionem aliquam, ex. gr. ambulationis, tametsi fieri possit, quòd & euenit de facto, vt speculatiuè, & sub terminis vniuersalibus iudicet possibilem esse eiusmodi indifferentiam indiuidualem electionis.

Art. 2. Ratio vtrobique est fere eadem, fundata in doctrina vulgari Philosophi 1. Poster. & alibi: sub genere, id est, sub terminis vniuersalibus latere æquiuocationes, quæ euanescũt, cùm ventum est ad singulare hìc & nunc. In re nostra dum affirmãt aduersarij possibiles esse actus indifferentes in indiuiduo, concipiunt illos relatè ad obiecta secundum se indifferentia; quoad speciem, id est, præscindentia ab honestate & inhonestate, ad quorum alterum determinan-

tur per circumstantias: Facilè autem est, æquiuocare huiusmodi præcisionē cū exclusione positiua extremorum præcisionis, atque putare, tale aliquid apparere posse in particulari intellectui practico, quale apparet intellectui speculatiuo in vniuersali. Cæterùm, qui iudicat practicè cogitans de electione hìc & nunc facienda, concipit actum relatè ad obiectum, vt substās huic determinatè collectioni circumstantiarum, nec iam vlla tergiuersatione præcisionis vniuersalis potest celari incompossibilitas extremorū contradictionis, qualia ostensum est supra, esse honestum, & inhonestum; ideòque necessariò iudicabit determinatè, vel honestum esse, vel nō esse honestum, idest, esse inhonestum; aut è conuerso; vel esse inhonestum, vel non esse inhonestum; id est, esse honestum, prosequi, aut fugere hoc obiectum hìc & nunc, siquidem, vt supponitur, aduertit ad regulam honestatis, & inhonestatis.

Art. 3. Hoc nimirum eodem modo discurrūt aduersarij pro negando etiam per accidens, vti negandus omninò est, casu perplexitatis continentis in se necessitatem peccandi hìc & nunc. Quia videlicet, vt quis iudicaret se peccare, tum audiendo, tum etiam non audiendo sacrum hìc & nunc; deberet iudicare sibi præcipi hìc & nunc tum auditionem sacri, tum etiam non auditionem, idest, deberet simul iudicare vtramq; sibi prohiberi, ideòque neutram sibi præcipi; nempè præceptum audiendi est prohibitio non audiendi, atque è conuerso: quæ æquiualentiæ sunt per se notæ; certè debent esse notæ operanti ad hoc vt peccet omittendo adimpletionē præcepti. Nequit autem intellectus assentiri cōtradictorijs; cum sit per se nota falsitas coniunctionis eorū. Eadē igitur ratione est chymerica, tum possibilitas perplexitatis inducentis antecedenter necessitatem peccati; tum possibilitas dictaminis practici præcisiuì inducentis opus indifferens in indiuiduo, Indictamine inuincibiliter

ter erranti circa vnam partem contradictionis determinatè sumptam; nulla est talis implicatio terminorum, vt per se patet; ideòque nulla potest esse inde paritas ad rem præsentem, prout intenditur in confirmatione.

Ad 3. Eligens, quod præcognoscit esse honestum, sed non quia honestum est, necesse est, vt eligat illud, quia vtile aut delectabile est; cum impossibile sit voluntatem, vtpote rationaliter agentem, velle, ac eligere absque causa volendi, & eligendi. Ipsum verò vtile, vel delectabile vel prosequitur voluntas illimitate, nulla habita ratione limitis præfixi per regulam morum; vel limitatè, nimirum, quia non excedit modum rationis. Si primum; actus est malus, & prosequitur turpiter, quòd est materialiter honestum: Si secundum; actus est bonus, & prosequitur honestum quia honestum est, vt patet ex dictis suprà. Cum igitur impossibile sit, vt hæc non præcognoscat, qui aduertit actualiter ad regulam morum; impossibile vtique est, vt in eodem detur medium indifferentiæ, quod quæritur.

Ad 4. Oppositio, quæ est inter bonum, & malum, deficit ab oppositione puræ contradictionis, ob solam capacitatem boni, quo priuat ipsū malum. Conceptus enim mali ità includit in se eam capacitatem, vt solam illi superaddat carentiam boni sibi oppositi; quæ carentia est contradictorium eiusdem boni, vt patet. Posita igitur capacitate ad aliquod bonum fieri nō potest, vt detur nihilominus medium inter ipsum bonū, & malum oppositum; licet absolutè fieri possit, vt neutrum in aliquo detur propter defectum capacitatis: Vndè licet lapis neque sit cæcus, neque visiuus, quia non est capax visus; homo tamen, quia ex se est capax visus, nec de potentia absoluta fieri potest, vt neque sit cæcus, neque viuus. Qui autem moraliter operatur, seù operatur præuentus dictamine rectæ rationis, eò ipso est capax rationis boni, seu boni moralis in sua operatione. Ergò eo ipso est impossibile,

le, vt neque benè, neque malè moraliter operetur. Conceditur itaque absolutè possibilitas medij inter bonum, & malum morale, non tamen in casu.

Ad 5. Intentio Hieronymi ad hoc vnum tendit eo in loco, vt constituat discrimen inter actiones exteriores, ordinatas ex se ad conseruationem iudiuidui, & exteriorem obseruantiam cæremoniarum veteris legis post promulgatum Euangelium; quam obseruantiam ipse Hieronymus dicit esse malam aduersus Augustinum affirmantem in opusculo, cuius ibi meminit idem Hieronymus, esse bonam. Assignat autem discrimen intentum independenter à materia præsentis controuersiæ de actu interno adæquatè considerato, dicens actiones exteriores inseruientes necessitati naturæ, neque bonas esse, neque malas, nempè secundum se præcisè, siue in specie, siuè in indiuiduo considerentur; Ideòque siue fiant, siuè non fiant, neque iustitiam haberi neque iniustitiam, nisi videlicet aliunde alterutra contrahatur; de cuius tamen aliunde contractionis seù possibilitate, seu necessitate, seù repugnantia nihil ibi determinauit, nec erat è re, vt determinaretur: Obseruantiam verò cæremoniarum legis esse malam ex se præcisè, nec exhiberi iam posse sine peccato. Longiùs distat à scopo præsenti verba Nazianzeni, vndecumq; desumpta sint: solùm namque constituunt medium indifferens inter meritum & demeritum vitæ æternæ. Quam indifferentiam in indiuiduo pluribus actibus nos quoq. concedimus, vt patebit q. 32. præsertim ad 5.

QVÆ-

QVAESTIO XXVIII.

Vtrùm idem actus possit esse bonus simul, & malus?

VIDETVR posse simul esse bonus, & malus. 1. Quia actus, qui versatur circa obiectum bonum, est bonus, vt liquet ex quæst. 25. & qui procedit ex fine malo, est malus. Quia *non potest arbor mala*; idest, intentio mali finis, *bonos fructus facere*, vt habetur ex Matth. 7. 18. Potest autem actus habens obiectum bonum procedere ex intentione mala; vt volitio eleemosynæ ex intentione gloriæ vanæ, & sic de similibus. Eadem est ratio de actu malo ex obiecto, qui procedit ex fine bono; vt actus mentiendi ex fine charitatis in proximum, & volitio furandi ex intentione dandi eleemosynam. Ergò idem actus potest esse simul bonus, & malus. Nempè bonus ex obiecto, & malus ex fine, atque è conuerso.

2. Actio exterior ex se bona, vt auditio sacri, potest euadere mala tum ex qualitate finis, quatenus ordinatur ad finem, ad quem non debebat ordinari, vt ad derisionem sacrificij; tum ex circumstantia quatenus auditur, vbi, aut quādo audiri non debet, & sic de alijs circumstantijs. At hæc eadem accidere non minùs possunt actui interno ex se bono, vtpote imperabili per actum alium malum, sicut est imperabilis per actum alium bonum, & elicibili, vbi, aut quando elici non debet. Ergò actus internus non minùs quàm externus potest esse bonus ex se, simul-

simulque malus, ex adiunctis circumstantijs, aut fine.

3. Sæpè fit actus charitatis, & contritionis præsertim in articulo mortis, impellente ad eũ voluntatem metu pœnarum inferni. Plures cõuertuntur ad fidem catholicam ex metu, ac spe bonorum, & malorum temporalium: plures accedunt ad Sacramentum confessionis ne amittãt gloriam humanam, & bonam de se æstimationem apud confessorem, & alios. Et quidem hæc, & similia ità fiunt frequenter obuersantibus in animo eiusmodi motiuis, vt absolutè non fierent si omninò abessent eadem motiua. Manifestum autem est ex vna parte infici prædictos actus, aliqua imperfectione, aut malitia, ex imperfectione aut malitia talium motiuorum, eosque fore meliores illis sublatis. Absurdum verò est ex alia parte; dicere toties euadere omninò malos eiusmodi actus; toties esse fictam, & inanem conuersionem ad fidem, & pœnitentiam peccatorum; toties confessiones esse sacrilegas, quoties talia motiua aliqualiter cooperantur. Dicendum igitur est, actus taliter elicitos esse malos simul & bonos, seù partim esse bonos, partim malos.

4. Actus conformis dictamini conscientiæ vincibiliter errantis est bonus ex se, quia est cõformis suæ regulæ. At est etiam malus, quia ignorantia vincibilis non excusat à peccato, vt dictum est suprà. Ergo simul est bonus, & malus.

5. Idem actus intellectus potest esse verus relatè ad vnum obiectum, & falsus relate ad aliud atque ex præmissis falsis potest inferri conclusio vera. Ergo idem actus voluntatis potest esse similiter bonus relatè ad vnum obiectum, & malus relatè ad aliud; atque ex intentione mala potest procedere electio bona, quæ proindè simul sit mala ex fine malo præfixo per malam intentionem;

Art. 8.

Art. 1. Respondetur. Tametsi in testimonio indicatò ex Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere; nec arbor mala bonos fructus facere.* Salmeron, Maldonatusq;, & alij, admodum probabiliter, & cum magno fundamento in contextu, arborem bonam, & malam interpretantur verum, & falsum Prophetam, seu Doctorem vera & falsa dogmata tradentem, ex bonis, & malis operibus necessariò manifestandum, vt talem; non tamen deserenda propterea est communis aliorum interpretatio, sub allegoria arboris bonæ & malæ intelligens bonam, & malàm intentionem ex quarum altera prouenire non possit, nisi bona electio, & bonum moraliter opus; ex altera non nisi mala electio, & malum opus.

Art. 2. Deprehenditur verò manifestiùs veritas huius sententiæ, iuxta communem interpretum intelligentiam, ex Matth. 6. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit;* idest, sicut oculus corporeus dirigit reliqua corporis membra; ideòque si ipse fuerit purus, & prauis impermixtus humoribus, reddit reliqua membra quasi oculata seorsim, atque ab errore in operando præseruat; si verò oculus fuerit malè affectus, prauis humoribus excæcatus; reliqua membra, quasi excæcantur, & aberrant à scopo, nec mouentur, vti oportet; ita intentio bona inducit rectitudinem electionis, & operis consequentis; Mala verò inducit contrarium rectitudinis defectum in electionem, & opus consequens. Vnde D. Gregor. 1. Dialog. c. 10. circa prædicta verba, *Cùm peruersa est,* subdit, *intentio, quæ præcedit, prauum est omne opus, quod sequitur; quamuis esse rectum videatur,* Eadem porrò ratio est proportionaliter de bona intentione; iuxta illud Augustini in præfatio; ad ps. 21. *Bonum opus intentio facit.*

Art.

Art. 3. In hunc eundem sensum trahi quoque facilè potest per argumentum à fortiori, priùs illud testimonium de arbore bona & mala, etiã si admittatur præmissa intelligentia Salmeronis & Maldonati. Quia si mala, & bona doctrina, quæ electionem & opus respiciunt remotius, non possunt inducere fructus, nisi bona bonos, mala malos; quantò magis necesse est, vt intentio, ex qua immediatè procedunt electio, & opus exterius, non inducat nisi bona bonos fructus, & mala malos. Constat igitur electionem, & opus procedens ea intentione bona, non esse bonum, & malum simul, sed bonum tantùm, & similiter esse malum tantùm, quòd ex intentione mala procedit.

Art. 4. Iam verò intentionem ipsam non posse bonam simul, & malam esse, sed bonam tantùm, vel malam tantum ex ijsdem duobus testimonijs colligi potest. Quia diuisio doctrinalis vtrobique tradita ab Spiritu Sancto esset inadæquata, & defectuosa, si vltra intentionem tum bonam, tum malam, superesset tertium intẽtionis genus, quæ bona simul esset, & mala; & insuper allegoria arboris, & oculi, incongruè applicata fuisset intentioni operantis: quandoquidem nulla arbor bona simul & mala esse potest, nullusque oculus potest esse simplex simul & nõ simplex seu videns simul & non videns. Nulla igitur intentio, ac per consequens nulla electio, nullaque actio exterior potest esse bona, & mala simul, sed vel bona tantùm, vel tantùm mala.

Art. 5. Vt hæc doctrina clariùs percipiatur & ratione auctoritati superaddita distinctiùs comprobetur, obseruandum est diligenter; voluntatem dupliciter iuuari, ac moueri posse fine aliquo ad aliquem actum ità elicitum mouenti tali fine: vt eliciendus minimè fuisset, non mouente eodem fine. Primùm enim iuuare, ac mouere potest finis purè negatiuè, tanquam remouens prohibens, & motione minimè libera volun-

luntati ſaltem directè. Secundò iuuare, ac mouere poteſt poſitiuè, tanquam influens in actum ratione ſui formaliter, & per motionem directè liberam voluntati. Si enim alicui ità proponatur largitio eleemoſynæ tamquam conferens ad conſecutionem vitæ æternæ, vt ſimul proponatur tanquam valdè plauſibilis apud homines, eiuſque omiſſio repræſentetur æquè ignominioſa apud eoſdem; profectò independenter ab omni libera electione reddetur illi difficilior omiſſio eleemoſynæ, & facilior largitio, quam ſi tale motiuum plauſus, & ignominiæ apud homines propoſitum non fuiſſet. Difficilius enim eſt, velle amittere ſpiritualia, & temporalia ſimul, quam velle amittere alterutra ſeorſim. Quæ autem ſunt difficilia, ſæpe non fiunt præciſe quia difficilia ſunt, ita vt eadem facienda fuiſſent, cæteris paribus ſi difficultas defuiſſet: fieri igitur poteſt, vt actus aliquis voluntatis, alioquin liber, & moralis ità exſtat alliciente ad ipſum, atque mouente aliquo fine, vt eodem deficiente eliciendus minimè fuiſſet, & nihilominus idem finis non moueat ad eundem actum motione poſitiua, & directè libera voluntati, ſed ſola motione præexiſtenti, ſiuè conſentiat, ſiuè non conſentiat voluntas in opus, ad quod mouetur; id eſt, moueat nihilominus ſola motione negatiua, & remouente, prohibens, nè per facilitatē omittēdi actum, quo de facto exercetur volūtas.

Art. 6. Ex huiuſmodi cauſalitate finis, ſiue is bonus ſit, ſiuè malus, nulla ſeù bonitas, ſeù malitia moralis redundat in actum, qui ſubſequitur, quia libertas eſt de conceptu moralitatis, vt dictum eſt ſuprà. Vndè cùm eiuſmodi cauſalitas finis tota exiſtat independenter à libertate operantis, nec inſit ipſi libera facultas illam impediendi; nulla profectò moralitatis ſpecies poteſt indè redundare in actum, qui ſequitur. Accedit, finem, ad quem ſibi propoſitum non afficitur liberè voluntas, eo ipſo liberè negligi à voluntate. Vndè ſi malus ille fuerit, laudāda potiùs erit

volun-

voluntas,quia neglexit,& è conuerso vituperãda potiùs, eadem de causa,si bonus ille fuit; Quã in rem videri potest doctrina tradita suprà q.25. art.5.& 5. Ergò ex fine quatenus negatiuè solùm mouente, vti expositum modò est, non potest actus sequens aliquatenus esse malus,tametsi ille sit malus; nec potest esse aliquatenus bonus,tametsi ille bonus actus sit. Accedit rursus ad specialem Diuinæ prouidentiæ beneficentiam pertinere,tum quòd omissio actus boni reddatur alicui difficilis, & facilis actus ipse bonus; tum quòd vice versa, omissio actus mali reddatur facilis, & difficilis ipse actus malus; idque siue ea facilitas, & difficultas proueniat ex motiuis temporalibus, & non expetendis ratione sui; siue proueniat ex motiuis spiritualibus, & expetendis ratione sui; quia vtrouis modo constituitur homo in spe maiori declinandi à malo,& faciendi bonitatẽ. Quia autẽ nõ abutitur liberè effectu beneficentiæ diuinæ,non est vituperabilis; sicut nec laudabilis est, qui nihil liberè adijcit eidem effectui quatenus præoccupanti vsum libertatis creatæ. Ergò ex fine seù bono seu malo,præcisè quatenus inducente directe talem facilitatem,& difficultatem, & indirecte tantùm actum aliquem, nulla potest eidem actui conuenire peculiaris aut bonitas,aut malitia moralis fundans vituperium, aut laudem specialem.

Art. 7. Si verò finis moueat ad actum positiuè,& motione directè libera voluntati; itá vt propositis pluribus motiuis liberè determinetur voluntas ad actum propter vnum potius ex illis,quàm propter aliud, vel alia; actus euadit moraliter bonus fine existente honesto & malus moraliter eodem existente inhonesto, & quidẽ bonitate, & malitia adæquatè intrinseca actui. Quia videlicet actui liberè elicito est adæquatè intrinseca omnis ratio libertatis, quæ exercetur per ipsum,seu in eliciendo ipso; & propterea motiuum, cui liberè adhæret voluntas ratione

sui,

sui præfertur cœteris, quibus liberè non adhæret, idemque motiuum exercet causalitatē positiuam in actum, ideòque illum reddit participem bonitatis, & malitiæ; honestatis, & inhonestatis sibi conuenientis, seù præexistentis in eodem motiuo. Quæ omnia patent ex dictis superiùs tū circa libertatem, tum circa radicem, & causam bonitatis, & malitiæ moralis. Itaque vnusquisq; actus euadit intrinsecè bonus, vel malus, iuxta bonitatem, & malitiam finis, & motiui, ad quod voluntas determinatur per eundem actum.

Art. 8. Verùm intercedit hoc discrimen inter bonitatem, & malitiam; quòd vt actus euadat bonus, necesse est motiuum eius adæquatè sumptum esse bonum, nullamque inesse malitiā, vel ipsi motiuo, vel parti motiui, aut etiam obiecto materiali, vt verò actus euadat malus, sufficit motiuum eius vel etiam partiale, imò & obiectum solum materiale, seù totale, seu partiale esse malum. Quia vt dicit Dionys. c. 4. de Diuin. Nom. p. 3. *Bonum causatur ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus*. Quod principiū, dum agitur de bono, & malo morali, non ità accipiendum est, ac si solùm diceretur: Denominatio sequitur debiliorem partem; ideòq; actus, qui relatè ad vnum obiectum habet bonitatem, & malitiam relatè ad aliud, absolute dicitur seù denominatur malus, sicut homo dicitur materialis absolutè, licet simul cum corpore contineat in se animam, quæ est spiritualis; sed est ita accipiendum, vt negetur aliquam, relatè ad aliquod obiectum, bonitatem moralem conuenire posse actui, cui conuenit aliqua ratio malitiæ imputabilis operanti propter eundem actum, siuè relatè ad idem obiectum, siuè relatè ad obiectum aliud.

Art. 9. Ratio huius est; quia vt actus habeat bonitatem aliquam moralem relatè ad aliquod obiectum, necesse est, vt placeat Deo, quòd illud sit volitum à nobis, vtque velimus implicitè, vel explicitè, quia sic placet Deo, vti ostensum est

art. illo 5, & 6. q. 25. Nullum autem obiectum potest placere Deo prout coniunctum cum obiecto alio malo, vel cum mala circumstantia. Ergò eo ipso quod actus aliquis feratur ad obiectū aliquod secundum se bonum, vt coniunctum cum obiecto alio malo, vel cum mala circumstantia, nullam potest habere bonitatem moralem relate ad tale obiectum. Fieri igitur non potest, vt idem actus secundum vnam formalitatem, & quatenus versatur circa vnum aliquod obiectum, sit moraliter bonus, simulque sit moraliter malus relate ad aliud obiectum, vel circumstantiam malam. Confirmatur; quia si idem actus posset esse bonus moraliter quoad aliquam formalitatem, simulque malus quoad aliam formalitatem, posset vtique idem actus esse præceptus, aut consultus a Deo, quoad aliquam formalitatem; simulque prohibitus ab eodem, quoad aliam formalitatem, quia omnis bonitas moralis est conformis diuinæ bonitati, omnisque malitia moralis est difformis eidem, vt dictum est suprà. Impossibile autem est, vt eodem actu placeamus, simulque displiceamus Deo; vtque teneamur ad eliciendum, simulque omittendum eundem actum hic & nunc ex obligatione conformandi nostram volūtatem cum Diuina, quod est teneri ad impossibile.

Art. 10. Confirmatur rursus validè. Quia qui tenetur ad aliquid, eo ipso tenetur ad omnia, cum quibus illud connectitur, & sunt in sua potestate: & similiter, qui tenetur ad vitandum aliquid, eo ipso tenetur ad vitandum omnia, quæ connectuntur cum illo: quandoquidem est impossibile, aliter aut ponere aliquid à parte rei, aut vitare. Nihil autem est magis connexum cum aliquo, quàm sit connexa vna formalitas cuiusque actus, cum formalitate alia identificata secum realiter, Repugnat igitur, vt vna aliqua formalitas cuiusquam actus sit mala ideòque vitanda ex lege Dei, vtpotè obligante ad vitandam reipsa omnem malitiam moralem; simul

simulque aliqua formalitas eiusdem actus sit bona moraliter; ideòque ponenda reipsa à parte rei ex lege vel consilio Dei, vtpote approbantis omnem bonitatem moralem. Dixi vtrobique, *reipsa*, ad occludenda effugia præcisionum formalium, in quibus nulla potest esse vtilitas pro concordia obligationum realium astringentium simul ad ponendum à parte rei, & ad vitandum, seu non ponendū à parte rei formalitates identificatas inter se realiter, siuè vnaquæque ratione sui formaliter, siuè formaliter ratione alterius sit ponenda, & vitanda simul realiter.

Art. 11. Ex his colligitur repugnare, vt ex intentione mala suboriatur electio aliqua formalis bona, seù cui positiuè conueniat bonitas aliqua moralis; similiterque repugnare, vt ex intentione bona suboriatur electio formalis mala, seu cui insit malitia aliqua formalis moralis. Nempè electio formalis medij conducentis ad aliquem finem, hoc differt ab electione materiali, quòd electio formalis vult medium reipsa conducens ad finem, seu putatum conducere ad finem, quatenus ad illum conducens, & quia cōducit. Electio verò materialis vult mediū seu verum, seu putatum, proptèr bonitatem conuenientem ipsi medio secundum se, & non formaliter, quia conducit ad finem. Vndè electio formalis fertur ad medium, vt medium est; electio verò materialis fertur formaliter vt ad finem præcisè, ad id, quod reipsa est medium, aut putatur esse medium. Repugnat autem, vt actus volens aliquid conferens ad finem malum, quatenus conferens ad illum, seu, quia confert ad illum, non sit eatenus malus; cùm sit manifestum, cui prohibetur aliquid, eo ipso prohiberi ea, per quæ peruenitur ad illud; & cui est prohibita prosecutio formalis, & explicita alicuius, esse quoque prohibitam saltem virtualiter, & explicitè prosecutionem virtualem, & æquiualentem eiusdem: qualis procul dubio adest respectu finis

in

in explicata electione formali medij. Repugnat igitur, vt eidem electioni formali medij conferentis ad finem malum,& subortæ ex mala intentione insit aliqua ratio bonitatis moralis. Patet consequentia ex repugnantia modò ostensa,vt insit eidem actui ratio aliqua bonitatis cõiuncta cum aliqua ratione malitiæ.Indidem patet idem proportionaliter dicendum esse de repugnantia,vt insit ratio aliqua malitiæ moralis,electioni formali medij conferentis ad finẽ bonum,& subortæ ex intentione bona.

Art.12. At si electio sit materialiter tantùm talis,fieri poterit,vt ipsa sit bona moraliter præeunte intentione moraliter mala,& è conuerso, vt electio sit formaliter mala,præeunte intẽtione bona, Quia electio materialiter tantùm talis,quantum est ex se intrinsecè,fertur ad suum motiuum,tanquam ad finem,neque illud aut ordinat ad finem priùs intentum, aut vult quatenùs vtile,seu quia vtile est ad illũ; ideòq; quantum est ex se,potiùs reijcit, ac negligit eundem finem priùs intentum , estque proindè electio impropriè tantum,ac abusiuè comparatione illius. Nimirum quia vult aliquid ordinabile ex se,& potens conferre ad eum finem, & quia de facto præexitit intentio eiusdem finis. Quorum neutrum, neque vtrumque simul facit, vt voluntas conuertatur liberè de nouo ad talem finem per talem electionem Igitur electio purè materialis,vel erit tantùm bona moraliter, vel tantũ mala moraliter,prout contigerit esse honestum, vel inhonestum obiectum, circa quod versatur per se ipsam intrinsece , tametsi contigerit simul finem præintentum, eiusque intentionem antecedenter præconceptam esse oppositæ omninò conditionis.

Art.13. Idem autem dicitur ob eandem rationem de quouis actu alio quomodolibet præsupponente purè materialiter alium actum, seu bonum,seu malum, & elicito cum aliquali depen-

dentia ab illo quia nunquam ob id præcisè conueniet actui posteriori vlla bonitas, aut malitia moralis specialiter imputabilis operanti ratione eiusdem actus. Constat igitur ex sufficienti partium enumeratione, & ex rationibus circa eas productis, repugnare, vt vnus aliquis actus sit bonus simul & malus, seù partim bonus & partim malus moraliter, bonitate, & malitia imputabilibus operanti ratione ipsius, idque apparebit clariùs ex applicatione doctrinæ datæ ad exempla, quæ tanguntur in obiectionibus.

Ad 1. Falsò supponitur, vt liquet ex dictis suprà, obiectum actus interni voluntatis distingui posse adæquatè à fine mouente ad illum positiue, seu motione directè libera voluntati quatenus elicienti eum actum. Quarè actus, cuius obiectum adæquatum est bonum, eo ipso habet finem positiuè mouentem adæquatè bonum, & procedit ex bona intentione experte omnis malitiæ; ac proindè fieri non potest, vt volitio eleemosynæ sit bona ex obiecto suo, simulque sit electio formalis procedens ex intentione gloriæ vanæ; quia eo ipso vellet eleemosynam, quatenus conducentem ad gloriam vanam; quæ conducentia est obiectum motiuum turpe. simili ratione, eaque clariùs apparente, formalis electio mendacij cogniti vt turpis, sicut est re ipsa, nequit procedere ab actu charitatis, nec formalis electio furti ex intentione bona eleemosynæ; quia omnis intentio bona est intrinsecè restricta ad sola media honestè exequibilia, ideòque occurrente medio non exequibili honestè, necesse est, vel ipsum prætermitti, vel mutari priorem intentionem, & succedere intentionem aliam volentem consequi finem, siuè honestè, siuè inhonestè: quo pacto variatur manifestè obiectum intentionis, atque ipsa intentio redditur mala tantùm.

Ad 2. Actus internus voluntatis per se ipsum intrinsecè est determinatio eius ad finem ob

quem existit de facto, siuè actus sit intentio ipsa finis, siuè sit formalis electio medij ad illum, vt dictum est suprà: at actio exterior est indifferens ex se ad finem, ob quem de facto existit, vt est inconfesso apud omnes. Nempe per actus internos immediatè, & formaliter; per actiones externas, non nisi mediatè, & denominatiuè determinatur operans ad finem, & ad conducentia respectu finis, formaliter vt conducentia. Nulla igitur est paritas ex indifferentia actionis externæ de se bonæ, vt fiat ob malum finem, atque imperetur intentione mala, & propterea euadat omninò mala, ad indifferentiam actus interni intrinsecè boni, vt fiat ex malo fine positiuè mouente, & imperetur formaliter per actum malum, atque indè participet aliquam rationem peculiaris malitiæ coniungibilis cum propria bonitate. Idem dicitur proportionaliter de circumstantijs quibuslibet, & de indifferentia actionis ad illas, atque negatione indifferentiæ.

Art. 1. Ad 3. Si gloria vana, pœnæ inferni, & bona temporalia moueant purè negatiuè, & solùm tanquam remouens prohibens, vt sæpè vsu venit, ad confessionem, & communionem, ad dilectionem Dei, & ad baptismum; nihil nocet puræ bonitati, & perfectioni specificæ actuum subsequentium, tametsi futurum fuisset, vt hi actus non elicerentur de facto, si non præextitisset talis motio. Quia videlicet per actus subsequentes, neque ex parte, neque ex toto, neque implicitè, neque explicitè afficitur liberè voluntas ad talia motiua, vt dictum est suprà.

Art. 2. Verùm fieri præterea potest, vt quis præhabita intentione etiam liberà, & efficaci, ideòque peccaminosa, volente confessionem, & communionem positiuè, ac formaliter propter inanem gloriam, incipiat deindè recogitare annos suos, memorari nouissima sua, & applicare animum ad alia quoque motiua spiritualia, vt

que

que his motiuis impulsus concipiat verum, ac legitimum dolorem de omnibus peccatis suis, ideòque & de illo ipso peccato malæ intentionis præhabitæ; atque in hoc etiam casu actus subsequens contritionis, seù attritionis erit purè bonus, & expers omnis malitiæ specialiter imputabilis ratione eiusdem actus; quia videlicet actus subsequens, nihil obsequitur priori intentioni, quinimmò ab ea, & ab eius motiuo omninò recedit, eidemque contradicit ac proindè est electio purè materialis cōparatione ad priorem illam intentionem. Idem dicitur proportionaliter de dilectione Dei, & de susceptione baptismi, ducentibus similiter originem ex metu pœnarum, & amore bonorum temporalium, tanquam ex occasione remotā, & per accidens, benè, ac perfectè subinde operandi.

Art. 3. Demum si gloria vana, metus pænarū, & bona temporalia moueant positiuè, & motione libera operanti, ad confessionem, actum dilectionis Dei, & baptismum, & insuper actus, quibus hæc executioni mandantur, sint electiones formales relatè ad eos fines: confessio erit sacrilega, & ficta susceptio baptismi, seù potius conuersio ad fidem, & dilectio Dei erit imperfecta, atque distincta specie ab actu charitatis propriè tali, vti specialiter docet de eiusmodi conuersione ad fidem D. August. c. 17. de catechizandis rudibus; vbi intelligendus procul dubio est in sensu à nobis hìc explicato. Ratio omnium communis est. Quia in hoc casu actus subsequentes sunt electiones formales respectu finium, aut malorum, aut imperfectorum, ideòque sunt solùm mali, vel solùm imperfecti, & non mixtæ bonitatis, ac malitiæ, seu imperfectionis mutantis speciem, vt patet ex suprà dictis. In nullo igitur casu datur compositio bonitatis, & malitiæ, perfectionis, & imperfectionis peculiarium in vllo actu, circa fines, & media proposita; idemque dicitur de similibus.

Art. 1. Ad 4. Si quis falsò credat ex. gr. debe-

re se mentiri coram iudice ad tuendam vitam innocentis, sed tamen incidat in dubitationem, an hæc sua persuasio sit falsa, & cognoscat se posse, ac debere dubitationem istam deponere acquirendo legitimam sufficientem notitiam veritatis, antè opportunitatem dicendi coram iudice (quibus duabus cognitionibus ignorantia constituitur formaliter in ratione vincibilis) procul dubio peccat, si negligat inquirere veritatem, aut concipiat propositum non inquirēdi ante dictam opportunitatem. Et rursus peccat de nouo, si durante vincibilitate ignorantiæ pergat sponte sua ad deponendum coram iudice. Peccat verò de nouo, siuè faciat depositionem falsam, siuè faciat veram; Si veram, quia adhuc iudicat se debere mentiri; si falsam, quia iudicat se debere inquirere ante depositionem de veritate prioris eius persuasionis, nec licere interim sibi, vt confidat tali persuasioni, eamque deducat in opus. Neutrò porrò dictamine potest se tueri in casu posito aduersus obligationem, quam imponit alterum dictamen: quia inquirēdo veritatem, adhuc sibi peruiam si velit, facere potest, vt neutri dictamini repugnet. Vnde voluntas nimium festina deponendi in iudicio, neque hinc, neque indè sufficientem habet excusationem. Neutra igitur ex parte bonitatem vllam habere potest, sed puram malitiam.

Art. 2. At postquam ignorantia reddita est inuincibilis, seù non proximè vincibilis, quia iam adest iudex, & vrget legitimè interrogādo, nec vllus alius ampliùs superest locus tergiuersandi, aut inquirendi veritatem, sed necesse omninò est iuxta præsentem testis interrogati existimationem, vel mentiri rotundè, vel perdere innocentem, qui videlicet æquè perditur quauis interposita mora, aut tergiuersatione. Postquam, inquam, ventum est in has angustias, licet testi, vt conformetur dictamini conscientiæ suæ tametsi errantis, vtque mentiatur, nec vlla accrescet de nouo malitia seorsim imputabilis

ex voluntate mentiendi, sed hæc voluntas erit tantùm bona, & omissio eiusdem voluntatis tantùm mala. Quia nimirum ignorantia, quæ priùs fuit vincibilis, potuitque depelli ante opus mētiendi, non est ampliùs vincibilis, nec poteſt vllo pacto hic & nunc depelli ante mendacium, vel perditionem innocentis, ideòque dictamen conscientiæ priùs errantis vincibiliter est iam eiusdem prorsus conditionis hic & nunc cum dictamine conscientiæ antè, & post errantis inuincibiliter.

Art. 3. Quapropter sicut dictamen conscientiæ antè, & priùs errantis inuincibiliter, excusat ab omni omninò peccato, & priùs, & posteà. Ità dictamen conscientiæ vincibiliter errantis pro tempore antecedenti, ideòque non excusās absolutè à peccato antecedentem voluntatem ignorandi, seu non depellendi ignorantiam, excusat nihilominùs à nouo peccato, omnique noua malitia seorsim imputabili voluntatē mentiendi, ex quo non est ampliùs vincibilis error ac proindè electio mendacij hic & nunc euadit tantùm bona, nec potest dici mala, nisi mediatè, ac remotè per denominationem prouenientem à præcedenti voluntate ignorandi, quæ fuit peccaminosa immediatè ratione sui. Imò potest testis in eiusmodi angustijs constitutus, in sensu composito sui erroris iam inuincibilis pænitere legitimè de priori peccaminosa negligentia indagandi veritatem, & concipere veram Dei dilectionem super omnia, atque iustificari, ac demum cum hac bona animi dispositione procedere ad opus mendacij, quod iudicat honestum, nec iam potest iudicare inhonestum. Quæ omnia consonant tum doctrinæ D. Thomæ de hac materia, si obseruetur attentè, in q 19. art. 6. tum ijs, quæ tradita sunt à nobis supra q. 24. Igitur ex dictamine conscientiæ errantis in nullo casu prodire potest actus bonus, & malus simul, bonitate, & malitia specialiter ac seorsim imputabili ratione eiusdem actus.

Ad 5. Idem motiuum potest mouere intellectum ad assensum veri, & falsi, vt auctoritas hominis dicentis, Petrum, & Paulum currere, altero currente, & altero non currente reipsa. At non potest idem motiuum mouere volũtatem ad prosecutionem honesti, qua honestum est, & inhonesti cogniti vt talis; quia inhonestum cognitum vt tale, eo ipso cognoscitur saltem æquiualenter, vt displicens Deo, idest, vt repugnans motiuo volentis honestè, quia honestum est; cùm honestum constituatur formaliter per cõceptum placentis Deo; quæ patent quoad vtramque partem ex dictis suprà q. 20. Nulla igitur est consequentia ex actu vero, & falso simul, ad actum bonum simul & malum relate ad diuersa obiecta. Similiter duæ cognitiones possunt coniungere cum eodẽ tertio duos terminos inuicẽ congruentes, simulq; repugnantes eidem tertio; quorum proindè coniunctio mutua inferenda in conclusione sit vera, licet coniunctiones eorundem cum tertio, idest, præmissæ fuerint falsæ. At intentio mala, idest, contemptiua voluntatis Diuinæ nequit inducere electionem bonam, idest, appretiatiuam eiusdem Diuinæ voluntatis; quia nulla causa inducit effectum contradicentem sibi. Quare hìc etiam deficit ratio consequentiæ.

QVÆ-

QVÆSTIO XXIX.

Vtrùm malitia moralis consistat in sola priuatione rectitudinis debitæ?

VIDETVR non consistere in tali priuatione. 1. Quia fieri potest, vt quis eliciat actum malum, quando non tenetur ad eliciendum vllum actum bonum: vt si quis eliciat actum odij Dei, quando non tenetur ad dilectionem Dei. Ergò dari potest actus malus, qui non priuet vlla rectitudine debita.

2. Deterius est odisse Deum, quàm carere dilectione Dei etiam debita. Ergo ille excessus malitiæ non consistit in sola priuatione rectitudinis debitæ. Eadem autem est ratio proportionaliter de malitia, & de maiori malitia. Similiter est maius malum, odisse Deum intensè, quàm odisse remissè; & tamen omne odium priuat totaliter dilectione Dei.

3. Vnicuique virtuti morali opponuntur duo vitia specie distincta in genere moris, ideòque habentia malitias distinctas, & inæquales inter se. Non autem forent talia, si ratio vitij, & malitiæ consisteret adæquatè in sola priuatione rectitudinis. Quia vtraque vitia extrema priuant vna eadem rectitudine virtutis vtriusque interiacentis; atque priuationes non multiplicantur specie, nec sunt inæquales inter se, nisi iuxta multiplicitatem specificam, & inæqualitatem eorum, quibus priuant.

4. Ex vitijs extremè oppositis eidem virtuti, vt liberalitati, alterum peccat per excessum, vt prodigalitas, alterum per defectum, vt auaritia.

Quod autem per excessum, si quidem opponitur ei, quod per defectum; atque vna priuatio non opponitur alteri priuationi eiusdem rei; necesse est, vt consistat in positiuo, si quod per defectum consistat in priuatione, vel certè è conuerso.

5. Peccata ex D. Thoma quæst. 72. ar. 6. alijsque communiter alia sunt commissionis, & alia omissionis. Alia namque opponuntur priori, alia posteriori principio vniuersali totius iustitiæ, traditis ps. 36 27. *Declina à malo, & fac bonum.* Omnia autem peccata essent omissionis, si omnium malitia moralis consisteret in sola priuatione rectitudinis debitæ: hoc enim perindè est, atque omnem malitiam consistere in sola omissione rectitudinis debitæ. Vndè redundaret alterum ex duobus illis principijs distinctè traditis in psalmo. Quia, ipsum declinare à malo, formaliter esset facere bonum seù habere rectitudinem debitam; & è conuerso, ipsum facere bonum, formaliter esset declinare à malo, seu non habere priuationem rectitudinis debitæ.

6. Peccatum lethale, & veniale differunt, specie, & tamen non priuant necessariò rectitudine diuersæ speciei: quia furtum leue, & furtum graue priuant rectitudine iustitiæ commutatiuæ, quæ est species infima virtutis. Ergò malitia lethalis, & venialis non consistunt in sola priuatione rectitudinis.

7. Malitia seu ratio formalis peccati non consistit in priuatione realiter distincta ab actu peccaminoso, eundemque vel antecedente, vel subsequente; quia tota malitia moralis consistit formaliter in determinatione libera voluntatis contraria legi Dei, quatenus libera, & quatenus contraria, cum libertas in actu secundo sit de conceptu moralitatis vt sic, vt liquèt ex dictis q. 17. & seqq. & similiter sit de conceptu malitiæ moralis, & peccati, contrarietas cum lege Dei, vt liquet ex quæst. 20. & insuper ex definitione peccati communiter recepta: *Dictum, factum*

concu-

concupitum, contra legem Dei æternam, iuxtà Augustinum. *Cælestium inobedientia præceptorũ*, iuxta Ambrosium. Libera autem determinatio voluntatis primò, ac formaliter constituitur per actũ positiuum, nec potest constitui per puram priuationem, vt apparet ex q. 15. & similiter constituitur adæquatè per eundem actum positiuũ tota ratio conformitatis, & difformitatis ad legem Dei, quatenus imputabilium operanti, vt liquet ex quæst. 26. Nihil igitur antecedens, vel subsequens actum, qui est malus, constituit formaliter malitiam eius; sed neque in priuatione indistincta realiter ab actu, qui est malus, cõsistit formaliter eius malitia; quia nulla priuatio, nullumque non esse potest identificari realiter cum aliquo positiuo, seu cum aliquo esse. Necesse igitur est, vt malitia actus, qui est malus, constituatur per ipsum actum positiuum, quatenus positiuus est.

8. Actio exterior mala auget rationem malitiæ, quæ reperitur in actu imperanti malo seorsim sumpto. Deterius enim est, voluisse occidere, & occidisse de facto, quàm voluisse tantùm; & sic de similibus. Et tamen actio exterior nullam superaddit priuationem specialem rectitudinis debitæ; quia ex suppositione actus interni imperantis mali, seu in sensu composito eius, non debetur actio exterior bona, dum non sit iam possibilis. Similiter actus quilibet malus diutiùs durans, est maius malum, & tamen nulla proptereà superadditur noua priuatio rectitudinis. Ergò non omnis malitia consistis in eiusmodi priuatione.

9. Non consistit in priuatione omne malum physicum. Quia sextus digitus in manu, & quælibet alia superabundantia, aut materiæ in aliqua parte corporis humani, vel statuæ; aut colorum in imagine, aut chordarum in cythara; & sic de similibus, sunt mala, & tamen sunt entia positiua. Eodem modo error, dolor, cibus amarus, & alia huiusmodi sunt mala, nocentque magis

quàm sola carentia cognitionis veræ; delectationis, cibi dulcis, & similium; & tamen sunt entia positiua. Ergo nec omne malum morale consistit in priuatione.

Art. 1. Respondetur. Impossibile est, vt is, cui adest omne bonum sibi debitum, & cuius est proximè capax, patiatur nihilominus aliquod malum; vtq; inferatur alicui nocumentum aliquod quod non tollit, nec minuit cumulum bonorum omnium ipsi possibilium. Quod quidē videtur principium per se notum. Potest tamen ob oculos poni distinctiùs per inductionem cuiuis manifestam in quouis rerum genere. Nec enim est possibile, vt aliquis patiatur malum aliquod paupertatis, ægritudinis, cæcitatis, insipientiæ, &c. cui adsunt omnes diuitiæ, tota salus, perfecta vis videndi, plena sapientia &c. Haud est minùs notum, eum, cui deest bonum aliquod sibi proportionatum, & debitum ratione proportionis, eo ipso pati malum aliquod; atque inferri nocumentum aliquod, cui aufertur aliquod eiusmodi bonum. Quod simili inductione perspici à quouis clarè, & facilè potest; manifestum denique est bonum ex conceptu suo vniuersali esse prædicatum conuertibile cum ente; adeòque esse prædicatum positiuum, vtpote indistinctum, ac inseparabile ab ipso esse, eidemque non modò non detrahens, verum etiā superaddens vim motiuam, ac inductiuam appetitus, & amoris iuxta communem notitiam boni superiùs expositam ex Philosopho. Manifestum igitur est omne malum tum physicum, tum morale consistere formaliter in priuatione boni vnicuique debiti, omnemque talis boni priuationem esse malum quoddam, neque quidquam aliquatenus alicui nocere posse, nisi quatenus eiusmodi priuationem, aut inducere valet, aut habet inseparabiliter adiunctam sibi.

Art. 2. Discursus iste auctorem habet Alexandrum de Ales. 2. p. q. 34. memb. 8. art. 4. prope finem

finem, vbi sic arguit cum Augustino: *Cum natura corrumpitur, ideò malum eius est corruptio: quia eam qualicunque priuat bono; nam si nullo modo priuat, non nocet. nocet autem adimendo bonum.* Hinc idē Augustinus 11. de Ciuit. c. 9. concludit: *mali nulla natura est; sed amissio boni, mali nomen accepit.* & lib. 83. qq. q. 6. *Totum hoc nomen mali*, ait, *de speciei priuatione repertum est*; in qua sententia est admodum frequens, ac locuples in libris de lib. arb. inque alijs omnibus aduersus Manichæos conscriptis, nec non lib. 3. confess. c. 7. & lib. 7. c. 12. & in Enchirid. à c. 12. Sed maximè omnium videndus est lib. 2. de moribus Manich. vbi initio præfatus, de malo morali, seu ad moralem disciplinam pertinenti sermonem sibi esse, ostendit deindè fusè, & efficaciter, omne malum in solo defectu, corruptione, ac priuatione boni consistere. idque demonstrat singillatim iuxta omnes mali definitiones, & acceptiones communiter receptas. Idem docent frequenter alij SS. PP qui videri possunt apud Valentiam tom. 2. disp. 2. q. 13. pun. 5. & disput. 6. q. & punct. 1. & luculentiùs apud Petau. to. 1. dogm. Theol c. præsertim 4. vbi latè & patenter ostendit hanc esse vnanimem veterum Patrum sententiam, nec non Gentilium alicuius momenti. Verùm nemo significantius, & efficaciùs aut docet, aut demonstrat omnem mali rationem in sola boni debiti priuatione sitam esse, quàm Dyonys. c. 4 de Diu. Nom. præsertim 4. par. vbi, inter alia, sic pronunciat de malo morali. *Si malas fieri animas dicimus, in quo fiunt malæ. nisi in bonarum qualitatum, operationumque defectu, atque proueniente ex infirmitate propria priuatione, ac prolapsione fruendi bonis suis? Nam & circumfusum nobis aerem offundi tenebris dicimus defectu, atque absentia lucis. Itaque neque in dæmonibus, neque in nobis est malum, quasi existens, sed, vt defectus, & desertio propriorum bonorum;* Et iterum propè finem capitis. *Non igitur malum est aliquid nec in ijs, quæ sunt malum est. Nusquam enim ma-*

lum est, quatenus malum. Nec, quod malum sit, hoc à potestate proficiscitur, sed imbecillitate. Ac idem paulò pòst: *Atque, vt summatim dicam, malum, quemadmodum sæpè diximus, infirmitas imbecillitas, ac priuatio est, aut scientiæ, quæ latere non potest, aut fidei, aut appetitus, aut actionis boni.* Eandem omnis malitiæ constitutionem formalem adæquatam per priuationem boni debiti docent ex professo Mag. in 2. dist. 34. & 35. & ibidem D. Bonauentura, alijque communiter; sed copiosiùs, & efficaciùs, quàm alij, D. Thomas 1. par. tota q. 48. lib. 3. contra gent. c. 7. 8. & 9. tota q. 1. de malo, & alibi sæpè, vt mirum profectò sit (nequid dicam aliud) P. Vasquez dicere potuisse sententiam Sancti Doctoris in hoc puncto sibi satis ambiguam esse.

Art. 3. Verùm, vt ea qualiscumque occasiuncula ambigendi tollatur è medio, addendum est ex eodem S. Doctore ijsdem in locis, omnem cuiusuis boni priuationem, ideòque omnem malitiã esse indistinctam realiter ab aliquo alio bono. Cuius documenti rationem reddit optimã Alexander memb. illo 8. fine. Quia videlicet omnis causa, atque omne principium intendens ad bonum operatur; atque omnia à malo, quà malum est, refugiunt quantum possunt; adeòque ex amore seu innato, seu elicito alicuius boni, seù honesti, seu delectabilis, seù vtilis, intẽditur, infligitur, ac permittitur, quodcumque malum datur à parte rei. Vnde si aliqua priuatio boni, & malum aliquod esset realiter expers omnis boni, & destitutum esca omnis bonitatis, nullam posset pertrahere causam, aut principium ad positionem sui à parte rei, nec resultare posset ex vllo fundamento.

Art. 9. Certè agens reale, aut vtcumque cognoscitiuum non potest aliquatenus determinari ad impeditionem seù priuationem impeditiuam alicuius boni; nisi allicienti alio bono incompossibili; quia motiuum adæquatum appetitus rationalis, nec non & sensitiui, est bonum,

ideòque non poteſt amplecti malum, ſeu priuationem boni, niſi ratione alterius boni adiuncti. Principium autem irrationale, & quòd nullatenus eſt cognoſcitiuum, accipit impetum, & determinationem ab agente rationali, & cognoſcitiuo, vt dicetur alibi cum D. Thoma ſæpè id docente; & propterea nequit ad id determinari, àd quod non poteſt determinare vllum principium ratione prædìtum, aut ſenſu. Hinc eſt, quòd in natura nulla datur pura corruptio, ſed quæ ſimul ſit generatio reſpectu eiuſdem ſubiecti, vel ſaltem diuerſorum. Ergo nihil eſt, ex quo prouenire aliquo pacto poſſit pura priuatio boni diſtincta realiter ab omni bono.

Art. 5. Accedit, ſi daretur in natura vis illatiua puri mali, ſeu puræ priuationis boni, naturam eatenus fore malè ordinatam. Quia in nullam ſapientem ordinationem cadit, vt velit aliquid ordinatum ad purum malum. Alioquin laudari poſſet directio artificis, non ſolùm, quæ nullum pareret bonum, ſed quæ ſiſteret in termino purè malo. Accedit rurſus, omne quomodocumque proueniens ex aliquo principio, eſſe aliquatenus, etſi diminutè, ac defectuosè, participatiuum eius; cùm nihil indè emanare poſſit, vbi nullatenus ipſum præhabetur. Quapropter ex Deo, qui eſt purum bonum, & in quo nullus eſt defectus bonitatis, nullus purus defectus, ſeù pura priuatio bonitatis procedere immediatè vllo pacto poteſt, lic et procedere poſſit bonum defectuoſum, ſeu bonum particulare priuatum alio bono. Vnde in entitatibus immediatè procedentibus à Deo, defectus quilibet bonitatis eſt ex ſuo conceptu innixus alicui bonitati. vtpote non ponendus, nec poſſibilis poni à parte rei, niſi eſſet coniunctus cum bonitate aliqua. Ex quo vlteriùs infertur, neque ex entitatibus immediatè procedentibus à Deo poſſe reſultare vllum purum defectum, ſeù puram priuationem boni non innixam alicui bonitati, eidemque eſſentialiter conſertam ex conceptu ſuo:

qualis nimirum defectus, & priuatio nulla præintelligitur in illis entitatibus. Eadem autem est ratio, vt patet, de toto deinceps progressu principiorum, seu quasi principiorum, potentiũ quidem specialiter magis, ac magis extenuare, ac obfuscare; nunquam tamen penitùs extinguere, ac delere splendorem & characterem primæ suæ originis.

Art. 5. Itaque sicut eædem res quatenus inductiuæ cognitionis, dicuntur veræ; & quatenus inductiuæ appetitus, dicuntur bonæ; & sicut vnaquæque res dicitur distincta ab alia re, quatenus per se ipsam est exclusiua illius à se (quo exemplo vtitur in hunc eundem scopum D. Th. 1. contra gent. c. 71. n. 4.) ità entitas alicuius in se bonitatis est nihilominùs mala, quatenus est impeditiua, & exclusiua bon debiti, respectu alicuius subiecti, & habet eatenus rationem priuationis eiusdem boni. Dicitur autem absolutè bonum, vel malum vnumquodque bonum ità exclusiuum alterius boni, prout contigerit bonum exclusum præponderare excludenti; vel è contra. Dicitur enim malum, & priuatio id, cui præponderat alterum ex incompossibilibus; extremum verò præponderans dicitur bonum, & positiuum. Hoc modo solet Philosophus nigredinem dicere priuationem albedinis, & frigus priuationem caloris. Quia verò virtus & actus bonus maximè omnium præponderant vitio, & actui vitioso; propterea maximè omnium dicuntur priuationes, & mala, vitium, & actus vitiosus, exemplo Philosophi dicentis, tum in genere 7. Phys. text. 18. *Vitium verò corruptio horum, atque remotio*: Nempè eorum, quæ naturæ consentanea sunt, atque secundum virtutem, tum in particulari de bono, & malo morali 2. Ethic. c. 6. ante med. *Bonum ipsum corrumpunt nimium, & parum*. Nempè extrema vitiosa, quæ proinde corruptiones sunt, & priuationes, atque mala simpliciter.

Art. 7. Ratio maioris huius præponderantiæ

in

in virtute,& actu honesto; suprà vitium, & actū inhonestum, quàm in alijs qualitatibus, & formis suprà alias, est hæc, quasi à posteriori. Quia videlicet qualitates, & formæ aliæ, ità sunt quædam inferiores, quibusdam alijs secundum se consideratis, vt tamen sint vicissim superiores eisdem respectu alicuius saltem aliquandò: calor enim ita præeminet frigori absolutè, & secundum se, vt tamen respectu aquæ frigus præemineat calori; & similiter ipsum frigus ità præeminet per se respectu aquæ, estque proinde optabilius per se, quod illi insit, vt tamen comparatione animalis sit aliquando præeminens, ac optabilius, vt absit frigus aquæ, & adsit calor: idemque cernitur in rebus eiusmodi alijs, capacibus qualitatum, aliarumque formarum inuicem incompossibilium. At actus honestus ita præeminet actui inhonesto secundum se, vt simul præemineat respectu omnium, & quorumlibet semper, & vbique, quia nullius vnquam magis interesse potest, vt detur actus moralis inhonestus, quàm honestus: Alioquin posset honestè appeti ab aliquo saltem aliquando, vt existeret in aliquo actus inhonestus, & peccam. nosus, idest, vt aliquis peccaret: quod patet esse impossibile. Ratio à priori huius impossibilitatis, & asserti discriminis est. Quia de conceptu actus inhonesti est, vt displiceat Deo, vtque eliciatur à quocunq; elicitur, contra voluntatē Diuinam, vtq; sit recessus ab vltimo fine, & summo bono, quod est Deus iuxtà dicta superiùs de regula morū Patet autē cuicumq; hæc sunt intrinseca & essentialia, esse quoq; intrinsecum, & essentiale, vt sit inferius quibusuis alijs incompossibilibus secum, & non includentibus in se talia prædicata, vtque sit ab omnibus, & semper inappetibile prudenter, cùm Diuina voluntas sit mensura bonitatis rerum omnium, vt dictum est qu.25. de Deo, simulque sit regula cæterarum omnium voluntatum, vt liquet ex dictis q.20.

Art.8. Hac de causa actus quo quis liberè, & ele-

electiuè ita adhæret rei creatæ, ac temporali, vt propter ipsam resistat legi Dei, recedat à suo vltimo fine, & summo bono, quod est Deus, ac proindè relinquat, ac negligat ipsū Deū, & incidat in damnationem æternam: actus, inquam, huiusmodi dicendus est absolutè, diciturque verissimè malus, & priuatiuus; atque malum, & priuatio. Quia eo ipso est intrinsecè ineligibilis prudenter, & non præponderat suo contradictorio omnibus pensatis quæ sunt communia tali actui cum puro malo, puraque priuatione, quorum tamen eadem sunt præcipua prædicata. Vsque adeò autem nihil detrahit ineligibilitati, seu odibilitati mali, & vacuitati, seu nihilationi priuationis entitas illa qualiscumque, bonitas physica, vis delectandi, aut inducendi vtilitatem aliquam temporalem, quæ conueniūt actui malo, quatenus est adhæsio affectiua ad bonum creatum, ac temporale prohibitum à Deo; vt potiùs augeatur indidem ratio malitiæ, & vis exclusiua, ac priuatiua boni debiti reddatur efficacior, atque ambæ euadant mirum in modum quasi intensiores; quia propter eam affectiuam delectatricem, & sic ipsa formaliter placentem voluntati adhæsionem ad bonum temporale, redditur difficilior conuersio ad summum bonum, magisque proindè elongatur peccator à rectitudine debita, quàm si aliunde impediretur, quominus rectè amaret, & conuerteretur ad Deum, nempè negata sibi ad id proxima possibilitate ex parte actus primi. Tunc enim impedimentum exclusiuum rectitudinis non afficeret intrinsecè voluntatem, nec eidem communicaret intrinsecè suum effectum formalem; sed solùm impertiretur denominationem extrinsecam carentis rectitudine.

Art. 9. Itaque actus malus ratione suæ actualitatis, & bonitatis physicæ reddit deterioris conditionis adiunctam sibi priuationem rectitudinis, augetque proinde malitiam cōsistentem in eadem priuatione, & facit, vt non solum ipse

non

non præponderet suo contradictorio, sed etiam præponderet quodammodo sibi suum purum contradictorium, &quoduis aliud cuiusuis alterius generis contrarium respectu subiecti, cui inest. Quia non vsque adeò noceret, ac elongaret ab actu bono denominatio extrinseca carentis eo actu aut etiā alia qualitas intrinsecè inhærens, & incompossibilis cum eodem, sed minimè afficiens ad oppositum per adhæsionem deliberatam ad ipsum, & cum delectatione circa ipsum, prout dictum est afficere actum malum. Quia verò, cæteris paribus, eò difficiliùs vnusquisque recedit à proposito semel concepto; quò cum maiori deliberatione, vel intensione illud concepit, fit vt vnusquisque actus malus eò, cæteris paribus, sit deterior. & magis priuatiuus actus boni, magisque elongatiuus ab eodem, quò intensior est, magisque deliberatus. Eadem est ratio de conditionibus obiectiuis tenentibus se ex parte motiui, aut terminatiui inhonesti. Quò enim hoc erit distantius ab obiecto honesto, magisque remotiuum ab eius debita prosecutione, aut dipositione debita ad prosecutionem, eò, cæteris paribus, actus euadet dererior, quia eo magis priuabit rectitudine debita; magisque elongabit ab eadem.

Art.10. Ob hæc igitur omnia, dicendum est, malitiam moralem consistere formaliter in sola priuatione rectitudinis debitæ indistincta realiter ab entitate positiua actus liberi mali, aut incompossibilis intrinsecè cum actu bono, quī deberet elici hìc & nunc; Ità nimirum, vt entitas seù actualita, spiritualitas, vitalitas, affectio, libertas, electio, delectatio & cætera prædicata positiua actus mali, quæ sunt ipsi communia cum actu bono, aut cum actu non malo, & expertè libertatis, solùm materialiter, & intrinsecè pertineant ad conceptum malitiæ, & peccati; qua de causa talia prædicata communiter materiale peccati, eiusque substratum: Priuatio verò rectitudinis, auersio à Deo, recessus ob vltimo fine, oppo-

oppoſitio cum lege Dei, difformitas reſpectu regulæ rationis, & ſi quæ ſunt alia prædicata negatiua his æquiualentia, per quæ actus, qui est malus, & peccaminoſus, differt ab omni actu, tum bono moraliter, tum experte moralitatis, pertineat formaliter, ac reduplicatiuè ad eundem cõceptum malitiæ, & peccati; qua de cauſa eiuſmodi prædicata dicuntur communiter formale peccati, eiuſque abſtractum.

Art. II. Iſta malitiæ moralis expoſitione excluduntur quinque opiniones circa conſtitutionẽ eius formalẽ. Quarũ prima auctore P. Antonio Perez in M.S. cõſtituit adæquatè malitiã moralem per liberam determinationem voluntatis purè negatiuam, ſeù priuatiuam, priorem prioritate naturæ omni actu poſitiuo, & eſſentialiter connexam cum exiſtentiâ actus poſitiui mali pro poſteriori naturæ. Contra quam ſententiam pugnat inſuper tota doctrina tradita q. 15. aduerſus puram omiſſionem liberam, quatenus eiuſmodi libera determinatio purè negatiua ſecundum ſe eſt pura omiſſio libera, & ſubiacet omnibus difficultatibus, quibus ſubeſt pura omiſſio libera, ad quam nullus deindè ſubſequitur actus pro poſteriori naturæ, vt apparebit facilè conſideranti quæ dicta ſunt in illa quæſtione. Secunda opinio, quæ eſt aliquorum Thomiſtarum apud Vaſquez, & alios, conſtituit eandem malitiam per priuationem reſultantem neceſſariò ex actu, qui eſt malus, pro poſteriori naturæ ad ipſum. Contra quam ſententiam pugnat inſuper doctrina tradita tota q. 17. & 18. de conſtitutione moralitatis, & imputabilitatis includente in ſuo conceptu libertatẽ. Indè enim patet repugnare malitiam immediatè moralem, ac imputabilem alicui, eſſe nihilominus mediatè tantum liberam. Præterea vtrique huic opinioni contradicit D. Thom. in præſenti qu. 18. art. 5. præſertim ad 2. dicens, bonum, & malum eſſe differentias ſpecificas actuum humanorum, ideòque indiſtinctas ab ipſis. Quod ipſum

sum confirmatum est à nobis supra q. 26.

Art. 12. Tertia opinio Granados, & paucorum est, malitiam cuiusq; actus mali sitam esse formaliter in priuatione rectitudinis debitæ inesse eidem actui secundum rationem genericam ipsius secundum quam est præcisiuè capax rectitudinis, licet secundum rationem specificam sit essentialiter obliquus ac malus. Qui est modus opinandi omnium leuissimus, cum manifestum sit nemini posse imputari ad culpam, quod non præstiterit aliquid impossibile, & chymericum, quale est, rationem genericam identificatam de facto cum vna differentia specifica identificasse cum differentia specifica opposita. Tota igitur culpa, totumque malum morale immediatè, & propriè tale consistit in priuatione rectitudinis debitæ inesse operanti; in eo videlicet, quod non excluserit à se totum actum, qui est malus, eliciendo actum bonum oppositum.

Art. 13. Quarta Vasquez, & aliorum opinio est, malitiam moralem consistere in respectu rationis, seu in denominatione oppositionis ad legem Dei, vel ad dictamen conscientiæ partim intrinseca, & partim extrinsecà actui, qui est malus. Cui doctrinæ specialiter contradicunt omnia, quæ superiùs dicta sunt de libertate, de moralitate, de bonitate, & malitia adæquatè intrinseca actibus liberis, moralibus, bonis, & malis. Quinta aliquorum modernorum opinio est, solam malitiam puræ omissionis peccaminosæ, consistere in priuatione; reliquam verò omnē malitiam moralem non solùm esse indistinctam realiter ab actibus positiuis malis, quod est verum iuxtà dicta suprà, sed etiam esse secundum se formaliter, prædicatum positiuum non minùs, aut aliter, quàm bonitatem, nisi quod nonnulli eorum addunt, malitiam esse nihilominus moraliter, seù æquiualenter priuationem, & nihil, cuius sententiæ prior pars iam antè seorsim reiecta est quoad suppositionem puræ omissionis; posterioris verò partis falsitatem ostendunt

dire-

directè, ac præcipuè omnia, quæ dicta sunt in hac quæstione.

Ad 1. Qui elicuit actum malum, tenebatur eum vitare, vt per se patet, vitare autem nō poterat, nisi eliciendo actum bonum; cùm sit impossibilis tum pura omissio libera, tum actus indifferens in indiuiduo, vt dictum est suprà. Tenebatur igitur elicere actum bonum. Ergò quicumque malè agit, caret actu bono, quo debebat non carere, ideòque est priuatus rectitudine debita, seu cuius sibi adiungendæ debitor erat.

Ad 2. Odium Dei magis elongat ab amore Dei, ideòque magis eo priuat, quàm alij actus peccaminosi oppositi virtutibus moralibus. Deterius enim dispositus est ad amorem, qui odit, quàm qui aliter offendit: sicut materia prima remouetur magis à forma ignis per formam aquæ, quàm per formam ligni. Licet enim priuatio & nō esse rei logicè, ac enūciabiliter, seu quoad verificationem propositionis negatiuæ, consistat in indiuisibili; obiectiuè tamen, ac physicè, & quoad vim impeditiuam existentiæ rei, quæ negatur, est capax augmenti, & diminutionis, secundum qualitatem entitatis, cum qua identificatur ipsa negatio obiectiua, & in qua fundatur negatio logica, ac denominatiua, vt liquet ex dictis suprà art. 8. & 9. Vndè etiam apparet odium intensum magis priuare amore, quàm odium remissum. Quia esto vtrumque priuet toto amore, & totaliter totalitate ipsius amoris, non tamen vtrumque priuat totaliter totalitate remotionis ab amore, sed intensum magis, & remissum minùs, vt exponit optimè in genere D. Thomas 1. p. q. illa 48. art. 4. & specialiter de malo morali, in præsenti q. 73. art. 2. & 3. Eodem pertinet, quod docet Philosophus 10. Metaph. text. 13. contraria, vt album, & nigrum, magis distare inter se, quàm contradictoria, vt album, & non album; nigrum, & non nigrum: quia videlicet contrarium addit supra purum

contradictorium,& difficilius pellitur, ideòque elongat magis ab altero contrario.

Ad 3. Singulæ virtutes morales perficiunt peculiarem aliquam inclinationem naturæ humanæ, vt docet. Sanctus Thomas 2. 2. qu. 108. art. 2. ex Philosopho 2. Ethic. sub initium; sed aliquæ virtutes id præstant promouendo eam inclinationem, eique superaddendo, vt fortitudo, & liberalitas, aliæ verò reprimendo inclinationem, eique detrahendo, vt castitas, & mansuetudo. Ex vitijs oppositis virtuti promouenti inclinationem naturalem, deterius est defectuosum extremum quàm superabundans, vt auaritia, quàm prodigalitas; & timiditas, quàm audacia. Quia nimirum remouet magis à virtute, cui opponitur, magisque reddit indispositum ad illam. E contra ob eandem rationem ex vitijs oppositis virtuti reprimenti inclinationem naturalem, extremum superabundans est deterius, quàm defectuosum: vt iracundia quàm nimius defectus iræ; & luxuria, quam insensibilitas. Licet enim vtrumque extremorum priuet eadem virtute, eaque tota; alterum tamen priuat magis illa, quam alterum. Quia verò hæc inæqualis vis priuandi prouenit in vnoquoque vitio, ex motiuo eius peculiari; atque ex motiuo desumitur species actus, vt suprà dictum est; fit vt indidem euadant diuersæ speciei vitia opposita eidem virtuti, vndè sunt inæqualiter priuatiua ipsius. Haud aliter homicidium, infamatio, & furtum dissident inter se specie, & sunt inæqualia peccata. Nempè quia licet priuent eadem rectitudine iustitiæ, inæqualiter tamen ab ea, & ab eius fine, qui est pax, & tranquillitas mutua, distant, ac remouent, propter diuersitatē moralem obiectorum, ad quæ feruntur. Negatur itaque priuationes specificari solum ex rebus negatis; cùm & ex modò illas excludendi, atq; ex conditione entitatis positiuæ cui identicè cohærent; specificam diuersitatem sortiantur.

Ad

Ad 4. Vitia opposita eidem virtuti opponuntur simul inter se ratione motiuorum inuicem incompossibilium, magis etiam quàm cum motiuo virtutis, & indidem resultat oppositio mutua priuationum virtutis, quæ insunt ijsdem vitijs propter identitatem realem vitiositatum, seu priuationum virtutis cum entitatibus, & prædicatis positiuis extremorum, quæ vitiosa sunt: huiusmodi namque priuationes licet sint alicuius eiusdem rei, possunt inter se opponi: quia simul opponuntur modo explicato entitatibus alijs indistinctis realiter ab vnaquaque priuatione ad eum ferè modum, quo opponuntur tepido frigidum & calidum.

Art. 1. Ad 5. Omnia vtilia, & delectabilia creata fecit Deus propter hominē, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 3. 23 *Omnia vestra sunt:* Quod enim alicuius est, propter ipsum est. Vndè nullas aut vtilitates, aut delectationes prohibet Deus homini, quà, & quia vtilitates, & delectationes sunt, sed solùm prohibet paruas quasdā vtilitates, & delectationes, & prohibendo reddit prauas, præcisè quatenus sunt impeditiuæ aliarum maiorum vtilitatum, & delectationum decētium hominem quà homo est, & congruentium vltimo ipsius fini, qui est fons summæ ac plenæ tū vtilitatis, tum delectationis. Non igitur satisfacit intentioni voluntatique Diuinæ prohibenti peccata, idest, eas vtilitates, & delectationes, quarum prosecutione peccatur: Non, inquā, satisfacit huic voluntati Diuinæ, qui non ita vitat eas vtilitates, & delectationès, vt simul prosequatur honestum; ideòque fieri non potest, vt quis liberè declinet ab omni malo, aut vt liberè, ac moraliter eliciat actum aliquem expertem omnis malitiæ, quin eo ipso eliciat actum aliquem bonum, idest, quin eo ipso faciat bonitatem.

Art. 2. Quapropter credendum minimè est, gίorem illam partem legis vniuersalis. *Declina*

à ma-

à malo; nullam è nobis exigere positiuam bonitatis, & iustitiæ partem; sed quòd exigat tantum, vt minimùm, bonitatis, & iustitiæ, quantum sufficit ad vitanda peccata, cùm altera pars: *fac bonum*, exigat maiorem sanctitatis cumulum, quàm, qui est præcisè necessarius ad vitationem peccatorum. Prius proindè documentum expletur initio sufficienter, timore pœnæ, posterius deindè spe præmij; & vtrumque postremò cumulatiùs dilectione Dei. Omne itaque peccatum, siuè sit omissionis, siuè commissionis; priuat rectitudine aliqua, quam deberet in se habere qui peccat; nisi quòd peccatum omissionis priuat rectitudine, ad quam tenemur cum maiori aliqua determinatione, peccatum verò commissionis priuat rectitudine aliqua vagè, magisque indifferenter debita cum maiori latitudine ac indifferentia legis, vt insinuatum iterum fuit q. 15. ad 3.

Ad 6. Peccatū lethale, & veniale, non necessariò, & vniuersaliter differunt specie, vt docet D. Thom. q. 72. art. 5. ideòque fieri potest, vt vtrumque priuet rectitudine eiusdem infimæ speciei. Sed peccatum lethale remouet ab ea multò magis, quam veniale, quia remouet simul, atque auertit simpliciter, & absolutè ab vltimo fine. Vndè, quantum est de se, reddit hominem irreparabiliter malum: sicut redditur impersuasibilis, qui errat circa prima speculationis principia, quibus æquiparatur, quoad operabilia vltimus finis ex. 7. Ethic. c, 8. At peccatum veniale non continet in se tantam remotionem à rectitudine debita hic & nunc; quia solùm deordinat circa media, retento ordine circa vltimum finem vi cuius reuocari potest à lapsu; sicut, qui errat intellectualiter saluatis primis principijs, potest per ipsa errorem deponere.

Ad 7. Benè habent, & rectè concludunt, quæ ibi dicuntur omnia, præter id, quod postrèmò subiungitur de repugnantia identitatis inter

esse

esse, & non esse; positiuum,& priuatiuum, quam repugnantiam non subsistere, eamque identitatem subsistere, ostensum est supra ab art. 3. & docet semel atque iterum D. Thom. locis superiùs indicatis, maximè verò qu. 1. de malo art. 1. supponiturque ab omnibus in communi diuisione tum viuentis in insensibile,& sensibile, tum animalis in rationale,& irrationale. Nempe differentiæ negatiuæ vtrobique sunt simul differentiæ specificæ, ideòque indiuisim, ac indistinctè includunt in se positiuum,& negatiuum. Dicatur igitur nullum quidem esse, nullumque positiuum posse esse indistinctum realiter à suo non esse, & à priuatione sui, benè tamen à non esse, & à priuatione alterius particularis esse, alteriusq; positiui. In hoc enim nullũ est absurdum, sed magis in opposito. Nullum namque purum non esse datur extra intellectum, vt dictum est suprà,& quatenus est in intellectu, seù quatenus intellectum est, est rursus aliquod bonum,& aliquod positiuum, vt aduertit optimè D. Thom. art. illo 1. ad 20.

Ad 8. Dictum est suprà libertatem esse de conceptu moralitatis, & imputabilitatis. Vndè vbi nulla superadditur specialis libertas nulla superadditur moralitas nullaque proindè, aut bonitas, aut malitia seorsim, ac specialiter imputabilis. Nulla autem libertas immediatè, ac seorsim exercetur in actione exteriori secundum se præcisè considerata. Nulla igitur accrescit, aut tollitur, seu bonitas, seù malitia seorsim, ac specialiter imputabilis, & meritoria, aut demeritoria, ex eo præcisè, quòd adsit, vel desit actio exterior, aut euentus aliquis ex eadem actione dependens secundum se tantùm, nullaque facta variatione directè, vel indirectè in actibus internis voluntatis immediatè liberis. vt docet D. Thom. q. 20. art. 4. & 5. & exponetur diligentiùs infrà. q. 38. Quare occidisse est deterius physicè, quàm voluisse tantùm occidere, non tamen moraliter, ac imputabiliter, si

cæte-

cætera sint omninò paria. Alia longè ratio est de actu interno malo diutiùs durante. Quia eo ipso diutiùs durat priuatio rectitudinis debitæ, idque cum nouo exercitio libertatis, quoad nouam durationem eiusdem priuationis, ideòque crescit malum morale formaliter vt tale.

Ad 9. Sextus digitus in manu, & quæuis alia in alijs partibus redũdantia materiæ, ideò præcisè nocet, & est mala; quia priuat operatione, aut perfectione operationis, quæ est connaturalis vnicuique parti corporis humani; sicuti paries interpositus luminoso, & illuminabili, ideò præcise huic nocet, quia priuat lumine. Perfectio statuæ, & imaginis consistit in vi excitandi cognitionem, & memoriam sui prototypi, ob quam nimirum fiunt; & hac operatione priuari possunt, tam per redundantiam, quàm per defectum materiæ & colorum; vndè totum vtrarumque malum consistit in priuatione eius operationis: atque hac ratione fieri potest, vt quod erat defectus in homine, sit perfectio in statua, & imagine, vt, quòd vna manus sit maior altera, aut desit alter oculus, si ita erat in homine. Idem dicitur de chordis in cythara; quarum scilicet ea quantitas, & numerus laudantur, quæ iuuant, & non impediunt perfectionem soni; quæ verò eadem priuant, eatenus præcisè sunt mala. Error, dolor, & cibus amarus, ideò deteriores sunt, quàm pura carentia contrariorum bonorum prouenicns ab extrinseco; quia cum contineant in se priuationem istorum bonorum, dum vniuntur physicè subiecto, communicant eidem intrinsecè dictam priuationem; quod pertinet ad maiorem remotionem à bono connaturali iuxtà dicta suprà. Cum igitur hoc ipsum vniuersaliter appareat eodem proportionaliter modò in quauis entitate positiua, nocente physicè alij entitati, patet omne malum physicum consistere formaliter in sola priuatione adiacente entitati positiuæ, quæ nocet, adeòq; magis hinc confirmari, quàm labefactari con-

stitutionem formalem malitiæ moralis per solam privationem.

QVAESTIO XXX.

Vtrùm opera nostra bona & mala sint meritoria, & demeritoria apud Deum?

VIDETVR non esse. 1. Quia qui sibi arat, & occat, aut suas segetes comburit, sibique aut acquirit, aut nocet, atque de re sua disponit vt libet absque vllo ad aliquem alium respectu, nihil apud quemquam alium meretur, aut demeretur. Homo autem est Dominus suorum actuum, sibique prodest, ac nocet, dum benè aut malè operatur: quia perficitur per bonos actus, & deterioratur per malos, atque ex illis gaudij, ex his mœroris materiam sibi comparat. Neque cuiusquam alterius quidquam interest, saltem vt plurimùm, quo quisque pacto se gerat. Ergò homo nullam ab vllo alio retributionem, aut punitionem meretur saltem vt plurimùm.

2. De conceptu meriti, ac demeriti est, vt ei aliquatenus prosit, ac noceat, à quo facienda est retributio; nulla namque est compensatio inutilium, nullaque pœna nihil nocentium. Homo autem nihil prodesse Deo, aut nocere potest, vt patet ex illo Iob. 35. 6 *Si peccaueris, quid ei nocebis? & rursùs. Si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet* Ergò nihil apud Deum mereri, aut demereri potest homo.

3. Nemo apud eum meretur aut demeretur, de quo nihil cogitat, dum operatur; ideòque nul-

nullum ei vel obsequium præstat, vel iniuriam infert formaliter. Multa autem opera facit homo tum bona, tum mala, nihil cogitans actualiter de Deo. Ergò non omnia opera hominis bona, & mala sunt meritoria, & demeritoria apud Deum.

4. Nihil quisquàm mereri potest apud aliquem præcisè, quia vel accepit aliquid ab eo, vel præstitit quod debebat. Nam qui dedit, factus est potiùs creditor accipientis, & is tenetur, vt minimùm, ad gratificandum. Qui verò accepit rem sibi debitam, idest, suam, nullum indè grauamen subire potest. Alioquin fieri posset, vt quis redderetur creditor sola debiti solutione, atque ex quouis debito suboriretur irrequieta; ac infinita debitorum, ac creditorum vicissitudo, gignente nouũ debitũ qualibet solutione solutionis. Omnia autẽ opera nostra bona sunt dona Dei, vt dicit Concil. Trident. sess. 6. c. 16. & Colligitur ex 1. ad Corinth. 4. 7. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis.* Vbi non minus opportunè, quin imò efficaciùs quodammodo, & iustiùs exprobraretur. *Quid postulas solutionem, aut compensationem, quasi non acceperis?* Eodem pertinet, quod dicitur 11 ad Rom. 35. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Iam quòd debeamus obsequi Deo per omne opus bonum, manifestius est quam vt probare deceat, & liquet ex illo Christi Domini 17. Luc. 10. *Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis: dicite: serui inutiles sumus, quod debuimus facere; fecimus.* Nullam igitur compensationem debet Deus vllis operibus nostris bonis; sed neque opera nostra mala potest vlla imposita pœna vlcisci. Quia qui habet in potestate, vt vitetur aliquod malũ sibi displicens, sibi debet imputare si illud eueniat, nec ea de causa potest aduersus quemquam alium iure irasci, Deùs autem habet in potestate, vt nos præseruet ab omni opere ma-

lo, vtque vitetur omne nostrum peccatum, vt alibi dictum est.

5. Propositis à Deo præmijs, & supplicijs incitarentur homines vehementer, vt exequerentur opera bona, vitarentque mala ex spe lucri, & ex formidine pœnæ, adeòque illaudabiliter, ac inhonestè, & non, vt decet, ex sincera dilectione Dei, atque propter gloriam Diuinam solùm. Non est igitur credibile Deum proposuisse operibus nostris præmia, & supplicia præsertim magna, & permouentia proindè vehementer.

Augetur difficultas. Quia si propositis præmijs, & supplicijs, non operemur nihilominus propter ipsa, sed perindè omninò, atque si proposita non fuissent; propositio eorum redditur inutilis; si verò operemur propter ipsa, secus operaturi, si ea deessent; eadem propositio redditur nociua. Quia, quod quis ita operetur, iuxta voluntatem Diuinam, propter præmium, aut supplicium, vt his seclusis nihil illam facturus esset, tendit ad contemptum Diuinæ bonitatis, ac maiestatis, vtpotè nihili faciendæ; si sola secundum se occurreret præsenti animi dispositioni. Hic autem contemptus est summe nociuus respectu hominis, cuius videlicet summum bonum situm est in cultu, & dilectione appretiatiua Dei super omnia. Non igitur allicit Deus homines ad opera bona, aut arcet à malis, per præmia, & supplicia.

Art. 1. Respondetur. Meritum iuxta significationem, quæ iam diu apud Theologos potissimùm inualuit, *est opus exigitiuum recompensationis* seu cui aliqua ab aliquo debetur retributio, ac remuneratio, vt colligitur ex Magist. in 2. dist. 27. & ex D. Thom. q. 114. art. 1. Cor. initio, ac deinceps, atque ex alijs communiter ibidem. Ea exigentia & ratio debiti fundatur respectu hominis qui constituitur debitor, in vtilitate, quæ ipsi redundat ex opere meritorio. Quia

cùm

cùm homo, dum retribuit, ac recompensat, patiatur iacturam aliquam alienando à se bonum, quo fit retributio, & recompensatio; neque fit rationabile, vt quis vel minimam in bonis suis iacturam pati teneatur in fauorem eius, qui non tantundem sibi profuerit; patet hominem teneri non posse ad recompensandum opus inutile respectu sui. At in ordine ad Deum eadem exigentia, & ratio debiti fundatur in eo solùm, quòd ipsi placeat opus meritorium, & cedat in eius honorem, & gloriam, sitque ab eodem ordinatum ad præmium non propter suam operum nostrorum indigentiam, sed propter nostram indigentiam præmij ad bene operandum ratione inferiùs explicanda. Quia cum Deus, non sit capax vllius vtilitatis, simulque sit dominus vniuersorum, solam potest à nobis exigere conformitatem cum sua voluntate, & obsequiosam gloriæ suæ promotionem, vt retribuat nobis bona sua, ad quorum consecutionem vnumquemque præordinauerit per determinata opera bona:

Art. 2. Non agitur in præsenti de merito apud hominem, nec de ratione communi meriti, prout præscindit à Deo, & ab homine; sed de solo merito hominis apud Deum. Quarè vniuersalis expositio meriti vt sic præmissa est methodi, & maioris claritatis gratia, & quia indè facilè patet, quid sit meritum apud Deum, nempè *esse opus exigitiuum compensationis apud Deum*, seù ratione cuius debet Deus operanti compensationem aliquam, retributionem, mercedem, præmium, brauium; quæ omnia, & similia pro eodem vsurpantur in præsenti. Prædicatum istud exigentis compensationem, seu inducentis debitum, continet in se implicitè omnia prædicata propria operis meritorij, quæ à Valentia, & nonnullis alij exprimuntur initio seorsim in definitione. Sed satius visum est supersedere ab eorum expressione, quia extant plures circa illa controuersiæ apud Theologos; atque initia ducenda

sunt quantum fieri potest, ex ijs; quæ apud omnes certa sunt, atque inde decidendæ controuersiæ, vti fiet in decursu. Vnde eiusmodi prædicata exprimentur commodius quæst. 33. ab art. 5.

Art. 3. Certum est ex fide, inesse operibus nostris bonis saltem aliquibus, vim eam exigitiuam compensationis, & præmij apud Deum; ratione cuius exigentiæ constituatur Deus aliquo modo debitor præmij atque mercedis persoluendæ. Quia Eccles. 18. dicitur. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quia est merces operi tuo*. Matth, 5. *Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Idemq. habetur Luc. 6. Apostolus inter alia multa in eandem rem 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque*, ait, *propriam mercedem accipiet*. Et 1. ad Timot. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Idem dogma definitur luculenter ex huiusmodi locis, & sub ijsdem terminis à Conc. Trident. sess. 6. c. 16. & can. 26. & 32. Merces autem (qua voce in istis, & in plurimis alijs SS. scripturarum locis appellatur vita æterna, vt dicit August. Epist. 105. ante med.) atque corona iustitiæ significat compensationem debitã operibus eius, cui retribuuntur; & quod retribuantur à Deo, tanquam à iusto iudice, vt traditur ab Apostolo, idem clarissimè manifestat.

Art. 4 Ratio huius veritatis est; quia Deus omnia dirigit, ac perducit in fines suos modo vnicuique congruente; congruit autem plurimùm substantiæ rationali, ac libertate præditæ, atque indifferenti ad operandum benè, & malè, qualis substantia est homo, vt præueniatur ante opus, præmiorum promissione, & comminatione pœnarum; quibus promouetur ad bonum; & præmunitur aduersus malum; vtque eadẽ vel præmia recipiat, vel pœnas sustineat, postquam benè, vel malè operata est, idest postquam, vel in obsequium Dei, vtque placeret Deo, vtilitates, ac

ac delectationes temporales generosè contempsit, vel Diuinam voluntatem, ac legem propter easdam vtilitates, ac delectationes neglexit. Eadem igitur iustitiæ, ac sapientis prouidentiæ ratione, qua quibusdam corporibus grauitatem, quibusdam alijs leuitatē tribuere tenetur Deus, quarum beneficio in suum vnaquæque corpora dirigantur locum; & debent habita iam grauitate, & leuitate in locis inde congruentibus reponi, iuxtà naturam motus ex vtraque ea qualitate prouenientis, & sic de alijs: eiusmodi debent etiam substantiæ rationales indifferentes ad bonum, & malùm præueniri promissionibus, & cōminationibus, & deindè iuxta naturam, & exigentiam motuum subsequentium, qui sunt electiones bonæ, vel malæ, deputari ad præmia, & supplicia; quæ sunt fines quasi loca, in quibus eæ substantiæ quiescunt.

Art. 5. Accedit, ad eum, qui habet curam communitatis spectare, vt cumulet præmijs eos, qui prosunt communitati, & sunt benè affecti ad bonum commune; vtque vexet supplicijs eos, qui nocent communitati, & sunt male affecti ad bonum commune. Totum autem hoc vniuersum est imprimis communitas quædam subslans curæ, & prouidentiæ Dei; deindè quicunque benè operatur, est eatenus benè affectus ad bonū commune vniuersi, quod est Deus; siquidem eo ipso operatur, vt dictum est suprà, cùm adhæsione ad voluntatem diuinam, & ad suum vltimū finem, qui itidem est Deus; & præterea idem benè operans prodest saltem sibi ipsi, augetque suam bonitatem, ac perfectionem, ac proinde efficit, vt hæc communitas vniuersi habeat vnū ciuem meliorem, ac perfectiorem; idque præstat, absque iactura, & læsione cuiusque alterius; quod negari non potest interesse aliquid ipsius communitatis. cùm bonum partium, & cuiuslibet partis, nulli alij parti nocens, cedat in bonum totius. Neque verò istud cōmunitatis emolumen-

lumentum se habet materialiter, & per accidens respectu effectus, & intentionis, cum qua operatur, quicumque benè operatur. Quia nemo potest benè operari absque adhæsione sui effectus, ac intentionis ad bonum essentialiter commune vt modò supponebatur ex anteà dictis. Demum quicumque malè operatur, eatenus est malè affectus ad bonum commune, & nocet communitati saltem quoad aliquam eius partem, vt patet ex ratione data circa benè operantem; cùm operans malè operanti benè, opponatur è Diametro. Ad Deum igitur spectat, vt rependat præmia, & infligat supplicia, benè, & malè operantibus, atque adhoc vtrumque præstandum tenetur eadem ratione, & lege, quà vniuersaliter tenetur prospicere bono vniuersi eiusque malum vitare, ex suppositione, quòd velit existentiam, & conseruationem eiusdem vniuersi.

Art. 6. Ex his apparet satis, quid dicendum sit circa rationem demeriti. Quia conceptus demeriti, seù (vt Augustinus, & alij olim loquuntur sæpè,) mali meriti, innotescit ex meriti expositione, ob identitatem rationis disciplinæ circa contraria. Quare demeritum est opus exigitiuum punitionis, & pœnarum; seù cui debetur supplicium, apud hominem quidem, ob nocumentum illatum punienti, vel in se, vel in ijs, quibus prospicere tenetur; apud Deum verò, ob irreuerentiam aduersus ipsum, & læsionē boni communis. His itaque de causis opera nostra mala esse demeritoria apud Deum, constat ex rationibus productis circa meritum; vtpotè communibus etiam demerito. Idem docetur in Sacris litteris. Deuter. 25. 2. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus* Ps. 128:4. *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum*; & alibi sæpè. Addo illud præmijs & supplicijs bonorum, & malorum operum commune ex 2. ad Corinth. 5. 18. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore,*

pore, siuè bonum, siue malum. Constat itaque opera nostra bona, & mala, esse meritoria, ac demeritoria apud Deum.

Ad 1, Qui subest voluntati alterius, & est pars alicuius communitatis, debet sibi prodesse, & obesse, prout illi placet, & confert ad bonũ commune; & si quidem ita faciat, est laude dignus, & etiam præmio, si nihil obest aliud; si verò secus faciat, est vituperabilis, ac punibilis, quidquid sit de lucro, & iactura sua peculiari, deque suitate rerum, ac actionum, de quibus disponit. Subest autem homo, quoad omnia sua, voluntati Dei, & quoad eadem omnia est ordinatus ad bonum commune vniuersi, & quoties bene operatur, obsequitur Deo, prospicitque bono communi; contradicit verò vtrique, dum malè operatur, vt dictum est. Ergo meretur, & demeretur apud Deum, quoties benè, & malè operatur, licet apud alios homines, vel etiam apud Angelos sæpè nõ mereatur, nec demereatur, quòd solùm conuincit obiectio.

Ad 2. Deus non tenetur ex re accepta, vt homines, ad retributionem præmiorum; nec punit ob nocumentum sibi illatum, vt faciunt ijdẽ; sed vtrumque præstat ex iustitia legali, ac gubernatrice, prouidente singulis media idonea ad consecutionem suorum finium, & deinde ipsos fines iuxta cuiusque dispositionem, qualia media, & fines sunt, respectu hominum, & Angelorum, promissiones, & minæ; præmia, & supplicia. Vndè respectu Dei major obiectionis est falsa, ideòque nihil concluditur.

Art. 2, Ad 3. Dictum est q. 20. præsertim ad 5, vnicam regulam bonitatis; & malitiæ theologicè sumptæ, seu iuuantis, & nocentis relatè ad vltimum finẽm, esse eundem vltimum finem, & voluntatem diuinam; legem verò humanam, & dedecentiam, aut decentiam respectu naturæ rationalis creatæ secundum se præcisè, esse regulas bonitatis, & malitiæ philosophicè sumptæ,

seu iuuantis, & nocentis solùm relatè ad finem particularem. Quod discrimen colligitur ex D. Thom. q. 71. art. 6. ad 5. Idem autem D. Thom. q. 87 art. 1. tradit, exponitque optimè, & applicat ad rem præsentem vti mox dicetur, atque confirmat efficaciter istud principium vniuersale fundatum in natura rerum, tum naturalium, tum moralium; nempè, vt quod contra aliquid insurgit, ab illo detrimentum patiatur, & eò magis, quò magis insurgit. Qua de causa aquæ calefactæ magis congelantur, vt dicitur 2. Meteor. & homo hominem sibi nocentem naturaliter deprimit, & eò magis, quò magis contra ipsum insurrexerit; & sic de similibus.

Art. 2. Hinc colligitur, operantem malè contra dictamen conscientiæ fundatum in sola præcognitione decentiæ, ac dedecentiæ actionum respectu naturæ rationalis creatæ, puniri remorsu conscientiæ, & alijs incommodis consequentibus inde connaturaliter; & similiter operantem malè cum sola præcognitione legis humanæ, puniri vlteriùs pœnis infligibilibus ab humana potestate: at verò operantem malè cũ præcognitione legis diuinæ, aut diuinæ bonitatis, puniri vlteriùs priuatione vltimi finis æternùm, vel ad tempus, iuxtà qualitatem peccati, alijsque pœnis infligibilibus à sola potentia Dei. Eadem porrò proportionalis ratio est de vi meritoria actus boni eliciti cum præcognitione supremæ regulæ, vel solius alterius regulæ inferioris.

Art. 3. Quia verò Deus cooperatur omnibus causis secundis in omni ipsarum effectu, patet Deum præmiare, & punire omnes actiones bonas, & malas, ac proindè omnes esse meritorias apud ipsum, nisi quòd quasdam præmiat, ac punit solùm tanquam causa vniuersalis, & vniuersalis omnium gubernator, iuxtà mensurã dignitatis, & virium conuenientium inferioribus naturis; alias verò etiam tanquam causa

par-

particularis iuxta mensuram propriæ dignitatis, & virium, prout apparet ex discursu proposito. Verùm ad istam posteriorē classem pertinent omnes veræ operationes humanæ propter notitiam Diuinitatis, ità vndecumque prominentem, vt vix cuiquam aliquando deficere possit sub aliquo prædicato conuertibili cum ipsa; ac proindè sub conceptu æquiualente conceptui explicato ipsius diuinitatis, & veri vltimi finis, vt talis est; dum deliberat de honestate, & inhonestate suæ operationis, deque vltimo eiusdem fine, cuius aliqualem cogitationem dictum est q. 1. semper ac necessariò adesse ante omnem operationem humanam.

Ad 4. Sunt quidem dona Dei, eaque magna, operationes nostræ bonæ; sed habet in eis suas quoque partes liberum arbitrium creatum adiutum gratia Dei, quod est indigum stimulorum præmij, & pœnæ, vt dirigatur ad bonum, & abstineat à malo. Quatenus autem ipsum quoque adlaborat, nec solùm accipit, sed etiam ex se confert aliquid, acquirit sibi ius præmij apud Deum. Quia ad eius prouidentiā spectat, vt vnicuique prouideat de necessarijs, & opportunis ad finem suum, estque necesse ex natura rei, vt quædam sua dona alijs suis donis accumulet, quoties aliter vitari non potest, quominùs priora sua dona perperam, & incongruenter dederit, de quo alibi dictum est fusè. Ob eadem itaque opera nostra bona debemus nos gratias Deo tanquam præcipuo, ac purè liberali eorum auctori; & simul Deus debet nobis præmia tanquam veris, etsi secundarijs auctoribus eorundem, & superantibus contrarias difficultates, atque indigentibus ad superandum spe præmij. Quod ad peccata attinet; potest quidem Deus, sed non tenetur illa impedire; nos & possumus, & tenemur ea vitare; ac proptereà iustè punimur, si non vitemus.

Ad 5. Propositis præmijs, & supplicijs non coguntur homines ad reponendum affectum

suum in faciendo lucro, vt vitando damno, sed relinquuntur liberi ad actus prosecutiuos bonitatis, voluntatisque diuinæ, & reliquæ totius honestatis propter se præcisè, atque isti actus redduntur indè faciliores ob motionem negatiuam, ac indirectam præmij, & supplicij minimè liberam operanti ratione, & modo explicatis q. 28. ab artic. 5. & prætereà qui non assurgunt ad actus vsque adeò perfectos, & generosos continentur sæpè in officio per motionem positiuam ac liberam præmij, ac supplicij, ne omninò corruant in peccata, omnemque honestatem penitùs deserant. Demum præmia, quæ promittit Deus, & supplicia, quæ minatur, talia sunt; vt sit valdè honestum, ac laudabile illa prosequi positiuè propter ipsorum bonitatem, & hæc vitare propter magnitudinē mali imminentis. Quia Deus dat se ipsum, suique possessionem in præmium; atque hæc eadem negat in pœnam peccati. Quæ sanè laudabile, & decorum est, & procurare, & vitare propter se; nec taliter procurari, aut vitari possunt cum contemptu Dei, cuius videlicet bonitas includitur in illis principaliter, de quo dicetur iterum distinctiùs in qq. de Pœnitentia. Manifestum igitur est, vtiliter omnibus, & in omnem euentum proponi præmia, & supplicia, qualia proponit Deus; esto respectu aliquorum minùs perfectorum, insit illis vtilitas aliqua peculiaris, quæ non datur respectu perfectiorum, magisque adultorum in dilectione Dei.

QVÆ-

QVAESTIO XXXI.

Vtrùm contemptus liber, & arduus commodi temporalis sit de conceptu meriti?

VIDETVR nõ esse de conceptu meriti 1. Quia Concil. Trident. sess. 6. c. 16. definit operibus iustorum factis in Deo pro statu huius vitæ; seu pro statu viatoris, nihil deesse; quominùs sint meritoria vitæ æternæ. Deesset autem aliquid, certè deesse posset, si requireretur prætereà arduitas contemnendi commodum tẽporale; quæ videlicet in illis tribus conditionibus expressis à Cõcilio nullatenus cõtinetur.

2. Si Deus rependeret nobis præmia intuitu commodi temporalis liberè ac difficulter contempti, sufficeret, vt conferret tantundem commodi spiritualis in futuro, quantum fuisset commodum temporale, cuius iacturam fecissemus in præsenti ex amore honestatis. Quòd tamen patet esse absurdum dicente Apostolo, *momentaneum, & leue tribulationis æternum gloriæ pondus operari*.

3. Quicũque liberè, & honestè operatur, tametsi id faciat absq; iactura vllius commodi temporalis incompossibilis cum bona operatione, subdit dominio Dei actum bonum, quem potuit illi subtrahere, seu non subijcere: Ideòque dat, aut quasi dat Deo aliquid ipsi placens, aut per se æstimabile. Dari igitur potest dignitas compensationis apud Deum independenter à iactura libera commodi temporalis.

4. Deus

4. Deus potest promittere præmium operanti benè, tametsi nulla adsit difficultas ex incõpossibilitate commodi temporalis cum operatione bona. Ergò ius ad præmium, ideòque ratio meriti, est independens ab hac circumstantia.

5. Difficultas contemnendi commoda temporalia, & adhærendi bonitati, ac voluntati Diuinæ, fundatur in imperfectione operantis. Et quò quisque vitiosior est, & pluribus, ac maioribus peccatis implicatus, eò est maior ea difficultas. E contra verò, quo quisque melior, ac sanctior est, atque maiori præditus charitate eò est minor eadem difficultas, dicente Augustino ser. 9. de ver. Dom. post med. *Omnia sæua & immania, facilia, & propè nulla facit amor*. Absurdum autem est perfectionem merendi, & vim meritoriam operis boni fundari in imperfectione operantis, & quò plus quisque peccauerit, eò esse magis dispositum ad merẽdum, cæteris paribus; atque è conuerso, augmentum iustitiæ, & charitatis valere, cæteris paribus, ad diminutionem meriti; & quod indè consequens est, Christum Dominum, & Beatam Virginem minimum omnium meruisse. Dicendum igitur potiùs est, difficultatem contemnendi commoda temporalia nihil ad meritum conferre: Imò eà penitùs seclusa, maiorem esse aptitudinem merendi, atque opus euadere magis meritorium.

6. Actus boni liberè eliciti absque vlla prorsus difficultate contemnendi commodum aliquod temporale, sunt digni laude, gloria & honore, vt patet in Deo, & Angelis, cæterisque Beatis, quorum opera sunt maximè laudabilia, gloriosa, ac honorabilia: cum tamen nullam pati possint difficultatem in contemnendis commodis temporalibus; quorum videlicet Deus est essentialiter incapax; & Beati non sunt liberi, vt velint alia commoda, quàm quæ Deus vnicuiq; eorum determinauit. Et si quidem ad aliqua

essent

essent liberi, absque vlla difficultate possunt illa contemnere, vtpote non indigentes. Ergò ijdem actus boni liberè eliciti absque vlla difficultate ex iactura commodi temporalis, possunt esse meritorij. Patet consequentia: tum quia laus est præmiū virtutis, vt dicit Philosophus, ideòque dignitas laudis est indistincta à vi meritoria operis, quando operans est capax præmij: tum quia omnes operationes laudabiles hominis viatoris sunt meritoriæ, vt deducitur ex loco indicato Tridentini.

7. Vis impetratoria operum bonorum est separabilis ab arduitate victoriæ difficultatum in contrarium. Ergò etiam vis meritoria. Patet antecedens ex Beatis omnis expertibus difficultatis, & tamen plura Dei dona impetrantibus pro nobis. Patet item consequentia. Quia impetratio est species quædam meriti; &, vt non esset, nulla potest assignari ratio discriminis.

8. Viris sanctis, ac perfectis amatoribus Dei longè difficilius est inhærere commodis temporalibus, quàm illis penitùs renunciare vt adhæreant Deo, vtque propter amorem & gloriam ipsius difficillima quæque perpetiantur, *quoniam: sua vis est dominus*, vt dicitur ps. 99. fine. Et Augustinus lib. de catech. rud. c. 16. fine dicit etiam respectu incipientium, *dulciores esse iustitiæ fructus, quàm iniquitatis; & veriùs atque iucundiùs gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quàm de mala inter delitias*. Ergò saltem viris in sanctitate, & amicitia cum Deo heroicè perfectis nullum præmium rependi potest in compensationem contemptus ardui commodorum temporalium; quandoquidem arduum esse nequit, quod est facillimum, & cuius oppositum est longè difficilius, atque moraliter impossibile; & tamen opera sanctorum hominum sunt maximè meritoria, & eò magis cæteris paribus, quò sanctiores sunt, vt dicetur q. 32. & 34. Ergò contemptus arduus commodi temporalis nihil

facit

facit ad meritum, vel certè non est conuertibilis cum merito in communi.

Confirmatur, quia sæpè euenit, vt viris sanctis ne quidem in mentem veniant commoda temporalia, ideòque nullam circa ea libertatē exerceant, dum exercentur actibus charitatis, alijsque placentibus Deo, ac proinde meritorijs. Confirmatur rursus: quia actus eorundem sæpè sunt duplo, vt minimùm, magis meritorij ex alijs capitibus, quàm quà sunt liberi, & vtcumque difficulter contemptiui commodorum temporalium, Ergò possunt esse aliqualiter meritorij, nempè dimidia saltem ex parte, tametsi omninò desit talis contemptus liber, & difficilis.

9. Qui vtiliter gessit negotium alterius hominis, eìque liberè obsecutus est, meretur aliquā ab eo compensationem accipere tametsi nullamProptereà vllius sui commodi iacturam passus sit. Ergò etiam apud Deum mereri quis similiter potest absque iactura commodi temporalis. Confirmatur à priori; quia quando Deus exigit à nobis, contemptum, aut fugam alicuius commodi temporalis, non id facit ex odio commodi nostri, vt iterum dicebatur q. 29. ad 5. sed ex amore maioris nostri boni incompossibilis cum illa commoditate. Ergo si hoc aliud præstetur à nobis absque iactura vllius commodi nostri temporalis, perindè erit contentus, atque ad remunerandum paratus.

Art. 1. Respondetur. Ante plures annos cœpi docere, contemptum liberum, & aliquatenus arduum commodi alicuius temporalis incompossibilis cum honestate, aut cum tanta honestate, quanta de facto inesset actui bono, ac moralis esse omninò requisitum ex natura ipsa rei, vt is euaderet meritorius. Rationes dubitandi, quæ me in ea re aliquandiu tunc detinuere, fuere eæ ipsæ, quas modò proposui; fundamenta autē opinandi, ea itidem ipsa, quæ iam subijcio,

pco, nisi quod vtrobique fusior aliquantò sermo fuit, vt vsuuenit in primis conatibus. Fundamẽta opinandi duo fuere præcipua. Primum, quod me magis mouit, mouetque est; quia omnis notitia de merito vitæ æternæ, cùm hoc sit naturaliter ignotum; habeatur solùm ex diuina reuelatione manifestata in sacris litteris. In sacris autem litteris præmium vitæ æternæ solis reperitur promissum, atque concessum operibus laboriosis, ac difficilibus, & quibus insit ratio aliqua violentiæ, certaminis, atque victoriæ, idque tum per propositiones affirmatiuas vniuersales æquiualentes negatiuis, & exclusiuis formaliter operum oppositi generis; tum per negatiuas formaliter & explicitè exclusiuas eorundem, non alio profectò modo, quam quo idem præmium solis reperitur promissum, atque concessum operibus bonis viatorum proprijs.

Art. 2. Eminent inter alia testimonia, quod dicitur 11. Matth. 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; ideſt, non alij, quàm violenti, nec alijs titulis, quàm violentiæ sibi illatæ, illuc perueniunt quicumque perueniunt actibus, meritisque suis; atque hæc est natura eius præmii, vt vim patiatur, nec ab aliquo acquiri operibus vis possit, nisi per raptum violentum, quæ est communior intelligentia SS. PP. apud Maldonatum ibi, qui iure refellit alios aliter intelligentes. Idem significatur 2. ad Timot. 2. 6. *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit*. Nempè necesse est certare hominem viatorem, vel aduersus legem Dei, vel aduersus legem concupiscentiæ; sed non accipit coronam, aut vllum à Deo præmium, nisi quatenus legitime certauerit: qua voce significatur clarè arduitas, tanquam propria operum coronabilium. Hoc ipsum insinuant ibidem haud obscurè comparationes salutariter, ac meritoriè operantis cum milite, & agricola; *Labora, sicut bonus miles Christi Iesu; laborantem agricolam*

opor-

oportet primum de fructibus percipere In milite namque, & agricola non pensi habentur, quæ sine labore, & difficultate exhibentur, sed quæ cũ illis exhibentur, ea verò sola sunt propria militis, & agricolæ, quà talis: Si autem regnum Cælorum haberi posset in præmium operis, nulla ex parte ardui, nec superantis vllam difficultatem prouenientem ex motiuis temporalibus, fieri profectò posset, vt illud raperetur à non violento, vtque coronaretur quis absque certamine, & nulla peracta militia, & agricultura, si nimirum decederet cum solo opere bono nullius victore difficultatis; quod est contra testimonia adducta.

Art. 3. Valet plurimùm ad confirmandam legitimitatem sensus attributi prædicatis testimoniis, quòd opera laboriosa sunt mensura totius mercedis ab vnoquoque accipiendæ, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 3. 8. *Vnus quisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*; non igitur indiscriminatim secundum quælibet opera bona siuè laboriosa, siuè non laboriosa. Idem sensus subest illis verbis 8. ad Rom. 17. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Eodem pertinet, quòd dicitur ps. 125. 6. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*; in quibus verbis sub vmbra captiuitatis, & liberationis Israeliticæ ex communi consensu PP. qui habentur apud Lorin. ibi; describuntur omnes, qui meritorum seminibus fructus gloriæ sibi comparant, atque præmium vitæ æternæ nanciscuntur. Ergò nemo meretur præmium vitæ æternæ, nisi flendo mittat operum suorum semina agriculturæ imitatus labores, molestiasque perpessus; & qui seminant in lacrymis, soli metent in exultatione, non qui commoda, voluptatemque ex illis subortam secuti fuerint, aut qui sine vllo incommodo temporali

porali fecerint, quod sibi placet, qualecumque tandem illud sit.

Art.4. Alterum fundamentum principale est, solos viatores esse capaces merendi, atq; beatos, dummodo purè beati sint, & non simul viatores vti fuit Christus Dominus, nihil mereri posse, vt dicetur in q. sequenti. Circa quam rē duplex discrimen obseruandum est. Alterū inter iustos, & peccatores, alterum inter iustos viatores, qua tales, & beatos, qua itidem tales sunt. Inter iustos, & peccatores hoc discrimen constitutum est, siuè ex natura rei, siue ex sola voluntate diuina, vt iustorum opera honesta & libera præmium vitæ æternæ consequantur. Peccatorum verò opera vtcumq. honesta, & libera, & iustorū operibus omninò, præter disparē istā operantiū conditionē, æqualia, illud nō consequātur nec consecutionis digna existant. Discrimen inter iustos viatores, & beatos, hoc inter alia datur, quòd beati sunt sanctiores, gratioresque Deo, quàm viatores, saltem quà viatores sunt, cùm, quoad præstantiam plurium operum, modumq; operandi, nulla sit inter vtrosque differentia, iuxta sententiam, quàm reiicimus, præter maiorē fortè perfectionem in beatis. Inquiro iam, Quod nam iustæ, ac rationabilis prouidentiæ genus foret sanctioribus, & strictiori intimæ amicitiæ vinculo coniunctis, illud bonum denegare, quod conceditur minùs sanctis, & amicis, & cuius denegatio solis est communis peccatoribus, & inimicis Dei, atque hoc solo titulo eximere sanctiores à communicatione præmiorum, quia sanctiores sunt intimioresq; Deo, cùm cætera sunt paria quoad operum conditionem, & perfectionem, nisi fortè ea sit maior in sanctioribus, eumque titulum valere ex mero beneplacito Dei ad illud ipsum malum, seu priuationem boni, & exclusionem à præmio, ad quæ efficax est etiam ex natura rei titulus peccati, & inimicitiæ cum Deo? quod sanè est dif-

ficillimum vt credatur, & prædurum vt dicatur. Quid si fiat comparatio eorundem viatorum cum Christo iam non viatore, prope infinitè sancto & grato Deo, & nihilominus non amplius capaci merendi?

Art. 5. Neque verò difficultati propositæ satisfieri potest, aut ea absurditatis species vitari, dicendo ad iustam Numinis prouidentiam, & rationabile rerum creatarum regimen spectare, vt designātur tempora acquirēdis præmijs idonea; obtentisque pacificè perfruendi sine sollicitudine vlterioris in acquirendo progressus. Tempus autem præ cæteris opportunum acquirendis præmijs esse, dum distinemur in corpore mortis huius, vt dicit Apostolus, expositi frequentibus peccandi periculis, impediti illecebris carnis, assultibus dæmonis assiduè, ac vehementer in malum impulsi, ab æterna fælicitate longè positi, eamque sub maligna luce rimantes per speculum obscurum, ac ænigmaticū. Tempus verò perfruendi præmijs pacificè, vel cessandi à meritorum sollicitudine, opportunum esse, dum quis potitur suo vltimo fine per clarā, & immediatam visionem Dei, vt est in se, propterèaque non indiget ampliùs stimulis pœnarum, & præmiorum, vt declinet à peccatis, vtque honestè, & laudabiliter operetur.

Art. 6. Non, inquam, hac ratione satisfieri penitùs difficultati potest: Quia huiusmodi partitio temporum merendi, & fruendi vtcumque rationabilis videatur, & æqua; non tamen adhuc detegit in operibus viatorum dignitatem meritoriam specialem, quæ non insit operibus Beatorum: Quam enim verò dignitatem specialem explicare imprimis oportet; quia sicut Deus misericorditer, & opportunè subuenit indigentiæ, & imbecillitati nostræ, ante quàm operemur per specialem præmiorum promissionem, quatenus necessaria, aut conueniens ea est, vt declinemus à malo, & faciamus bonitatem: Ità eadem præ-

mia

mia iustè, & sapienter retribuit post opera iam exhibita propter specialem dignitatem, & exigentiam retributionis repertam in ipsis operibus. Quapropter si status viatoris, aut aliquod opus bonum exhibitum pro eodem statu non induceret, aut non contineret in se peculiarē, tum antecedenter indigentiam promissionis præmiorum, tum consequenter eorundem exigentiam, ac dignitatem, nullum profectò præmium pro tali statu, & propter tale opus, aut promitteret, aut retribueret Deus: promitteret verò, ac retribueret pro statu beatifico, & propter opus beati, si eiusmodi exigentiam, & dignitatem non excluderet vniuersaliter status adæquatè beatificus, sicut simul, ac indiuisim excludit tum sollicitudinem vlterioris acquisitionis præmiorum, tum dolorem, ac mœstitiam ex impossibilitate vlteriùs merendi coniuncta cum possibilitate vlteriùs operandi benè, & obsequendi, ac placendi Deò liberè.

Art. 7. Dicendum igitur est, habilitatem merendi deuinctam statui uiatoris, & repugnantem statui puræ beatitudinis, dependere ex sola possibilitate incommodorum temporalium coniuncta cum libera facultate vitandi eadem incommoda per omissionem operationis bonæ, vel honestæ, aut peculiaris alicuius, ac excellentis bonitatis, & honestatis incompossibilis ex se cum commoditate aliqua temporali, qualis passibilitas, & vitabilitas est propria status viatoris, sicut contraria vel impassibilitas, vt in purè beatis, vel ineuitabilitas, vt in damnatis, & purgandis, est propria eorum, qui non sunt ampliùs viatores. Manifestum nimirum inprimis est, eum, qui propositione commodi temporalis præsentis non amittendi absque aliqua passione, & dolore, allicitur ad omittendam operationem honestam, aut eximium aliquem gradum perfectionis in opere, indigere specialiter sponsione præmij in futurum, ne succumbat difficultati præsenti

cun-

eundemque esse specialiter dignum compensatione & præmio, si tale commodú contemnat, & difficultatis ex eo subortæ victoriam de se arduam reportet, propter adhæsionem ad honestatem, aut ad peculiarem aliquem gradum honestatis eximiæ, hoc est, propter adhæsionem ad voluntatem, & beneplacitum diuinum, & ad maiorem Dei gloriam. Manifestum deinde similiter est, vnumquemque proni er, & facilè incumbere, absque intuitu ad aliquid aliud, in operationes, quibus perficitur, dum nullum incommodum nullaque penitùs molestia in illis exhibendis occurrit; & nullam apparere compensationis coronatricis materiam, vbi nulla intercessit iactura, aut ardua difficultatis alicuius victoria, adeòque perperam promitti præmium, & prodigè retribui taliter operaturo, ac iam operanti atque incumbenti in cōmoda sua absq; vllo incōmodo, vtcumque demum sit alioqui affectus, & in qualicumque statu reperiatur.

Art. 8. Quod quidem supponit vt certum D. Thomas 1. p. q. 62. art. 4. ad 1. quod erat huiusmodi: *Meritū est ex difficultate actus meritorij Sed nullam difficultatem Angelus habuit ad benè operandum Ergò bona operatio non fuit ei meritoria.* Huius argumenti solutio legitima, & adæquata iuxta sententiam contrariam esset negatio maioris. Quam tamen non negat D. Thom. sed ea supposita, tanquam principio certo, subiungit sic. *Ad primum ergo dicendum, quod difficultas benè operādi nō est in Angelis ex aliqua cōtrarietate, vel impedimento naturalis virtutis, sed ex hoc, quòd opus aliquod bonum est supra virtutem naturæ.* De qua ratione difficultatis dicetur iterum distinctiùs infrà in responsione ad 5. & 8. Interim pro confirmatione præcedentium, obseruandum est; Deum non dispensare præmia, vt homines ex gratitudine, aut iustitia commutatiua propriè talibus, vt alibi efficaciter ob-

sten-

stensum est ob hanc præcipuè rationem. Quia videlicet Deus est incapax, qui accipiat aliquid à creatura acceptione propriè tali, neque quidquam ipsius interest, quid agant, vel non agant creaturæ. Quod cùm sit certissimum, est etiam non minùs certum, Deum omnia cognoscere solum prout sunt in se ipsis, nec posse vnū per modum alterius, vti nos sæpè facimus, apprehendere, & dependenter à tali apprehensione variare operationem. Quapropter Deus nihil re ipsa accipiens, nihil agere potest ad modum accipientis, aut se gerere, tanquam moraliter, vt aiunt, accipiens, quoad aliquid propriū, & peculiare accipienti re ipsa; quale vtique est gratificari, & soluere tantundem, atque acceptū priùs fuerat. Igitur Deus dispensat præmia solùm ex iustitia gubernatrice, atque ideo incitamentum illorum proponit ante opus ijs solùm, qui eo indigent, & quando indigent ad operādum honestè, vel magis honestè; eademque præmia rependit post opus, solùm, quando illud inducit dignitatem compensationis ob superatam difficultatem, & propter liberam commodi præsentis iacturam. Patet igitur ex ijs omnibus contemptum liberum, & aliqualiter arduū commodi alicuius temporalis, propter honestatem simpliciter, aut propter peculiarem aliquā, ac excellentem honestatem, ac perfectionem, reiecti, esse de conceptu operis meritorij. Quod ipsum confirmabitur magis ex dicendis in decursu.

Ad 1. Sicut non exprimitur à Concilio contemptus liber, & arduus commodi temporalis, & molestiā ex incommodo temporali: ita nec exprimitur libertas simpliciter propria operis meritorij. Sicut igitur subintelligitur nihilominus, ex omnium sententia, libertas simpliciter, tanquam omninò requisita ad meritum: ità ex mea, & P. Vasquez aliorumque plurium sententia, subintelligitur similiter libertas quoad

tale

tale commodum, & molestiam. Quia scilicet sicut nihil est pro statu viæ, quem exprimit Concilium, quod necessitet ad opera bona, & procedentia ex gratia, quæ itidem exprimit. Ita nullũ est opus bonum, & procedens ex gratia, idest supernaturale, intrinsecè, vt alibi ostendi, aduersus quod, dum sumus in via, non ingerat difficultatem, & arduitatem aliquam commodum aliquod temporale, vt patebit magis ex dicendis circa 8. Continetur igitur virtualiter, & implicitè, quod à nobis asseritur in ijs, quæ tradit expresè Concilium. Confirmatur ista intentio Concilij ex locis Apostoli, quæ præmittit suæ illi definitioni, tanquam fundamenta sic definiendi. Primum est ex 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* Vbi manifestè supponit incommodum laboris, & molestiæ esse necessariò coniunctum cum omni opere nostro bono; nec obscurè innuit circumstantiam laboris, & incommodi liberè suscepti esse motiuũ vel maximum diuinæ retributionis, dum dicitur *scientes, quod labor vester non est inanis.* Non enim dicitur honestas operis qualiscumque, sed honestas laboriosa, seu labor honestatis. Alterum est ex 2. ad Timot. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ. Hæc est,* subdit Concilium, *illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi aiebat Apostolus.* Non itaque post honestatem, qualemcumque operum, sed post honestatem certantem cum commodis, & voluptatibus temporalibus, & post incommodam cursus defatigationem.

Ad 2, Bonitas doni conferendi in præmium non tanta præcisè esse debet, quanta est bonitas, aut operis præmiabilis, aut commodi contemnendi, vt idem opus perficiatur, sed quanta sufficit ad fundandam spem prudentem de perficiendo bono opere, & superando incommodo, quod illi adiacet, qui videlicet est finis præmio-

miorum. Eiusmodi autem bonitas comparationis contemptus laudabilis commodorum temporalium, est vita æterna, vt dicetur in quæst. sequenti.

Ad 3. Deus non tenetur ad compensandum ex re accepta, sed solùm ex munere gubernatoris vniuersi; vnde non considerat, quid, aut quantum libere ipsi dederimus; aut quali dederimus, sed quid, aut quantùm oporteat nos accipere, vt benè operemur, & afficiamur ad bonum commune. Nihil autem oportet nos accipere, vt benè operemur, quando nullo incommodo auertimur à bona operatione ex parte actus primi; ideòque tunc nullam accipimus compensationem; sicut nec accipiunt beati, tametsi exhibeant opera meliora, magisque placentia Deo.

Ad 4. Quòd Deus promittat aliquid sub aliqua conditione, non sufficit, vt id habeat rationem præmij posita conditione, vt patet in promissione doni facta Paulo, si Petrus speculetur, aut beatus oret, faciatue tale aliquid. Necesse igitur prætereà est, vt conditio promissionis sit opus ex sua natura exigitiuum compensationis; estque aliunde considerandum, an hoc tale sit? Neque verò tale esse potest, si vacat omni difficultate, vt patet ex dictis suprà.

Ad 5. Duplex est difficultas in benè operando, vt obseruat D. Th. de Verit. q. 26. quæ est de passionibus, art. 6. ad 12. & alibi sæpè. Prior difficultas propria impiorum prouinit ex imperfectione, mala dispositione, & habitu prauo operantis, & hæc nihil confert per se ad meritum, imò ipsum diminuit: quia est causa imperfectionis, & remissionis in actu. Posterior difficultas communis omnibus viatoribus vtcumque iustis, ac sanctis prouenit ex magnitudine, & præstantia operis, quatenùs superat potentiam operantis, & contradicit inclinationi partis inferioris; & hoc confert ad meritum quia inducit maio-

rem adhæsionem ad motiuum honestum, quò maior est, & proptereà motiuum eligitur perfectiùs per se, intensiùsque diligitur à magis sanctis, quorum proindè meritum est per se maius. Vndè non sequitur incōueniens obiectionis, vt concludit ibidem D. Thomas, & distinctiùs in hac q. 114. art. 4. ad 2

Ad 6. Ex hoc ipso, quod laus debeatur omni operationi bonæ morali, siuè capaci, siue incapaci ad merendum, deprǽhenditur clarè dignitatem laudis non esse discretiuam operationis meritoriæ à non meritoria, tametsi ea dignitas insit subiecto alioquin capaci ad merendum. Deinde de ratione præmij est, vt prosit accipiēti, atque ità ipsius intersit accepisse, vt non sit ex se contemptibile prudenter ab eodem. Laus autem inductiua huiusmodi vtilitatis quatenus talis, non debetur cuiuis operi bono morali, vt patet ex exemplis inductis in antecedenti obiectionis, sed soli arduo, ac difficili, vt patet ex nostris probationibus. Denique quod ad Philosophum attinet, sicut dicit ipse 1. Ethic. c. 3: laudem esse præmium virtutis, ità docet 2. Ethic. c. 3. Virtutem ex suo conceptu esse circa difficile, & arduum Quapropter cum omne opus bonum hominis viatoris fit ex virtute, siuè inchoata, siuè perfecta, eaque sumpta in sensu Philosophi, est consequenter difficile procul dubio, ac arduum: potiùs igitur inde confirmatur nostra sententia.

Ad 7. Quod tribuitur petenti, præcisè quia petit, nulla alia spectata peculiari conditione voluntatis petitoriæ, gratiosè vtique, & liberaliter tribuitur, & tamen impetratur. Nec enim pura petitio gignit ius accipiendi rem petitam: tametsi eam impetret. Quod autem tribuitur merenti, tribuitur tanquam debitum & non purè gratiosè, aut liberaliter, vt liquet ex 4. ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Quæ nam autem ratio paritatis esse potest ex

suf-

sufficientia excitandi ad liberalem, & gratiosam oblationē alicuius doni, pro sufficientia adinducendū debitū exclusiuum gratiæ, & liberalitatis?

Art. 1. Ad 8. Bonitas actus confert magis ad meritum, quam difficultas. Quia victoria difficultatis intenditur, & proposito præmio sollicitatur, vt habeatur bonitas & perfectio operis ac operantis. Bonitas autem actus est maior per se in sanctioribus, vt nuper dicebatur ad 5. Licet sit minor difficultas, quæ in pessimis est maxima ob defectum habitus virtuosi: & superabundantiam vitij, vt dicitur 5. Ethic. c. 9. ad finem; ideòque meritum Sanctorum per se, est maius absolutè. Cæterum viri etiam sanctissimi dum degunt vitam mortalem; semper nonnullam patiuntur difficultatem in quouis opere bono morali ex iactura commodi alicuius temporalis, incompossibilis cum illo. Primum, quia, vt dicitur Sapient. 9. 15. *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam* (incessanter vtique dum corrumpitur) *& terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*; adeòque ingerit semper difficultatem aliquam iustæ rerum temporalium æstimationi, quod ibi intenditur directè, necnon iusto circa singula affectui, quod indidem concluditur indirectè. Deindè, quia, nullus viator potest esse liber ad aliquod peccatum, vel imperfectionem aliquam moralem, idest, ad omittendum actum aliquem bonum, aut augmentum aliquod siuè specificum, siuè intensiuum bonitatis, nisi ratione commodi alicuius temporalis indè retrahētis, nec dimissibilis absq. aliqua molestia ex præsenti incōmodo cōtrario, quandoquidem bona eiusdem generis, tametsi inæqualia sint, non sufficiunt ad libertatem, vt anteà dictum est, atque indigentiæ, quæ est moralitatis propria, nequit nō esse aliqualiter molesta priuatio cuiusuis commodi præsentis. Circa quod dictum est specialiter in loco, de Christo Domino, nec de Beata Virgine necesse est quidquam dicere, quādo constat maximos ipsā

quoq. pasſã eſſe dolores, atq moleſtias tẽporales

Art. 2. Hinc apparet actus omnes bonos viatorum immediatè liberos, ac meritorios eſſe, ex conceptu ſuo comparatiuos ſpiritualium cum temporalibus, atque difficulter prælatiuos illorum reſpectu iſtorum; ideòque fieri non poſſe, vt actus aliquis moralis bonus eliciatur à viatore non præeunte actuali aduertentia ad commodum aliquod temporale, retrahens ab illo; indidem rurſus apparet eſſe de ſubiecto nõ ſupponenti vim meritoriam duplò maiorem ex aliquo alio titulo, vt præciſo formaliter à victoria difficultatis, quã ex ipſa hac victoria. Quia nullus eſt titulus, nullaque formalitas actus alicuius, quæ quatenus præſcindens ab eiuſmodi victoria intelligatur habere vim inducendi præmium, aut maius præmium. Qua propter licet fieri poſſit, vt ex duabus actionibus ſuperãtibus æqualem difficultatem altera mereatur præmium duplò maius, quàm alterà, quatenus bonitas vnius eſt duplò maior, quam bonitas alterius, atque æquum, & conueniens eſt vt cæteris paribus ad maiorem perfectionẽ incitemur maiori præmio, quam ad perfectionem minorem vtque illa recompẽſetur maiori dono, quàm iſta: fieri tamen non poteſt, vt exceſſus aliquis bonitatis intelligatur quatenus inductiuus alicuius præmij independenter à victoria aliqua difficultatis. Quia bonitas meritoria eſſentialiter eſt contentioſa, & victrix difficultatis obiectæ à commodo temporali. Exemplum ſume à Milite merente maius præmium ob ſeruatam Ciuitatem, quàm ob ſeruatũ ciuem, cum pari vtrobique dificultate, nihil tamen merente ſi incolumitas vtriuſuis, aut vtriuſque habita eſt nullo repulſo, nulloque ſuperato hoſte. Nempè opus meritorium apud Deum eſt militare militiæ ſpiritualis, vt oſtenſum eſt ſupra. Ex his patet ſatis ad vtramque cofirmationem. Adde viros Sanctos, & amicos Dei præcipue delectari in ſuperandis maxi-

ximis difficultatibus, & subeundis periculis ex se terribilibus vitæ, atque hæc in votis habere præcipuè; in quibus tamen, manifestum est adesse difficultatem, & arduitatem, qualis à nobis requisita est ad vim meritoriã operis boni.

Ad 9. Deus non tenetur ad retributionem ex re accepta, sicut homines, vt sæpè dictum est. Vndè ea paritas nihil valet vt obseruat in simili D. Thom. 2. 2. qu. 81. art. 6. ad 2. Retribuit igitur Deus solum ex necessitate boni regiminis, quod neutiquam postulat, vt coronetur aut præmuniatur spe coronæ, qui nullam superauit, aut debet superare difficultatem: Vndè licet Deus, nec promittat, nec conferat præmia ex odio commodorum nostrorum; promittit tamen, & confert ex amore bonitatis, & perfectionis nostræ, non qualiscumque, sed victricis, & arduæ. Quo diluitur probatio obiectionis à priori. De augmento meriti ex maiori difficultate operis cæteris paribus, videantur plura si placet, apud Ripaldam disput. 30 de ente supernat. sect. 9.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum omnia, & sola opera iustì viatoris, ipsique soli mereantur ex natura rei vitam æternam de condigno?

VIDETVR nec omnia, nec sola opera iusti esse meritoria; nec statum viatoris requiri ad merendum; & vnumquemque posse applicare merita sua sibi, vel alijs pro libito; nec ex natura rei, sed ex promissione Diuina inesse vim meritoriam operibus nostris: ac demum nullam posse esse dignitatem obsequij exhibiti breuissimo tempore, vel in instanti, ad præmium retributionis æternæ. Quæ omnia eodem hoc ordine ostendentur. Ac primùm Deus non respicit, qualis sit operans; an scilicet iustus, vel peccator; sed præcisè qualia sint opera, an scilicet bona, vel mala. Quia in sacris litteris operum tantummodo habetur ratio pro mercede vitæ æternæ, vt patet ex Matt; 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Eodem pertinet, quod 20. Matt. 8. considerantur operarij, præcisè quia operarij sunt, pro mercede accipienda. Dicitur enim *voca operarios & redde illis mercedem suam*. Distinctiùs docetur idem 2. ad Rom. 6. *Qui reddet vnicuique secundum opera eius*. Et semel atque iterum ps. 27. 4. *Da illis secundum opera eorum: secundum opera manuum eorum tribue illis*. Hinc in Concilio Arausicano definitur can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia* (nempè actualis)

lis) *qua non debetur, præcedit, vt fiant.* Deniquè August. c. 2. de nat. & gr. *Si homo lapsus posset,* ait, *suis viribus adimplere legem, posset securè adipisci vitam æternam.* Ergò, adimpletioni legis secundum se, siuè exhibeatur à iusto, siuè ab impio, deuincta est vita æterna, tanquam merces.

2. Facultas hominis ad merendum aliquid dependet ex ordinatione eius ad illud facta à Deo. Quia omnis virtus creata, vtcumque actiua, est essentialiter subordinata voluntati diuinæ, & habet limites ab ea sibi præfixos, intra quos agere potest, & vltra quos agere nihil potest. Vndè id, & eo modo potest homo mereri, ad quod, & quo modo est ordinatus à Deo. Homo autem secundum suam substantiam est ordinatus ad vitam æternam, & ad possessionem summi boni, tanquam ad finem vltimum suæ naturæ obtinendum per opera sua, vt apparet ex q. 2. & 6. Ergò homini ex sua natura secundum se præcisè considerata adeòque independenter ab eo, quòd præsupponatur iustus, conuenit facultas ad merendum, & obtinendum vitam æternam per actus suos.

3. Status viatoris nullum confert operi bono æstimabilitatem peculiarem; quandoquidem opera beatorum sunt vndequaque perfectiora, adeòque æstimabiliora. Quod autem nullam confert operi æstimabilitatem peculiarem, nihil confert ad rationem meriti conuenientem eidē operi. Quia præmium inducitur per opus media complacentia præmiantis in ipso opere, atque mensura eius complacentiæ est iusta operis æstimatio. Ergò status viatoris non est requisitus, saltem ex natura rei, ad merendum.

4. Si status gratiæ, & status viatoris conferrent ad meritum, eò quisque plus mereretur cæteris paribus, quò iustior esset, aut magis viator; ac proindè non daretur præmium iuxta mensuram operum; quod contradicit testimo-

nijs inductis in primo argumēto, quibus sūt similia alia quāplura. Et præterea puri homines viatores sunt puri viatores; & tamen merentur minùs, quàm Christus Dominus, (qui simul fuit beatus, ideòque fuit minùs viator, quam alij.

5. Plura opera bona iusti viatoris sunt intrinsecè naturalia; aliqua sunt priora prioritate naturæ, quam ipsa iustificatio; alia saltem de potentia absoluta possunt esse intrinsecè dependentia à reuelatione Dei, quatenus nolentis cōferre vllum præmium, adeòque intrinsecè incompossibilia cum præmio, nec exigitiua præmij. Nullum autem huiusmodi opus est meritorium vitæ æternæ. Ergò non omnia opera bona iustij viatoris sunt meritoria vitæ æternæ.

6. Peccatum, siuè à iusto, siuè à peccatore commissum, est demeritoriū vitæ æternæ; quod est certum ex fide; nec est magis demeritoriū, cæteris paribus, peccatum commissum à magis peccatore, vt docet communis, & certa omnium ferè Theologorum sententia. Ergò idem proportionaliter dicendum est de vi meritoria operis boni.

7. Qualitates personales purè humanæ, ac naturales, vt filiatio Regis, dignitas Senatoria, aut imperatoria, nullam conferunt vim meritoriam operi, nisi quatenus præcognitæ ab operante pro priori naturæ ad opus. Ergò nec dignitas filiationis Dei, quidquam conferre potest ad meritum, nisi quatenus præcognita ab operante. Non autem præcognoscitur à iustis hæc eorum dignitas; cū nemo certò sciat, *An amore, an odio dignus sit.* Sed neque quòd probabiliter ea adsit, aduertit actualiter iustus, quoties operatur. Ergò filiatio Dei non dignificat ad præmium opera iusti, saltem omnia.

8. Vim satisfactoriam, & impetratoriam suorum operum potest quiuis applicare alijs; & vniuersaliter potest vnusquisque validè cedere quibusuis suis iuribus in fauorem cuiusuis alterius.

terius. Ergò vim etiam meritoriam suorum operum potest quiuis cuiuis alij applicare pro libito, ac proindè potest merere alijs, quantum sibi mereri potest; sicut de facto meruit Christus Dominus omnibus nobis plus etiam, quàm sibi.

9. Omnis dignitas remunerationis diuinæ reperta in operibus nostris dependet ex misericordia, & gratiosa promissione Dei, vt apparet ex Concilio Moguntino definiente cap. 8. iustorum opera remuneratione vitæ æternæ digna esse, *quia Deus benè operantibus, & in ipso sperantibus mercedem misericorditer promisit*. Idē apparet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 16. sub finem. Cum enim prætulisset confidentiam & gloriationem in domino, *cuius* subiungit *tanta est erga omnes homines bonitas: vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Vbi perperàm laudaretur bonitas Dei ob identitatem inter dona eius, & merita nostra, si ipse libera sua voluntate facere minimè potuisset, quominùs actibus nostris inesset ratio meriti simul cum ratione doni: sicut Princeps temporalis sua voluntate efficere potest, vt nullus, vel non nisi tantus determinatè valor insit monetæ, & sicut dominus vineæ efficere potest, ne vllam ex ipso mercedem mereatur, qui in ea laborat; nempè nullo inito contractu de mercede cum operario. Quibus paritatibus vtuntur fidenter in hunc scopum nonnulli moderni. Igitur opera nostra non ex natura rei, sed ex libera voluntate, & gratiosa Dei promissione sunt meritoria apud Deum.

10. Illud opus est meritorium de condigno, quod æquatur mercedi. Opera autem nostra non sunt æqualia vitæ æternæ, vt colligitur ex 2. ad Corinth. 4. 17. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Nequit enim verò esse æquale, aut momentaneum æterno, aut leue ponderoso; & quod caput est tribulatio nostra, quæ tota

consistit in priuatione boni creati, & commodi temporalis, nequit esse æqualis gloriæ, quæ consistit in æterna possessione summi, infiniti, & æterni boni. Eodem pertinet, quod dicitur Luc. 6.38. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum:* & Genes. 15. 1. Ego *protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Nempè nec supereffluens, nec nimis magnum dici potest, quod retribuitur alicui, si non sit maius, quàm quod exhibuit. Nulla igitur opera nostra sunt meritoria de condignos vitæ æternæ. Id quod traditur expresè ab Apostolo 8. ad Rom. 18. *Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

11. Opus condignum aliquo præmio est, quo posito nequit negari sine iniustitia idem præmium. Deus autem potest negare omne præmium absque iniustitia, quibusuis operibus nostris; quia est Dominus omnium, & potest alijs titulis exigere omne opus bonum nostrū, id est, omne nostrum obsequium erga ipsum absque promissione præmij, & quia nihil vtilitatis percipit ex nostris operibus, iuxta illud Lucæ 17. 10. *Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus.* Quod ipsum verificatur de operibus quoque consilij, vt patet; imò de ijsdem verificatur etiam suo modo, quod sequitur ibidem: *Quod debuimus facere, fecimus,* quatenus decet nos obsequi Deo omnibus modis, ideoque debito decentiæ debemus ipsi obsequi per opera etiam consilij Ergò nullum est meritum condignum apud Deum; certè non potest esse tale vllum opus præceptū ob testimonium modò productum.

12. Si præmium vitæ æternæ esset debitum ex natura rei operibus nostris, adeòque illis positis esset innegabile absque miraculo; nec etiam de potentia absoluta negari a Deo posset. Quia Deus nequit negare miraculosè aliquid debitū ex natura rei, nisi facta compensatione per aliud

bonum,

bonum, vt minimùm, æquale negato, atque intrinsecè incompossibile cum eodem, vti pluribus ostensum est q. 28. de Deo. Nullum autē aliud bonum intrinsecè incompossibile cum vita æterna est maius eadem vita æterna, atque etiam illi æquale. Quia vita æterna est summum bonum. At sequela respectu meriti puræ creaturæ est prædura, & contra communem omniū consensum, ideòque admitti nullatenus debet. Ergò nec antecedens.

Art. 8. Respondetur. Opus iusti non sumitur in præsenti materialiter pro eo, quod vtcúque fit ab homine, qui iustus est, sed formaliter pro eo, quòd fit à iusto, quà iustus est; nempe pro eo, quod procedit ab ipsa gratia, per quam operans constituitur iustus; sicut dicitur opus citharædi, aut pictoris, illud solùm, quod procedit ab habitu eius artis. Viator similiter non sumitur purè, aut negatiuè, aut passiuè, seù quasi passiuè pro eo, qui nondum peruenit ad statū æternùm duraturum, potestque ad illum perduci, quin aliquid agat, vel sola actione, siuè sua, siuè alterius necessaria, saltem ex natura rei; quo sensu sunt viatrices animæ purgatorij. Sed sumitur negatiue simul & positiuè, atque actiuè actione propriè, ac strictè sumpta, idest liberè, ac indifferenter elicita; nempè pro eo, qui non dum peruenit ad statum esse æternum; peruenire tamen ad illum potest actione libera, & formaliter, vel saltem æquiualenter, ac interpretatiuè sua. Nec enim viator simpliciter dicitur, qui nondum peruenit ad terminum, & vel tenetur ligatus, quominùs vnquam peruenire possit, vti tenentur damnati, vel trahitur tractione propriè violenta, nec directè, & formaliter libera, vti trahuntur passione pœnarum, animæ purgatorij, sed is tantùm dicitur simpliciter viator, qui nondum peruenit ad terminum suæ intentionis, progredi tamen, & peruenire ad illum potest actione vel formaliter sua, vt adulti cōpotes rationis; vel saltem moraliter sua, vt par-

uuli, eademque libera quoad progrediendum, & non progrediendum. Hoc pacto sunt purè viatores omnes puri homines dum sunt in vita mortali, ac passibili; & similiter fuere viatores Angeli ante statum beatitudinis, & damnationis æternæ; eodemque modo fuit etiam partim viator Christus Dominus, dum retinuit passibilitatem.

Art. 2. Opus de condigno meritorium dicitur, quod est æquale præmio, vel æqualitate arithmetica, vt labor diurnus agricolæ iusto stipendio; vel æqualitate proportionis, vt solet esse labor, & dexteritas cursorum, pugilum, & similium præmio, publica auctoritate constituto. Opus de condigno meritorium ex natura rei est, cui ex se intrinsecè conuenit alterutra ex ijs duabus æqualitatibus respectu præmij. Cui verò neutra æqualitas conuenit ex se intrinsecè, & nihilominus habet vim haudquaquã minorem inducendi præmium, quàm opus, quod ex se intrinsecè est æquale præmio, dicitur meritorium de condigno extrinsecè tantùm, & denominatiuè; idque, vel in actu secundo tantùm, vel etiam in actu primo. Nempè opus, quod ex se tale, est circa quod, si ineatur contractus de præmio, seù stipendio, contractus non erit iustus, nisi de tanto determinatè præmio, seu stipendio conueniatur, nequeat tamen gignere ius ad illud, nisi interueniente contractu vtriq; libero; dicitur opus, respectu talis præmij meritorium de condigno extrinsecè, & denominatiuè tantùm in actu secundo. Si verò opus ex se sit tale; cui ex conuentione mutua possit, citra iniuriam constitui præmium, seù stipendium minus quàm quod constituitur de facto; dicitur opus, respectu talis præmij, meritorium de cõdigno extrinsecè, & denominatiuè tantum non solùm in actu secundo, sed etiam in actu primo; vt si facienti talem saltum promittatur ciuitas, vel Regnum. Verum hæc posterior condignitas latè solùm, ac impropriè talis est. Quia opus,

cui

cui præfigitur tale præmium, potiùs habet rationem conditionis, quàm meriti respectu talis præmij, vt patet ex definitione meriti tradita in q.30. initio.

Art.3. Certùm primò est statum viæ requiri ad meritum vitæ æternæ, vt patet ex 2. ad Corinth. 5.10. *Vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ad Galat.6.10. Ergò *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Ioan.9.4. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est. Venit nox* (idest, mors) *quando nemo potest operari*; Nempe meritoriè, & cum fructu vitæ æternæ. Oportet circa hæc loca videre SS.PP. qui ea in hunc sensum accipiunt ex communi fidelium, & Ecclesiæ consensu. Idem manifestè supponitur semel, atque iterum à Concilio Tridentino sess.6. c.16. Ex ijsdem porrò locis apparet clarè, statum viæ respectu hominis saltem iuxtà communem, & ordinariam prouidentiam Dei, conuerti cum statu vitæ mortalis.

Art.4. Ratio eius dogmatis, & huius conuertibilitatis est, quia ad merendum requiritur libera facultas negligendi cum difficultate, & arduitate aliqua commodum aliquod temporale incompossibile ex se cum opere bono, aut cum aliqua perfectione peculiari operis boni, vt ostensum est in q.præcedenti: Eiusmodi autem libera facultas nemini adest post hanc vitam saltem iuxta prouidentiam ordinariã. Quia omnes post hanc vitam, iuxta prouidentiam ordinariam vel cõsequuntur immediatè beatitudinẽ, vel reprobantur, vel deputantur ad purgatoriũ, aut limbum. Beati autem ex quo sunt purè, & adæquatè beati, necessariò abundant omnibus commodis, nec vt benè, aut etiam optimè operentur, oportet, vt patiantur iacturam præsertim difficilem, ac arduam vllius commodi sui. Reprobi è conuerso subsunt necessariò omnibus incommodis, nec sunt liberi, vt propter honestatis amorem patiantur incommodum aliquod

abso-

absolutè vitabile ab ipsis. Similiter constitutis in purgatorio determinata est a Deo mensura incommodorum, quæ pati debent, nec sunt amplius liberæ animæ, quæ purgantur, ad eam mensuram augendam, vel minuendam, vtcumq; operentur. Demum in limbo peragitur vita extra militiæ arduitatem posita, ac placidæ honesti prosecutioni destinata, absque fomite, & absque alijs difficultatibus, quæ inde retrahere possint. Est igitur conuertibilis status viatoris, respectu hominis, cum vita mortali saltē ex natura rei, & iuxtà prouidentiam ordinariam Dei.

Art. 5. Idem status viæ respectu Angelorum conuertitur cum statu indifferentiæ, & libertatis ipsorum ad beatitudiuem, & reprobationē. Quia videlicet durante eà indifferentia fuere simul indifferentes Angeli ad volenda, & reijcienda ea commoda temporalia, propter quæ peccauere, quicumque peccauere, & quæ, quicumque steterunt, contempserunt ob amorem Dei, cum ea vtique difficultate, & arduitate, quæ suffecit ad pertrahendos angelos reprobos in æternam miseriam, & in consensum, seu neglectum liberum offensæ Dei. In quæ profectò tanta mala irruere liberè non potuere nulla ab opposito bono, retrahente difficultate, ac arduitate.

Art. 6. Ex ista vtrobique reddita ratione necessitatis viæ ad merendum concluditur vlteriùs, cum Vasquez, & alijs aduersus Suarez, & alios, statum viatoris esse requisitum ad merendum ex natura ipsa rei, & non ex sola lege libera Dei, libertate formaliter distincta ab ea libertate, qua condidit substantias rationales, eisque donauit eam dispositionem intrinsecam, ac physicam, cum qua de facto merentur, seu sunt habiles ad merendum. Cōcluditur, inquam; quia status viatoris est conuertibilis; vti modò ostensum est, cum indifferentia ad prosecutionem, & contemptum arduum commodi temporalis

s incompossibilis cum opere bono, aut cum
ua peculiari bonitate eius. Huiusmodi autem
fferentia est necessaria ex natura rei ad me-
dum, vt liquet ex q. præcedenti: Ergò status
toris est necessarius ex natura ipsa rei ad
rendum.
Art. 7. Confirmatur; quia omnes indubitan-
t credunt ex. gr. tempus vernum, ac æstiuū
e requisitum, & idoneum ex natura rei, vt ar-
ores ferant frondes, flores, & fructus; atque
l hoc ipsum, esse inidoneum ex natura rei
ninimèque requisitum tempus autumnale, &
ybernum; neque verò ad firmissimum huius
eritatis assensum, & ad reputandam stultam
ontrariam opinionem adest aliud fundamentū;
ut à posteriori, quam quòd ita semper, ac vni-
formiter accidat; aut à priori, quàm quòd ne-
cesse sit ex natura rei, vt causa prima coope-
retur causis secundis ad omnes effectus ad quos
vnaquæque earum in suo genere, quantum est
de se, est proximè sufficiens. Ne videlicet per-
peram, ac insipienter dederit eadem causa pri-
ma alicui suæ creaturæ talem ad aliquid aliquā-
do inducendum sufficientiam, & virtutem, quā-
tum est de se, omninò completam, ac perfectā.
Idem autem euenit cum eadem vniuersalitate,
ac vniformitate, quoad fœcunditatem præmij
in operibus viatorum, & sterilitatem eiusdem
in operibus eorum, qui non sunt amplius via-
tores. Cum eadem igitur firmitate, ac certitu-
dine tenendum est istud operum vtriusque ge-
neris discrimen conuenire illis intrinsecè ex
natura rei & non extrinsecè, ac per accidens ex
sola lege Dei immediatè, ac formaliter libera,
libertate speciali quoad idem discrimen, & abs-
que vlla exigentia intrinseca, aut cum sola qua-
dam congruitate ex parte ipsarum rerum.
Art. 8. Ex eadem nostra ratione explicandi
statum viatoris deducitur vlterius probabilio-
rem esse opinionem Suarez, Vasquez, & aliorum
d.Cent-

dicentium, aduersus Viegã, & nonnullos alios; Eliam, & Enoch, ex quo à reliquis mortalibus seiuncti vitam agunt omninò placidam, & imbellem, nihil vllo pacto mereri. Quia ex tunc sunt expertes omnis molestiæ, quam libere vitare possint prætermissis actibus honestis, & quæsito commodo temporali. Nempè habent omnem morum honestatem cum omnibus cōmodis, quorum ipsis copia, ac potestas simpliciter facta est, coniunctam; nec Deo placent vlla eorum incommoda liberè susceptа; separauit enim eos à reliquis, vt pacificè degerent liberi ab omni molestia, omnique incommodo prægrauante Sanctos, ac honestos mores, quoad omnes, & singulos eorum actus. Sunt enim liberi à fomitis vexatione, vt fert cōcors Theologorum sententia; eademque ratione dicendi videntur liberi ab omni alia molestia commodi, & incommodi temporalis valentis retrahere ab amore honestatis, vel totaliter, vel quoad partem, & ingerentis difficultatem aliquam placidæ prosecutioni eiusdem honestatis adæquatè sumptæ. Quod sufficit iuxta dicta, ne sint ampliùs positiuè viatores, & capaces merendi. Eadem ratio est de antiquis Patribus dum commorarentur in limbo; sicut etiam paulò priùs dictum est de infantibus decedentibus sine baptismo, dum inibi detinentur, atque etiam, post diem iudicij per æternitatem. Nempè horum omnium fuit, est, & erit pacata similiter vita, nullisque propter honestatem intermixtis incommodis, aut molestijs vniformis, ideòque expers omnis meriti.

Art. 9. Non desinam hìc obiter notare rationem, qua probat D. Thomas 1 p. q. 62. art. 9. Beatos, qui non sunt simul viatores, esse incapaces quidquam vlterius merendi, siue substantiale, siuè accidentale, merito vtique propriè & strictè tali; Rationem, inquam, illam esse optimam, sed quam necesse sit pluscu-

lum

m vlteriùs aliundè promouere, atque ex di-
is sufficienter, ac concludenter promoueri
osse. Ratio D. Thomæ est, quia nullius motoris
tentio fertur in aliquid indeterminatum, pro-
dens in infinitum, sed in aliquid omninò de-
rminatum, nec vlteriùs processurum, feratur
ecesse est. Motor autem substantiarum ratio-
al um creatarum est Deus, qui singulis præfigit
eterminatum gloriæ gradum, omniumque bo-
orum cumulum determinatum; ad quem pro-
ndè postquam peruenere, non possunt quidquā
mplius acquirere, ac mereri; perueniunt verò,
ūm primùm incipiunt potiri beatitudine. Quæ
uidem ratio nititur optimo principio; relinquit
amen aditum vlteriùs inquirendi, cur fieri non
ossit, vt aliquis adæquet, meritis suis, vltimum
radum gloriæ sibi determinatum à Deo, vel
aulò priùs, vel paulò posteriùs, quàm inducā-
ur de facto ad substantiam beatitudinis? Vtro-
is tamque modo æquè vitaretur incommodū
propositum de intentione motoris tendente
n incertum, ac infinitum. Ei autem inquisi-
ioni satisfit patenter nostra ratione exponen-
di capacitatem merendi. Quia cùm primùm in-
ducitur quis de facto in beatitudinem vndequa-
que completam, liberatur ab omni molestia, &
arduitate in exercitio bonarum, atque optima-
rum operationum, ideòque priuatur, iuxta dicta,
capacitate quidquam vlteriùs merendi. Qua-
propter necesse est ex natura ipsa rei, vt vnus-
quisque pertigerit iam meritis suis ad totum
eum gloriæ gradum, qui sibi est vltimò præde-
finitus à Deo, antequam incipiat ità potiri bea-
titudine.

Art. 10. *Libet hic*, itidem obiter, notare
præterea rationem, ob quam natura humana
beata simul, & viatrix, atque meriti capax es-
se possit, vt accidit in Christo Domino; An-
gelica non possit, nec anima separata. Ratio
autem est, quia cùm natura humana constet ani-

mā-

ma, & corpore, fieri potest, vt obtenta beatitudine animæ, ac proindè plenitudine perfecta gaudiorum pertinente ad animam directè, & ratione sui; supersit nihilominus passibilitas ex parte corporis, ac proindè capacitas perferendi propter honestatem, aut propter peculiarem aliquam perfectionem moralem, incommodum aliquod non nisi difficulter ac arduè superandum difficultate, & arduitate fundata in corporali commodi oppositi indigentia. Quæ dispositio operantis, sufficit ad merendum, si simul adsit libertas, vt dictum est. At Angelo, & animæ separatæ, propter contrariam indiuisionem naturæ ipsorum, non potest superesse, post obtentam beatitudinem similis capacitas, vllius vlteriùs commodi, aut incommodi non contemptibilis facilè, & absque vlla arduitate; ideòque non potest adesse capacitas merendi, & conditio, quoad hoc viatoris propria. Hac de causa oportuit, vt Verbum Diuinum assumeret naturam humanam, & non Angelicam, aut animam rationalem seorsim: siquidem voluit assumere naturam creatam capacē meriti in sensu composito vnionis hypostaticæ. Quia huic vnioni est necessariò deuincta beatitudo formalis naturæ assumptæ, quà intellectualis, aut rationalis est.

Art. 12. Certum secundò est, statum iustitiæ habitualis, & adoptionis Dei esse similiter requisitum ad meritum condignum vitæ æternæ; ità vt nulla opera elicita ab eo, qui non est iustus, & amicus, ac filius adoptiuus Dei, sint meritoria vitæ æternæ de condigno, seu quibus vita æterna sit debita ex natura rei ratione iustæ proportionis, aut æqualitatis proportionalis cum ipsa. Hic est communis Theologorum consensus cum Mag. in 2. dist. 26. & 27. & cum D. Thoma q. 114. art. 2. nec potest dici oppositum absque errore manifesto post Bullas editas à Pio V. & Gregorio XIII. aduersus Baium; quia in illis reprobantur inter alias, propositio 13. 14. 18. & 19. Baij, quarum tota doctrina est,

opera

ra bona ex eo tantùm esse meritoria, quia conformia legi, & per ea præstatur obe- tia legi; non verò ex eo, quòd fiant per tum adoptionis. Accedit Concilium Tridē- m sess. 6. cap. 16 semel, iterum, ac tertio, nec an. 32 solis iustorum ac filiorum Dei ope- s proponere vitam æternam, tanquam mer- em, & coronam; cum si hoc esset commune rum quoque operibus, per absurdè restrin- t Concilium Catholicam de meritis, & præ- s doctrinam ad sola iustorum opera, vti plu- restringit. Sed illud est in dicto cap 16. cla- *Sine qua* (virtute, quam influit Christus in ficatos) *nullo pacto Deo grata*, & *meritoria* na eorum opera) *esse possent*.

rt. 12. Colligitur prætereà eadem veritas ex is litteris. Quia opera eius, qui non habet itatem, sunt inutilia ad vitam æternam; t eam se solis inducere non possint, dicen- postolo 1. ad Corinth. 13. 3. *Si tradidero us meum, ita vt ardeam; charitatem autem habuero, nihil mihi prodest.* Quicumque au- non habet charitatem, non est iustus; Quan- quidem gratia iustificans est indistincta rea- à charitate habituali, ab actuali verò depē- tanquàm à dispositione proxima respectu vt dictum, atque expositum est in qq. de if: et alibi. Colligitur rursus; quia merentes ondigno vitam æternam, eo ipso habent ius llam, ideòque sunt hæredes Dei, & cohæ- es Christi. Soli autem filij Dei, ijdemque, & sancti habent ius istud hæreditatis æter- vt apparet ex 8. ad Rom. 17. *Si autem filij aredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem isti.* Quæ conditionalis expressè affirmatiua s hæreditarij in filijs continet in se implici- egatiuam eiusdem iuris in non filijs. Quia peram magnificarentur ex eo capite, filij si eadem eorum quoque conditio esse pos- qui non essent filij Dei.

rt. 13. Quod, in posteriori isto testimonio subiun-

ubiungitur immediatè: *Si tamen compatimur, sut & conglorificemur*; non parum confirmat doctrinam quæstionis præcedentis de passione incommodorum necessaria ad meritum vitæ æternæ. Quia gloria superaddita Christo post mortem contigit ei, quatenus patienti, iuxta illud Luc. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vndè, & conglorificatio nostra cum ipso oportet, vt sit iuxta modum compassionis nostræ ad instar eiusdem. Quod autem rursus subiungitur ibidem immediatè post ea verba: *Existimo enim, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; manifestat rationem, ob quam necesse est opera nostra dignificari per gratiam sanctificantem, vt euadant condigna hæreditatis vitæ æternæ, neque posse acquiri ius istius hæreditatis absque filiatione Dei. Quia si opera spectentur secundum se præcisè, cum sint momentanea, & leuia; omninò deficiunt a iusta proportione, & condignitate, respectu æterni ponderis gloriæ.

Art. 14. Neq. verò hæc operum secundum se insufficientia, & improportio suppleri sufficienter potest ex dignitate operantis, si is non præsupponatur in altiorem dignitatem euectus per filiationem Dei, & per gratiam participem diuinæ naturæ. Quia seclusa ista dignificatione per gratiam habitualem, sola superest dignitas humanæ naturæ secundum se. Natura autem humana secundum se, sicut & alia quæuis natura creabilis nullam habet dignitatem, & proportionem exigitiuam, & mediatè, vel immediatè inductiuam hæreditatis vitæ æternæ, vti pluribus ostensum est quæst. 10. de Deo. Quòd si naturæ humanæ superaddatur status peccati lethalis, & inimicitiæ cum Deo, prout superadditur de facto in omnibus carentibus gratia habituali, crescit quodammodo in infinitum indignitas: nec fieri potest, vt in sensu composito ipsius detur in homine aliquid præponderans

tantæ

tantæ indignitati, & condignum vita æternæ, eiuſdemque exigitiuum. Quæ rationes demonſtrant defectum iſtum condignitatis reſpectu vitæ æternæ conuenire homini non iuſto ex natura rei, & non ſolùm ex lege aliqua Dei quoad hoc ſpecialiter libera, vtcumque aliàs idem homo affectus ſit, & vtcumque operetur, atque huc applicari præterea ſuo modo poteſt confirmatio adhibita ſupra art.7.

Art.15. Certum tertiò eſt opera ſaltem aliqua iuſtorum, qui adhuc ſunt viatores, eſſe meritoria vitæ æternæ de condigno idest, habere æqualitatem proportionis cum vita æterna, ratione cuius proportionis non poſſint ſaltem ex natura rei, excludi æternùm à Regno Cælorũ, aut augmento gloriæ æternùm priuari iuſti viatores, obſeruantes, prout oportet, ipſoſque decet, mandata, & conſilia Dei. Vox iſta *de condigno*, ſeu meritum *dignum*, aut *condignum* non reperitur in ſacris litteris Concilijs & SS.PP. ſed nec à Theologis omnibus reperitur vniformiter vſurpata. Cæterum res ipſa per eiuſmodi locutionem communiter ſignificata, & aſſerta à Theologis apud Magiſtrum, & D. Thomam in locis indicatis art.11. iuxta ſenſum alijs vocibus æquiualentibus modò expreſſum, traditur luculentur in ſacris documẽtis, & admittitur vnanimi conſenſu ab omnibus catholicis DD. vt oſtendit inter alios Suarez lib. 12. de grat. cap. 1.

Art.16. Huc pertinent inprimis teſtimonia Scripturæ producta ſuprà in q.30. art.3. in quibus vita æterna comparata cum bonis iuſtorum operibus vocatur merces, & corona iuſtitiæ, eaque reddenda à Deo tanquam à iuſto iudice. Nec enim merces, & corona iuſtitiæ propriè dicitur, aut ſic abſolutè nuncupari abſque abſurditate poteſt, quod excedit condignitatem operis, cui rependitur, atque vltra omnem eius dignitatem gratiosè, & liberaliter ſuperadditur, ideòque non datur tanquam corona iuſtitiæ, & à iuſto

à iusto iudice, vti perhibetur ab Apostolo, sed tanquam munus gratuitum, & à principe liberali supererogante liberaliter: Quid? quod idem Apostolus 4. ad Rom. 4. clare excludit rationē liberalis, & gratuitæ supererogationis, & inducit rationem debiti, dum dicit: *Ei autem, qui operatur, merces, non imputatur secundum gratiam; sed secundum debitum.* Quod ipsum exprimit iterum 6 ad Hebr. 10. dicens: *Non enim iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministratis sanctis, & ministratis.* Profectò iniustus non esset, tametsi obliuisceretur operis nostri, & dilectionis; idest, non retribueret illi præmium vitæ æternæ, quod retribuit de facto, & quod sæpè alias expressum subintelligit hìc Paulus, si hæc retributio non esset debita iuxta operis dignitatem, sed vltra illam superadderetur gratiosè. In hunc sensum spontè venit, nec aliò nisi violenter distrahi potest illa pars parabolæ operariorum Matth. 20. 13. *Amice, non facio tibi iniuriam* (facturus vtique, si minùs daret) *Non ne ex denario conuenisti mecum? Tolle, quod tuum est* (non aliunde suum, quam ex iure fundato in opere) *& vade.* Accedit vox ipsa dignitatis attributa iustis benè operantibus, eorumque operationibus respectu summi boni, & fœlicitatis æternæ sap. 3 4. *Et si coram hominibus tormēta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis benè disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit dignos se.* Et 2. ad Thessal. 1. 5. cum præmisisset Apostolus patientiam, fidem, persequutiones, tribulationes; *quas sustinetis*, inquit, *in exemplum iusti iudicij Dei, vt digni habeamini regno Dei pro quo & patimini.* Vbi subijcit D. Thomas. *Tribulatio enim, quæ fertur pro Deo, dignum facit regno Dei.* Denique Apoc 3. 4. prælatà comparatione male operantium cum operantibus benè subijcitur de istis; *Ambulabunt mecum in albis* (idest, me sibi præ-

præsente fruentur) *quoniam digni sunt.*

Art. 17. Efficacissima est in hunc scopum comparatio inter pœnas impiorum, & iustorum præmia; quæ habetur in eodem loco ad Thessal. v. 6. *Si tamen* (idest, siquidem, aut quandoquidem, vt habet alia littera teste D. Thoma, estque omninò subintelligendum ex textu Græco, & ex communi PP. sensu ità vt sit particula demonstratiua indubitatæ, ac manifestissimæ veritatis, prout ostendit ibi P. Iustinianus) *Si tamen,* inquam, *iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* Ergò ad idem iustitiæ genus, idemque iustum Dei iudicium, de quo proximè sermo fuerat, pertinet retribuere requiem vitæ æternæ operibus iustorum, & tribulationem æternam peccatis impiorum. Certum autem est, tribulationem, quæ retribuitur peccatis, deberi eisdem ex natura rei, nec superare indignitatem, & vim propriè demeritoriam ipsorum, iuxta illud Apoc. 18. 7. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit tantùm date ei tormentorum.* Certum igitur pariter esse debet requiē, quæ retribuitur tribulationi, & bonis iustorum operibus, deberi ipsis ex natura rei, nec excedere rationem iustæ proportionis repertam in eisdem. Ista iusti iudicij ratio, quatenus pœnis, & præmijs vniformiter communis mouet vel maximè iustos ad assiduum bonorum operum studium, dicente Apostolo 2. ad Corinth. 5. 10. *Ideò contendimus siuè absentes, siue præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt vnusquisque referat propria corporis, prout gessit siuè bonum, siue malum.* Ad eādem igitur iudiciariā Christi Domini potestatem, eandemque iusti iudicij normam, ac leges significatas nomine tribunalis spectat, vt vnusquisque referat, tum præmium pro bonis operibus, tum pœnam pro malis.

Art. 18. Hinc August. epist. 105. Longè ante

med.

med. circa illud ad Rom. 6. 23. *Stipendium peccati mors: gratia autem Dei vita æterna*, istud discrimen reuocat adæquatè ad præuiam differentiam bonorum operum, quæ sunt ex gratia; & peccatorum, quæ sunt ex nobis; & de reliquo agnoscit positis iam meritis bonis, & peccatis, perindè esse stipendium illorum vitam æternã, atque est stipendium istorum mors. *Cum enim dixisset, ait, stipendium peccati mors, quis non congruentissime, & consequenter addere iudicaret: Stipendium autem iustitiæ vita æterna? Et verum est, quia sicut merito peccati, tanquam stipendium redditur mors ita merito iustitiæ vita æterna.* Quapropter subiungit ea præcisè de causa stipendio opposuisse Apostolum rationem gratiæ in vita æterna, vt occluderet aditum superbiæ humanæ, quominùs ita sibi arrogaret homo bona opera, quibus debetur vita æterna, sicut propria ipsius sunt peccata, quibus debetur mors; non verò quia illis non perindè debetur illud præmiũ, sicut istis istud suppliciũ. Vndè paucis interpositis concludit: *Quapropter, homo; si accepturus es vitam æternam, iustitiæ quidem stipendium est, sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa iustitia.* In hunc eundem sensum conspirat omnis consensus SS PP. apud Suarez loco indicato, & apud alios ab ipso relatos præsertim Bellarminum, & Valentiam.

Art. 19. Adde loco sigilli definitionem Cõcilij Arausicani in can. 18. suprà indicato *debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Hoc ipsum statuit Concilium Lateranense in c. *firmiter*. De summa Trinitate, Concilium Florentinum in litteris vnionis versus finem, & luculentiùs, ac sæpiùs Concilium Trident, sess. 5. cap. 16. Vbi inter alia, antè medium capitis, dicitur bonis iustorum operibus quæ in Deo sunt facta, nihil deesse, *quominus vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint; consequendam verè promeritæ*

meruisse censeantur, Et iterum can. 32. definitur, *iustificatum bonis operibus verè mereri vitam æternam*. In quibus particula *verè*, non ad hoc præcisè adhibetur, vt excludatur ratio meriti ficti, & chimærici, de quibus videlicet nulla poterat subesse suspicio, tametsi ratio meriti definita fuisset absque vllo alio addito. Adhibetur igitur, iuxta frequentem eius voculæ vsũ, ad excludendũ meritum secundum quid soliusque congruitatis cuiusdam non reddentis præmium simpliciter debitum, & ad indicandã rationem meriti propriè, ac *strictè* talis, adeòq; continentis in se dignitatem iustè proportionatam præmio, nec relinquentis vlteriùs locum gratiæ, & liberalitati in retributione eiusdem præmij.

Art. 20. Ratio huius dogmatis est. Quia gratia habitualis, qua homo redditur iustus, simul eundem constituit filium, & amicum Dei, atque hæredem vitæ æternæ, vt ostenditur ex professo q. 3. de iustificat. & partim liquet etiam ex q. 39. de virt. Theol. filius autem hoc ipso titulo est dignus hæreditate paterna; & de ratione hæredis est, vt habeat ius ad hæreditatem; & similiter est de conceptu amicitiæ inclinatio exigitiua mutui amicorũ aliquando conspectus; ac proindè non est supra conditionem amici Dei, vt Deus aliquando illi compareat immediatè, vt est in se, vtque se illi exhibeat videndum facie ad faciem, vti obseruatum est q. illa 39. de virt. Theol. ad 8. Quia verò Deus vnumquemque ordinat iuxta suam dignitatem, & exigentiam, atque exhibet virtutem, & media sufficientia ex se, vt eum perducant ad finem sibi præfixum, prout apparet tum ex inductione vniuersali in rebus etiam minimis, tum ex conceptu infinitæ & sapientiæ, & potentiæ Diuinæ; patet homini iusto, dum deest consequutio sui vltimi finis, seu visionis Dei, & hæreditatis æternæ, adesse virtutem sufficientem, & media efficacia ex sua natura, quibus ad illam perue-

S nire

nire possit. Virtus autem hominis sufficiens ad consecutionem sui finis,& media, quibus ad illā perducitur efficaciter, sunt sufficientia ad merendum,& opera meritoria,vt apparet ex q.6. Debetur igitur homini iusto ex natura rei virtus sufficiens ad merendum vitam æternam. & operationes propriæ ipsius,qua iustus est, sunt sufficientes ex natura rei ad illam inducendam, tanquam media intrinsecè connexa cum eo fine; quod est easdem operationes esse meritorias de condigno,vitæ æternæ iuxtà expositionem eius meriti præmissam supra art.2.

Art.21. Dixi autē: operationes propriæ ipsius, quà iustus est. Quia vnumquodque consequitur, per suam operationem, eum finem, ad quem ordinatur per habitum, seu qualitatem, aut cuiuslibet generis virtutem actiuam,ex qua procedit eadem operatio. Musicus enim & simul pictor non assequitur finem pictoris per operationem procedentem ex habitu musicæ, aut è cōuerso,& sic de similibus Homo autem ex sua præcisè natura est ordinatus ad solā beatitudinē naturalem; atque per auxilia supernaturalia gratiæ actualis secundum se præcisè ordinatur ad beatitudinem supernaturalem remotè tātùm, & inchoatiuè; per gratiam verò habitualem ordinatur ad eandem proximè,& completè cum dignitate intrinsecè exigitiua ipsius, vt dictum est. Itaque opera bona intrinsecè naturalia, tametsi fiant ab homine,qui iustus est, nullam prorsus exercere possunt causalitatem meritoriam in beatitudinem supernaturalem, vtpotè, neque mediatè,neque immediatè procedentia à gratia supernaturali actuali, vel habituali, ideòque nullum dicentia ordinem ad finem supernaturalē, nullamque participantia dignitatē eius. Quod ipsum pluribus alijs argumentis efficaciter comprobatum est q.7.de grat.Opera verò supernaturalia procedentia ab auxilijs supernaturalibus gratiæ actualis, absque gratia habituali, habent quidem aliquem ordinem me-

mediatum, ac remotum ad beatitudinem supernaturalem, & aliqualiter conferunt non solùm negatiuè, sed etiam positiuè ad consequutionē eius, vti clariùs apparebit ex q. sequenti cæterum dignitatem proximè exigitiuam vitæ æternæ, & contentiuam iuris ad illam nequaquam habent; quandoquidem neque ratione sui, neque ratione principij; ex quo procedunt, sunt vel incompossibilia cum peccato lethali essentialiter exclusiuo omnis iuris, & dignitatis ad gloriam, vel permanenter vnitiua hominis cum Deo, prout vnit beatitudo.

Art. 22. At opera procedentia ab homine iusto, quà iustus est, ob rationem contrariam sortiuntur condignitatem & verum ius respectu vitæ æternæ ob dignitatē eius, quæ inest gratiæ habituali, & ex ea redundat in opera, quorum ipsa est principium, iuxta illud Ioan. 4. 14. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliētis in vitam æternam*. Salit nimirum per bona opera, quæ scaturiunt ex ipsa, & ex origine sua trahunt fœcunditatem vitæ æternæ; quæ fœcunditas inest originariæ illi aquæ secundum se, & propagatur in opera, velut in riuos ex eo fonte deductos, atque multipliciter diffusos. Sicut enim dignitas operantis, quæ nihil ex se confert, sed manet interim otiosa, nullam potest conferre operi æstimabilitatem peculiarē, cum reprehensibile potiùs videatur otiosam detinere dignitatem, quantum est ex se, operatricem, & collatam ad operandum, ità opus specialem consequitur dignitatem, ac æstimabilitatem ex speciali dignitate operantis, quæ impēditur operi, & quæ simul cum opere, quod præstat, demittitur in obsequium eius, cui opus exhibetur, & cum cuius voluntate, & complacentia quæritur conformitas per idem opus, vti proculdubio quæritur, iuxta superiùs dicta, conformitas cum voluntate, & complacentia Dei per omne opus iusti, quà iustus est. Ergo opera iusti, quà iustus est, & quorum principiū

est ipsa iustitia, habent, quatenùs talia, veram respectu vitæ æternæ condignitatem, adeòque sunt meritoria ipsius de condigno.

Art. 23. Ex isto discursu deducitur actus quibus quis vltimò disponitur ad iustificationē, tametsi realiter coexistant gratiæ habituali, & fiant ab homine, qui iustus est, nihilominus nō esse meritorios de condigno vitæ æternæ. Quia videlicet non fiunt à iusto, quà iustus est, nec vllam in eos causalitatem efficientem exercet gratia iustificans, ideòque nequit in genere causæ formalis refundere in eosdem dignitatē, ac æstimabilitatem suam peculiarem. Quod præterquàm apparet satis ex ratione modò ponderata. Confirmatur vlteriùs ex D. Thoma q. 109. art. 6. Vbi sic habet: *Duplex est præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Vna quidem, qua præparatur ad benè operandum, & ad Deo fruendum. Et talis præparatio voluntatis non potest esse sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorij, vt dictum est.* Gratia autem habitualis non est principium actuum disponentium ad ipsam gratiam, vt ibidem docet Sanctus Doctor, & pluribus ostensum est q. 9. de virtut. Theol. Confirmatur rursus ab inconuenienti. Quia si gratia existens pro posteriori naturæ ad aliquē actum, & collata dependenter ab eodem actu, posset nihilominus ipsum specialiter dignificare ad præminm; sequeretur actum elicitum ab homine iusto, quà iustus est, adeòque inductiuum augmenti gratiæ; dignificari de nouo per istud augmentum gratiæ collatum pro posteriori naturæ ad nouum aliud augmentum accipiendū, & sic in infinitum. Quod patet esse absurdum. Primam itaque gratiam iustificantem accipit gratis, quicumque iustificatur absque vllo suo merito de condigno respectu ipsius. Quia verò hæreditas vitæ æternæ debetur ex natura rei gratiæ iustificanti secundum se præcisè consideratæ, vt liquet ex q. illa 3. de Iustificat. neque

potest

potest habere rationem præmij, quod debetur ex natura rei independenter à merito, vt dicetur q. sequenti; deducitur vlteriùs neque primam gloriam, seù consequutionem gloriæ, quoad substantiam mereri iustum de condigno per eosdem actus, quibus disponitur ad iustificationem, ideòque glorificationem non conferri iustificato præcisè ratione talium actuum, tanquam coronam iustitiæ, sed vt puram hæreditatem debitam, debito strictè tali, solùm ratione gratiæ iustificantis gratis collatæ.

Art.24. Quapropter, quod definitur à Concilio Trid.c.illo 32, sess.6. *Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsam vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum* Hoc inquam, referendum est ad solum meritum actuum consequentium iustificationem, & procedentium à gratia iustificanti non solùm quoad augmentum gratiæ, & gloriæ, quod est in confesso apud omnes, sed etiam quoad vitam æternam, ipsiusque vitæ æternæ consequutionem, seu quoad substantiam beatitudinis, quod negant Suarez, Vasquez, Valentia, Medina, & alij, sed meritò affirmant Cardinales Bellarminus, & Lugo, nec non Vega, & alij apud Ripaldam eiusdem partis auctorem disput.9. de ente supernat. sect. 1. Profectò Concilium ijsdem operibus adscribit meritum vitæ æternæ, & consecutionis vitæ æternæ, quibus adscribit meritum augmenti gratiæ, & gloriæ; siquidem vtrumque hoc extremũ indiuisim atque indiscriminatim sua definitione complectitur absque vlla operum, quibus correspondent, partitione, sed cum expressione, & inclusione eorundem prorsus operum respectu vtriusque eius extremi. Certum autem est, vt dixi, apud omnes augmentum gratiæ, & gloriæ non cadere sub meritum de condigno actuũ

disponentium ad iustificationem. Ergo nec vita æterna, & consecutio vitæ æternæ simpliciter, & quoad substantiam ijsdem actibus rependitur tanquam merentibus ipsam de condigno, sed solis actibus consequentibus ad iustificationem, quibus itidem solis debetur augmentum gratiæ, & gloriæ.

Art. 25. Accedit Concilium loqui de solis operibus, quæ fiunt à iustificato per Deì gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est. Prædurè autem, & absurdè dicerentur fieri à iustificato, & ab eo, qui est viuum membrum Iesu Christi, opera disponentia ad iustificationem, cum potiùs dicenda sint fieri à iustificando, & vt sit Iesu Christi viuum membrum, qui illa facit; Insolens namque, & à communi vsu, ipsaque natura rei valde abhorrens locutio est, vt is dicatur auctor operum natura priorum, sub ea voce, & nomine, quod sibi conuenit ratione effectus natura posterioris; vt si dicatur præmissas elici à sciente conclusionem, & simplicē complacentiam circa aliquid concipi à desiderante illud ipsum, & sic de similibus. Quid quod præposterus iste loquendi modus, & sensus eiusmodi purè materialis specialiter abhorret à stylo Concilij. Vtpote peridoneè, & in sensu semper formali loquentis tum in cap. 16, quod illi canoni correspondet: tum in reliquis prioribus eiusdem sessionis, dum ipsam iustificationem, eiusq. dispositionem, & fructum exponit? Loquitur itaq; Concilium de solo merito actuū natura, vel tempore subsequentium ad iustificationē, & procedentiū ab ipsa forma iustificante.

Art. 26. Quòd autem operibus subsequentibus ad iustificationem tribuatur ratio meriti de condigno non solùm vniformiter respectu augmenti tum gratiæ, tum gloriæ, sed etiam peculiariter respectu primæ gloriæ, seu gloriæ quoad substantiam, & consecutionis eius, non verò respectu primæ gratiæ, non ex eo præcisè pro-

uenit

uenit, quòd prima gratia iam præhabetur ante opera subsequentia ad iustificationem, estque eorundem principium; gloria verò nondum habetur, nec est eorum operum principium. Hoc enim secundum se præcisè non sufficit ad discrimen intentum; cum quod iam omninò debetur tametsi nondum habeatur, non possit esse præmium operis, independenter à quo iam omninò debetur. Vlterior igitur ratio discriminis est, quia ius ad gloriam, quod conuenit iustificato ex vi suæ iustificationis, seu primæ gratiæ, non est omninò absolutum, sed quodammodo conditionatum, & verè capax exceptionis, atq; adeò pendens adhuc à futuro quoad suum vltimum complementum, & vim, omninò absolutam obligandi Deum ad retributionem gloriæ, vt patet ex illa particula Concilij; *si tamen in gratia decesserit.* Omnia igitur pertinent, & eo modo pertinent ad complementum eius iuris, & exclusionem eius exceptionis, quæ conferunt, & quomodo conferunt ad perseuerantiam finalem in gratia. Opera autem iustificati conferunt ad perseuerantiam finalem in gratia duplici ratione. Primum enim per opera bona superaddita post iustificationem augetur meritoriè gratia habitualis cum augmento proportionali omnium virtutum infusarum. Quò autem maiorem gratiam quis habet, intensioresque virtutes, eò est meliùs dispositus ad perseuerandum finaliter in gratia. Deinde opera bona iustificati excludunt in genere causæ formalis actus vitiosos vnicuique eorum oppositos & impeditiuos perseuerantiæ finalis in gratia, & quò plura, ac pluries huiusmodi impedimenta excluduntur, eò redditur certior perseuerantia finalis, ac proindè stabilitur magis, minusque subest exceptioni ius præexistens ad gloriam. Frequenti porrò vsu receptum est, vt ea, quibus vltimò completur ius aliquod, atque ab exceptionibus, quibus ex se subest, absoluitur, dicantur conferre, idem ius; sicut vniuer-

simili rebus quoq; alijs vnusquisq. effectus tribuitur complenti vltimò virtutem inductiuam eius.

Art. 27. His igitur rationibus, maximè verò priori illa fundata in genere causæ meritoriæ, tribuitur iure optimo actibus subsequentibus ad iustificationem meritum condignum respectu primæ etiam gloriæ, seu beatitudinis etiam quoad substantiam; ita vt augmentum gloriæ, sicut & gratiæ soli ipsorum virtuti meritoriæ correspondeat adæquatè; substantia verò beatitudinis eidem correspondeat solùm inadæquatè tanquam complemento iuris præexistentis. Quod discrimen sicut non exprimitur à Concilio, ità nec reijcitur ab eodem, nec illi contradicit, vt potè non affirmanti vniformitatem totalem meriti respectu gloriæ, & respectu augmenti gratiæ, & gloriæ. Neutra verò ex rationibus dictis adscribi similiter potest ijsdem actibus ratio meriti respectu primæ gratiæ; tum quia prima gratia est principium omnium subsequentium meritorum, atque principium meriti non cadit sub meritum; tum quia iustificato non conuenit ius exceptionis capax, sed omninò absolutum respectu primæ gratiæ secundum se præcisè, quandoquidem hæc ab illo iam habetur re ipsa, tanquam sua ipsius omninò absolutè. Hoc igitur pacto videtur legitimè exponi definitio Concilij, atque in concordiam redigi cum doctrina tradita.

Art. 28. Dici præterea potest (præscindendo à Concilio, adultum præeunte propria dispositione iustificatum, eo ipso mereri de condigno primam gloriam, seu vitam æternam quoad substantiam condignitate merentis, licet non mereatur eandem de condigno condignitate operis meritorij independenter ab alijs actibus deinde subsequentibus ad iustificationem. Explicatur modus iste loquendi, & simul probatur res significata. Qui per proprios actus disponitur

tur ad iustificationem, eo ipso meretur de congruo primam gratiam, & gloriam vt infrà dicetur. Superaddita deindè ijs actibus gratia iustificanti consequitur iustificatus ratione eius condignitatem respectu primæ gloriæ, vt liquet ex art. 20. Et tamen non consequitur condignitatem respectu primæ gratiæ, cum necesse sit condignitatem ad aliquid distingui ab eo, ad quod est condignitas. Si quidem ergo adultus ita iustificatus habet in se aliquam rationem meriti respectu primæ gloriæ coniunctam cum vera sua condignitate respectu eiusdem, dici optimè potest mereri illum de condigno primam gloriam condignitate merentis; tametsi dici non possit mereri similiter de condigno primam gratiam, eo quòd hanc recipiat nulla præexistente condignitate ad ipsam. Quia verò actus disponentes ad iustificationem non procedunt à gratia ipsa habituali, ad quam disponũt, vt ostenditur ex Augustino, D. Thoma, & alijs q. 10. de iustificat. ad 3. ac propterea nequit illis applicari ac communicari dignitas gloriæ propria gratia habitualis; fit planè eos actus non esse secundum se meritorios vitæ æternæ de condigno, ac proindè iustificatum independenter ab actibus deinde consequentibus non mereri de condigno vitam æternam condignitate operis meritorij.

Art. 29. Per hæc rediguntur in concordiam duæ assertiones D. Thomæ, quæ videntur sibi inuicem contradicere. Prima earum habetur quæst. 112. art. 2. ad 1. *Præparatio hominis ad gratiam habendam, quædam est cum infusione gratiæ, & talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ iam habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur.* Altera propositio habetur q. 114. art. 3. cor. *Si autem loquamur de opere meritorio secundum quod procedit ex gratia Spiritus sancti* (ex gratia nempè habituali de qua est totus articulus) *Sic est meritorium vitæ æternæ ex condi-*

gno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem spiritus sancti mouentis in vitam æternã. Atque in hunc eundem sensum toto eo articulo, & toto articulo quarto proximè sequenti solis actibus procedentibus ex gratia habituali, & ex charitate tribuit rationem meriti condigni respectu vitæ æternæ. Prior itaque propositio obiter inserta, ne contradicat posteriori doctrinæ traditæ ex professo accipienda est de merito condigno sola condignitate operantis. Posterior verò de merito condigno condignitate ipsius operis. Ità nimirum vt iustificato dependenter à propria libera dispositione debeatur exinde sola mensura, seu intensio correspondens mensuræ, & intensioni gratiæ ipsius iustificantis secundum se, perindè omninò, atque deberetur, si eadem intensio gratiæ collata fuisset absque vlla libera dispositione ac operatione iustificati; cum tamen sit de ratione operis meritorij de condigno condignitate operis, vt propter ipsum debeatur operãti peculiaris intensio, & accessio gloriæ, vltra eam, quæ debetur ratione gratiæ habitualis dignificantis idem opus consideratæ secũdum se præcisè. Et sanè auctores contrariæ sententiæ suprà indicati, si actibus disponentibus ad iustificationem non tribuunt, vti reipsa non tribuunt, vim meritoriam inductiuam peculiaris alicuius, & maioris intensionis gloriæ, quàm quæ debetur ratione gratiæ gratuitò datæ ipsos dignificantis secundum se præcisè consideratæ, non possunt eos dicere meritorios gloriæ de condigno, eo sensu, quo ab eisdem, & ab omnibus alijs dicuntur meritorij de condigno actus subsequentes ad iustificationem, & procedentes à gratia habituali, ac proindè non loquuntur cõsequenter, & controuersiam instituunt de sola voce, vel certè leuissimam.

Art. 30. Vt autem hoc habeat, ex sufficientia gratiæ habitualis ad dignificandum opera iustificati, vt mereantur de condigno vitam

æternam, & augmentum gratiæ, & gloriæ, vnde in hæc alia deuenimus; Concluditur vlterius omnes, & singulos actus supernaturales iusti viatoris subsequentes ad iustificationem esse meritorios vitæ æternæ de condigno, siue intensi illi fuerint, siue vtcumque remissi, & cuiuscumque demum virtutis sint. Quia omnes eiusmodi actus procedunt ex gratia, & charitate; vt ostensum est q.41. de Virt. Theol. ac proinde omnibus ijsdem communicatur indiscriminatim dignitas vitæ æternæ propria gratiæ habitualis, & acquiritur ius augmenti ipsius gratiæ, nec non & gloriæ, iuxtà dicta supra art. 21. & 22. Et confirmatur ex cap. illo 16. Tridentini, vbi apertè definitur operibus iustificati, quæ in Deo sunt facta; vti certissimè sunt facta omnia, & singula prædicta opera, non deesse, quominus vitam æternam suo tempore consequendam promereri censeantur, & cum eadem vniuersalitate, ac vniformitate definitur can. 32. Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, mereri augmentum gratiæ, & gloriæ, & vitam æternam. Quæ testimonia simul cum alijs in eandem rem argumentis, ac obseruationibus aduersus nonnullas aliquorum præduras, ac parùm tutas restrictiones, vti eas appellant Suarez, & alij plures apud Ripaldam; videri possunt q.42. de Virt. Theol.

Art. 31. Concluditur denique ex eiusdem gratiæ habitualis natura, purum hominem iustum non posse vllis suis actibus cuiquam alij, sed sibi soli vitam æternam, atque augmentum gratiæ, & gloriæ promereri. Primùm, quia nihil potest vlla sua virtute, seu physica, seu morali prætergredi limites sibi præfixos à Deo. Dictum autem est vnumquemque ordinari à Deo per gratiam habitualem ad suam beatitudinem supernaturalem, sicut ordinatur per suam ipsius naturam ad beatitudinem suam naturalem, atque actus bonos naturales, & supernaturales esse media intrinsecè ordinata

ad eum determinatè finem]. Ergò fieri non potest humana voluntate, vt actus boni cuiusquam puri hominis mereantur de condigno gratiam, aut gloriam, aut eius augmentum alicui alij. Deindè actus meritorij puræ creaturæ compēsantur, vt minimùm, ad æqualitatem per propriam merentis beatitudinem. Vndè non possunt applicari vlli alij merita cuiusque propria sine iactura applicantis, quoad substantiam, vel partem substantialem suæ beatitudinis. Nemo autem potest cōsentire validè iacturæ suæ beatitudinis: cum ex institutione naturæ sit vnusquisque obligatus primo loco ad quærendam suam beatitudinem. Accedit, cætera omnia esse volita ab vnoquoque propter vltimum suū finem, ac fœlicitatem, vt dictum est q. 1. Repugnat autem vt iactura aliqua fœlicitatis suæ sit volita ab aliquo ex amore eiusdem fœlicitatis, præsertim cū amor propriæ fœlicitatis sit actus necessarius, ideoque amans intendat ipsam necessariò, quantum potest, absque vlla restrictione, imò cum odio cuiusuis etiam minimæ restrictionis, ac diminutionis. Ex his igitur omnibus constat omnia, & sola opera iusti viatoris, ipsique soli mereri de condigno ex natura rei vitam æternam, ipsiusque vitæ æternæ, & gratiæ augmentum.

Ad 1. Propterea in primis certum est seruantem mandata ingredi in vitam æternam, qui certum itidem est eundem iustificari, ac proindè obtinere gratiam, per quam operibus superaddatur condignitas gloriæ iuxta illud ad Rom. 2. 13. *Factores legis iustificabuntur.* Vndè Augustinus argumentatur lib. 3. contra duas Epistolas Pelagianorum; *Quis enim dicat non iustificari eos, qui sunt legi obedientes, quando si non iustificarentur, non possent esse obedientes?* Deinde ex Ezech. 18. 24. exque alijs scripturæ locis constat peccatum lethale non solùm mortificare, & reddere sterilia, ac inutilia in vitam æternam opera bona facta in statu peccati, sed etiam, quæ

præ-

præcessere facta in statu gratiæ. Quarè dum in alijs locis dicuntur opera bona vtilia in vitam æternam, eiusdemque inductiua iuxta ipsorum mensuram, intelligenda sunt opera facta ab homine spiritualiter viuo, quæque proindè non concipiantur, & nascantur mortua, sed viua, adeòque informata per gratiam. Eodem modo nomine operariorum Dei soli intelliguntur iusti, si quidem iniusti sunt potiùs operarij diaboli, sicut, & filij. Denique sententia illa conditionalis Augustini verificatur, quoad adeptionem vitæ æternæ; quia sub eadem conditione verificatur iustificatio, & consequutio gratiæ habitualis, vt dictum est ex ipso Augustino. Itaque, licet Deus nequaquam consideret qualitatem temporalem operantis, quæ secundum se nil confert ad vitam æternam, considerat nihilominùs qualitatem spiritualem operantis, propter quam ordinatur ad vitam æternam, sicut par est considerare in quouis alio operante, ad quem ipse ordinatus sit finem, antequàm operetur, vt deindè illi cooperetur, vel non cooperetur is, ad quem pertinet.

Ad 2; Dictum iam est, hominem ex sua natura secundum se esse ordinatum ad beatitudinem naturalem. Vndè ex sua natura præcisè nullam habet facultatem merendi beatitudinem supernaturalem, sed necesse est, vt superaddatur natura supernaturalis, quæ est gratia habitualis.

Ad 3. Status viatoris non confert operi æstimabilitatem absolutam maiorem, quàm status beatificus, confert tamen æstimabilitatem peculiarem relatè ad præmium, & compensationem; quia facit, vt fiat opus bonum cum iactura commodi præsentis. Quod nemo miretur, si consideret actum ipsum beatificum esse omnium optimum, ac proindè æstimabilem absolutè super omnes alios actus, & tàmen nullam habere æstimabilitatem relatè ad laudem ope-

rantis, & ad recompensationem, ob defectum libertatis, & arduitatis.

Ad 4. Verum est, vnumquemque eò plus mereri operibus suis, quò intensior est gratia, à qua dependent, & quò plus participat de conditione propria viatoris, idest quo maior est difficultas operandi fundata in præstantia operis, sed vtrumque verum est, cæteris omnibus existentibus paribus. Neque verò hinc tollitur quominùs præmium detur iuxta mensuram operum, quia opus in ratione meriti condigni includit intrinsecè vtramque eam conditionem, vt dictum est suprà præsertim paulò priùs circa primum. Iam in Christo Domino gratia dignificans eius opera fuit simpliciter infinita, ideoque eius merita fuerunt infinitè maiora, quàm opera cuiuscumque puri viatoris, supplente exuberantia gratiæ cum infinito excessu Defectuum secundum quid in ratione viatoris.

Art. 1. Ad 5. Dictum iam est, opera intrinsecè naturalia, atque etiám supernaturalia, priora prioritate naturæ, quàm sit gratia habitualis esse opera iusti materialiter tantùm, quia non procedunt ab habitu, per quem operans constituitur in ratione iusti, vt notatum est suprà art. 1. ideòque non dignificantur per talem habitum, nec includũtur in superiori nostra conclusione, quæ videlicet loquitur de operibus iusti formaliter, vt talibus. Multò minùs est opus proprium iusti viatoris, quod intrinsecè dependet à reuelatione Dei, quatenus nolentis conferre vllum præmium, quodque præterea est intrinsecè incompossibile cũ præmio. Quia eo ipso esset opus nec præceptum, nec consultum à Deo, vt patet ex dictis tota q. 21. ac proindè non esset opus honestum, quale necessariò est omne opus iusti, vt iusti.

Art. 2. Dico igitur repugnare talem reuelationem respectu iusti viatoris, quod nemini

mirum

mirum esse debet. Quia perindè est reuelare Deum, nolle se conferre vllum præmium propter tale determinatum opus, atque reuelare nihil interesse respectu fœlicitatis, & vltimi finis, siue fiat, siuè non fiat tale opus, quo ipso redditur inamabile, & ineligibile idem opus, cum nihil possit esse amabile, & eligibile nisi ratione vltimi finis, & ob conducentiam ad vltimum finem, vt sæpè dictum est ex doctrina quæstionis primæ. Quod si Deus supponatur comminari priuationem beatitudinis non exhibito tali opere, eo ipso supponitur reipsa velle conferre beatitudinem exhibito eodem opere; id est, velle conferre summum præmium propter idem opus. Implicat igitur in terminis, reuelatio] de nullo præmio conferendo propter opus bonum iusti viatoris.

Art. 3. Respectu autem beatorum proptereà non viget ratio modo proposita; quia omnes eorum actus pertinent in genere causæ formalis ad conceptum beatitudinis ipsorum, vel substantialem, vel accidentalem propterea que sunt amabiles, ac eligibiles, tametsi nihil conferant ad vltimum finem in genere causæ meritoriæ, seu mediatè; cuiusmodi nihil conuenire potest vllis actibus proprijs viatoris, adeòque incompossibilibus cum beatitudine, saltem completa, & adæquata.

Ad 6. Peccatum lethale per se ipsum præcisè est priuatio non solùm rectitudinis actualis debitæ inesse operanti. vt dictum est quæst. 29. sed etiam gratiæ habitualis, vt dictum est q. 9. de iustificat. Vndè peccatum lethale se solo valet tantundem in ordine ad pœnam, & priuationem vitæ æternæ quantum valet concretum ex gratia habituali & opere bono, in ordine ad præmium, & consecutionem vitæ æternæ. Verùm quia ratio formalis peccati, totiusque indignitatis vitæ æternæ, in eo repertæ, consistit] adæquatè in priuatione, vt dictum est in q. illa 29.

atque

atque priuatio nequit esse principium effectiuum, & causa vllius effectus; fit planè, nullum peccatum præcedens secundum suam rationem formalem malitiæ, & indignitatis, posse esse causam vllius peccati deindè subsequentis, sed solùm secundum materiale peccati. Nullum igitur peccatum præcedens potest vilificare, ac deteriorare peccata vlla subsequentia, eorumque vim demeritoriam augere; sicut neque gratia habitualis potest dignificare actus bonos, eorumque vim meritoriam augere, nisi sit principium, & causa ipsorum, sicut dictum est. Patet autem ex ratione contraria gratiam habitualem posse esse principium, & causam bonarum operationum secundum rationem formalem bonitatis, & dignitatis conuenientis eidem gratiæ: quandoquidem tota ista dignitas, & bonitas consistit formaliter in positiuo, & quidem positiuo pertinente formaliter ad genus virtutis, & actiuitatis præstantissimæ, vt constat ex q. 4. de iustificat. Apparet igitur manifestè nullam esse rationem paritatis intentæ in obiectione. Plurimum laborant in assignanda ratione differentiæ inter prædicta extrema Cardinalis de Lugo, Ripalda, & quicumque alij non agnoscunt cum D. Thoma constitutionem formalem adæquatam malitiæ peccati, & indignitatis vitæ æternæ, per solam priuationem; neque quidquã inuenire vnquam potuere multis, ac multipliciter, & fusè hinc, & inde tentatis, quod satisfacere, & quietare intellectum possit. Vsque adeò falsi principij suppositio implicat in multis inexplicabiliter, nec est supplebilis vllis ingenij, vtcumque magni, maximis conatibus.

Ad 7. Nulla seu qualitas, seu dignitas operantis potest dignificare, aut peculiari aliquo valore augere opus; nisi influat in ipsum, sitque aliquomodo principiũ eius; quia dignitas otiosa, quà otiosa est nullatenus mouere potest ad remunerationem, sed potiùs ad pœnam. Patet au-

autem, qualitates, & dignitates prouenientes ex ſplendore paterno, ex officijs, alijſque eiuſmodi non poſſe exercere vllam cauſalitatem in opus, præterquàm mediante cognitione ſui; cum ſecundum ſe præcisè ſint denominationes extrinſecæ. At ſupernaturalis dignitas gratiæ poteſt influere per ſe ipſam immediatè in opera bona, tametſi omninò ignoretur ab operante. Quia ea dignitas eſt indiſtincta à virtute charitatis, quæ eſt operatiua per ſe ipſam, atque exercet veram cauſalitatem in omnia opera iuſti, qua iuſtus eſt, vt dictum eſt ſuprà. Conceſſo igitur antecedenti negatur conſequentia.

Ad 8. Nemini quidquam perit de gratia & gloria, & vtriuſque augmento; ſatisfactione, & impetratione ſuorum operum deſtinatis in fauorem aliorum, atque in alios effectiuè translatis. Imò eà vtriuſque in alios deſtinatione, ac translatione poteſt quiſque augere ſibi coronã gloriæ; quia vtrumque eſt opus charitatis, quæ eſt principaliter inductiua, & augmentatiua coronæ gloriæ. At vi meritoria gloriæ de condigno in alium translatà deperit operanti aliquid gratiæ, & gloriæ ſuæ; cùm hic ſit effectus operis cuiuſque, quatenus meritorium ſimpliciter eſt. Dictum autem eſt, neminem poſſe validè renunciare vlli ſuo iuri reſpectu vitæ æternæ, & reſpectu eorum; quæ requiruntur, & conferunt ad vitam æternam, & ad augmentum vitæ æternæ, eſto alijs quibuſuis iuribus renũcia e validè poſſit; circa quod expedit videre documenta tradita q. 16. de Iuſtitia à §. *Huius diſcriminis.* De Christo Domino alia longè ratio eſt; tum quia habuit beatitudinem propriã in ſummo gradu independenter à meritis: tum quia meritum eius fuit ſimpliciter infinitum, ideòque potuit alijs communicari abſque vlla ipſius Chriſti Domini iactura.

Art. 1. Ad 9. Libet indè inchoare reſponſio-

nem

atem, vbi fidentiùs, vt ibi dixi, ac fusissimè insistunt nonnulli ex aduersarijs nostris. Neque metalla habent intrinsecè ex sua natura rationē monetæ, & destinationem ad humana emptionis, & venditionis, aliaque similia commercia; nec vllus homo est intrinsecè ex sua natura operarius conductus ab alio homine in vineam ipsius; & propterea vtrobique requiritur libera cuiusque ciuis, aut Principis dispositio extrinsecùs superaddens, quod non inest intrinsecè entitati monetæ, & hominis, atque operum eius. At omnis homo est ex sua natura ordinatus essentialiter ad suam fœlicitatem, & ad obsequendum Deo in omnibus, atque ad laborandum in vinea eius. Omnia itidem opera bona hominis sunt essentialiter obsequia præstita Deo, quatenus ea intendenti; quia essentialiter sunt conformia, & intentiua suæ conformitatis cum voluntate Diuina nobis illa præscribenti, atque ordinanti ad fœlicitatem nostram, vt patet ex dictis suprà præsertim q. 20. & 21. de conceptu bonitatis moralis. Denique Deus est similiter ex essentia sua iudex viuorum, & mortuorum, remunerator bonorum operum, & vindex malorum operum, vt docetur sæpè in sacris litteris. Quapropter nulla hic opus est extrinsecùs superaddita ordinatione, promissione, contractu, aut acceptatione specialiter, ac seorsim libera, vltra voluntatem liberam tum Dei, quatenus volentis creare, & eleuare hominem, eundemque instruere suis, & legibus, & consilijs, tum hominis iusti volentis benè operari, & vti auxilijs ad id sibi gratiosè collatis. Patet igitur, obseruanti hæc, vel etiam leuissimè, nullam prorsus esse rationem, ne quidem apparentem paritatis intentæ in obiectione; neque pro ea dissipanda, opus aliquatenus esse ijs, quæ acutè alioquin, & diligenter, ac fuse prosequuntur in præsenti Vasquez, & alij de potestate Principum circa designationem valoris monetarum,

tarum.

tarum, deque necessitate contractuum, & promissionum ad mutuas hominum inter se obligationes.

Art. 2. Concilium Tridentinum, & Moguntinum vsque adeò non refragantur huic doctrinæ vt eidem quàm maximè faueant. Concilium namque Tridentinum præmissa ea laude bonitatis Dei, quatenus volentis, vt sint merita nostra, quæ sunt ipsius dona, immediatè subiungit sic. *Et quia in multis offendimus omnes, vnusquisq. sicut misericordiam, & bonitatem* (vnde sunt præmia) *ità seueritatem, & iudicium* (vndè sunt supplicia) *ante oculos habere debet*. Et deinde ex ista vniformi horum extremorum comparatione, infert vniuersaliter in fine capitis: *Qui ꝗ vt scriptum est reddet vnicuique secundum opera sua*; præmia scilicet secundum opera bona, & supplicia secundum mala. Agnoscit igitur Concilium vniformem dependentiam præmiorum, & valoris meritorij à bonitate, & misericordia Dei; nec non suppliciorum, & virtutis demeritoriæ ab eiusdem seueritate, & iudicio. Constat autem apud omnes peccata esse demeritoria, ac inductiua pœnæ ex sua natura, & non ex ordinatione Dei specialiter libera, & gratuitò superaddita. Ergo ex mente Concilij opera bona sunt similiter meritoria, & inductiua præmij ex sua natura. Iam synodus Moguntina, post verba obiectionis, luculentam subijcit nostræ sententiæ confirmationē, dicens: *Nō secundū humanas vires æstimanda sunt iustificatorum opera; sed secundum eam gratiam, quam in ipsos influit Christus, ex qua deinde bona ipsorum opera promanant: & secūdum eam dignitatem, quā de Spiritu sancto veluti omnis boni operis motore, & operatore sumūt. Sic enim extenuandæ vires humanæ, vt non simul & gratia Dei vilis reputetur.* (Prout vtique reputaretur si non reputaretur sufficiens ex se ad dignificanda opera, vt patet ex scopo præfixo) *sic in bono opere faciendo deprimenda est facultas hominis*.

nis, ut interim cogitemus Spiritus sancti motum (præstitum vtique per eius gratiam, de qua agebatur) *& in nobis efficacem, & apud Deum acceptum ac pretiosum esse*; ex natura videlicet sua, & ex dignitate, ac virtute sibi intrinseca, quæ, & non voluntas Dei extrinsecus superaddita contraponitur insufficientiæ, & vilitati naturæ nostræ secundum se.

Art. 3. Pro intelligentia igitur promissionis Diuinæ, cuius meminit Mouguntinum, nec non diuinæ bonitatis, quam specialiter exaltat Tridentinum præmissa itidem promissione sub initium illius capitis, distinguenda est in primis loquutio Dei propriè, & strictè talis, à diuina loquutione latè, & impropriè tali. Loquutio latè, & impropriè talis est indistincta ab ordine, & connexione physica aliarum cum alijs rebus quatenus productis à Deo, & eatenus manifestantibus intellectui nostro conceptus diuinæ sapientiæ circa res easdem. Loquutio verò propriè, & strictè talis fit per signa ad placitum ad hoc, vel vnicè, vel præcipue instituta, & exhibita, vt manifestent nobis cognitionem, volũtatemque Diuinam circa aliquid, quæ exponuntur ex professo quæst. 26. de Virt. Theol. §. *vt tamen*. Voluntas diuina retributiua manifestata nobis per locutionem diuinam latè, & impropriè talem, est promissio latè itidem, & impropriè talis, ac proindè indistincta à connexione physica quorũdam donorum cum alijs Dei donis. Hoc pacto pluuia desiderata ab agricola, & opportuna pro abundantia messis, est quædã diuina eiusdem abundantiæ promissio, & sic de similibus siuè conditionatis, siuè absolutis connexionibus, atque indè promissionibus. Voluntas vero diuina retributiua manifestata nobis per loquutionem propriè, & strictæ talem, est promissio propriè, & strictè talis, ac proinde purè gratiosè, ac liberaliter superaddita naturis & exigentijs intrinsecis rerum, quas præsupponit antè

te effectum inducendum per ipsam. Hoc pacto voluntas diuina cognita à nobis per fidem de infundenda gratia positis materijs, & formis sacramentorum cum debita intentione ministri, & dispositione suscipientis est promissio gratiæ propriè & strictè sumpta; & sic de similibus.

Art. 4. Dico igitur vim meritoriam de condigno gratiæ, & gloriæ conuenientem operibus iusti dependere, ex intentione vtriusque prænominati Concilij, ex promissione diuina latè solùm, & impropriè tali. Nempè ostensum est ex vtroque Concilio operationes iusti quatenus dignificatas per gratiam eius habitualem esse connexas ex natura sua cum præmio gratiæ, & gloriæ, atque esse sufficientes intrinsece ad inducendam vtramque, ac proindè vt vtramque infallibiliter inducant infallibilitate saltem ex natura rei, non indigere promissione Dei propriè, & strictè tali, tametsi hæc etiam detur de facto, vt liquet ex testimonijs scripturæ superiùs productis; sicut plures veritates cognoscibiles naturaliter sunt nihilominus reuelatæ à Deo reuelatione, & loquutione eius propriè, & strictè tali. In eundem sensum accipiendum id quoque est, quod dicitur in decreto 16. Concilij Senonensis propè finem. *Faciet tandem omnis misericordia locum vnicuique iuxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate quidem (neque enim condignæ sunt passiones huius sæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis) sed gratuita magis, & liberali repromissione, qua, conuentione facta de denario diuino, conduxit operarios in vineam suam.* In eundem, inquam, sensum hoc quoque accipiendum est, non solùm, quia id postulat auctoritas Concilij Tridentini superiùs ponderata, quæ est infallibilis, ideòque incomparabiliter præeminens Senonensi nondum approbato à Sede Apostolica; sed etiam quia ipsum Senonense gratuitam, & liberalem

voluntatem vocat, qua Deus conducit operarios in vineam; quam tamen voluntatem constituit iam esse omninò indistinctam, ac inseparabilem à voluntate creandi homines, eisdemque conferendi auxilia sufficientia ad operandum; & quia prætereà in fine decreti additur. *Qui vos, etsi seruos inutiles, sua misericordia dignos facit in partem sortis sanctorum*, ac proindè non vltra dignitatem, voluntate specialiter gratiosa, & liberali, sed iuxta dignitatem, voluntate iusta, & obligata per dona priùs collata, gloriam, & partē sanctorum retribuit. Quæ interpretandi ratio credibilior adhuc apparebit ex obseruatione sequenti.

Art. 5. Obseruandum itaque secundo est ex dictis q. 35. de Deo cum D. Thom, in omni opere Dei interuenire misericordiam, simul cum Diuina iustitia. Quia Deus vnumquodque facit secundum ordinem sibi congruentem, & tribuēdo illi omnia, quæ ipsi debentur secundum suam naturam; quod pertinet ad iustitiam. Quod verò aliquid alicui debeatur, prouenit ex voluntate purè gratiosa, & liberali Dei, qua primitùs voluit vt existant illæ entitates, ex quarum suppositione posteriores aliæ debentur, ita vt prima omnium debitorum origo sit voluntas diuina, purè gratiosa, & liberalis; quia verò actus voluntatis, quo Deus vult existentiam priorum illarum entitatum, est indistinctus non solùm realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè ab actu voluntatis, quo vult existentiam entitatum posteriorum, atque ideò tota collectio rerum creatarum tam debitarum illis, quàm quæ alijs debentur, procedit ab actu voluntatis prorsus indebito adæquatè secundum se totum, vt constat ex quæst. 22. de Deo; Concluditur totam rerum creatarum collectionem existere Deo illā volente liberaliter, & gratiosè, licet simul velit, vt quædam quibusdam alijs debeantur; vti debentur præmia positis meritis, vtpotè ortis, ac depen-

dependentibus à præcognitione Dei remuneratorijs.

Ad 10. Apoſtolus comparat paſſiones huius temporis ſecundum ſe, cum gloria æterna; ſub qua conſideratione patet nullam eſſe non ſolũ æqualitatis, ſed etiam proportionis rationem operis noſtri cum eo præmio, adeòque nullam eſſe alterius ad alteram condignitatem. Deindè vt complecteretur actus etiam internos, eoſque vt dignificatos per gratiam habitualem, negare nihilominus verè poſſet condignitatem abſolutam, ſumptam pro qualitate arithmetica, qualis eſt inter laborem diurnum, & mercedem eius temporalem; inter pretium iuſtum, ac mercem. Manifeſtum ſiquidem eſt maiorem bonitatis cumulum ineſſe beatitudini, quam inſit bonis omnibus, quibus ad beatitudinẽ diſponitur, & contendit viator. Qua de cauſa dicitur communiter, & veriſſimè Deum præmiare vltra condignũ ſicut è conuerſo dicitur Deũ punire citra condignum, quatenus plus mali eſt in peccato, quã in pœna peccati, vt liquet ex q. 7, de iuſtificatione. Cœterum hoc non tollit æqualitatem proportionis, & quaſi geometricam inter opus bonum, & gloriam, conſiderato opere bono, vt dignificato per gratiam habitualem, in cuius virtute continetur gloria, ſicut arbor continetur in ſemine vſque adeò minori; ratione cuius continentiæ dicitur eadem gratia pignus hæreditatis æternæ 2. ad Corinth. 1. 22. *Qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Non igitur deeſt operibus iuſtorum condignitas gloriæ, & vitæ æternæ eo ſenſu, quo cõmuniter aſſeritur à Theologis, & expoſita, atque aſſerta à nobis eſt; licet duplici alio ſenſu iam explicato eadem ijſdem deſit, & meritò negetur ab Apoſtolo expreſsè, & æquiualenter in alijs locis obiectionis, atque alibi frequenter negata reperiatur, vti fusè oſtendit inter alios Bernal diſput 4. de Incarnat. ſect. 5. perperam cona-

bo latus eiusmodi testimonia conuertere contra communem Theologorum sententiam, ac maximè D. Thomæ loco suprà indicato, cuius nimirum clarissimam doctrinam assertiuam ex professo condignitatis prædictæ respectu vitæ æternæ, interpretatur prædurè de vita æterna materialiter tantùm sumpta quoad æternitatem; cum tamen totus ille articulus tertius reddatur perabsurdus subintellecto hoc sensu purè materiali, vt patet vel leuiter consideranti eum articulum; & prætereà suppositio purè materialis verborum sit vniuersaliter aliena ab stylo, & formalitate D. Thomæ. Satius profectò fuisset ei auctori, si D. Pauli, aliorumque similibus testimonijs adhibuisset eam interpretationem, quam adhibet ibi D. Thomas, & ex ipso adhibita à nobis est propter auctoritates alias, & rationes superiùs productas.

Ad II. Tam necesse est ex natura rei, vt substantijs intellectualibus proponantur antè opus præmia, & supplicia, vtque eadem distribuantur post operationem, quàm necesse est ex natura rei, vt aquatilibus, volatilibus, & terrestribus animalibus attribuantur pinnæ, alæ, & pedes, vtque deindè non negetur motus, & cooperatio vnicuique congruens, & sic de alijs. Quia substantiæ intellectuales ex sua natura sunt æternæ, & immortales atque destinatæ ad finem æternæ similiter durationis obtinēdum per opera exhibita in instanti, aut intra breue tempus. Neque Deum eximit suum super omnia dominiū perfectissimum à necessitate, quæ dicitur ex natura rei, ad hæc exhibenda, imò quia perfectissimum est, est ex se determinatum, vt vnicuique adsit, & cooperetur iuxta eius naturam, vti demonstratum est multiplici argumento q. 28. de Deo, ac proinde, vt perducat hominē per operationes temporales ad finem, & præmium æternum. Vndè conceditur spontè Deum ad nullam omninò teneri retributionem ratione

rei

rei acceptæ, & vtilitatis alicuius præceptæ ex operibus nostris, quod solum docetur in testimonijs obiectionis, sed negatur, quod non teneatur ad retribuendum ratione suæ infinitæ perfectionis, cui repugnat vt perperam dederit possibilitaté bene, & malè operãdi, parendi, & repugnandi legibus, & cõsilijs suis iuxta dicta.

Ad 12. Dignissima est, quæ diligenter obseruetur differentia subtiliter tradita à D. Thoma de opportunitate miraculorum intra ordinem naturæ, deque eorundem inopportunitate intra ordinem gratiæ. Eam autem tradit 1.p.q.112 art.2. c.ad med. vbi præmissa quorundam opinione de Angelis; *quòd secundum communem legem superiores non mittuntur; sed inferiores tantùm Sed ex aliqua dispensatione Diuina interdum etiã superiores mittuntur*. Præmissa igitur hac opinione subiungit sic. *Sed hoc non videtur rationabile. Quia ordo angelicus attenditur secundum dona gratiarum. Ordo autem gratiæ non habet alium superiorem ordinem, propter quem prætermitti debeat; sicut prætermittitur ordo naturæ propter ordinem gratiæ.* Quæ ratio supponit vt certam doctrinam à nobis traditam in q. illa 28. de Deo circa impossibilitatem negandi bonum cuique connaturaliter debitum absque compensatione per aliquid melius, vel saltem æquale. Quod si ob eam rationem ordo gratiæ vniuersaliter est inalterabilis per miracula, multò patentiùs, ac satiùs est inalterabilis miraculosè ordo meritorum respectu vitæ æternæ. Quia certius, ac manifestius est vitam æternam, nihil habere superius, propter quod prætermitti debeat, seù quod sit melius vita æterna, atque ex sua natura incompossibile cum eadem. Et quidem per nullam potentiam posse negari præmia, & supplicia toti vniuersaliter collectioni operum bonorum, & malorum, ostensum est efficaciter ex Chrysostomi, aliorumque SS. PP. communi sensu in dicta 28. præsertim art. 18. atque in eam rem applicari potest secunda ratio, quam D.Th.

superaddit post verba modò relata *Considerandum est etiam, ait, quod ordo naturæ in operatione miraculorum prætermittitur propter fidei confirmationem. Ad quam nihil valeret, si prætermitteretur ordo angelicus.* Multò autem minùs ad eam valeret, sed magis ad oppositum, si prætermitteretur ordo meritorum ad gloriam; cum vnus præcipuus articulus fidei, & præcipuum stabilimentum fidei cæterorum articulorum & operationum, ad quas dirigit ipsa fides, sit assensus Dei remuneratoris iuxta illud. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & remunerator est.* Conceditur itaque omninò repugnare, vt Deus neget præmium vitæ æternæ meritis humanis saltem omnibus vniuersaliter in quo nullum est absurdum, sed magis in opposito. Quod si cui nihilominùs videatur aliquod opus meritorium, vel etiam omnia merita alicuius hominis determinatè, & in particulari destitui posse miraculosè præmio vitæ æternæ propter salutem plurium aliorum obtinendam mediante illa negatione præmij; sicut non audeo suffragari, ità non multum repugnauero: tum quia nihil id confert ad scopum obiectionis; tum quia semper est difficile discernere limites omnipotentiæ Dei præsertim operantis, quantum absolutè potest; vti familiariter suggero in similibus quæstionibus.

QVÆ-

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum omne opus bonum sit meritorium saltem de congruo quorumlibet donorum Dei?

VIDETVR non esse, 1. Quia nō subsistit suppositio distinctionis inter meritum de congruo, & meritum de condigno; quandoquidem in sacris literis, Concilijs, Augustino, alijsque Sanctis PP. ex quibus solis habetur tota notitia meriti gratiæ, & gloriæ; nullum est vestigium talis distinctionis. Et prætereà opus bonum, vel confert ius ad donum, quod erogatur à Deo post ipsum, idque reddit verè debitum operanti; vel non confert ius, neque donum reddit debitum. Si primum, nihil amplius desiderari potest ad rationem meriti de condigno. Si secundum nulla est ratio meriti; cum manifestum sit non dari tanquam merenti, quod ei non debetur.

2. Omnis virtus creata est limitata, & habens sphæram determinatam effectuum. Omnis autem virtus meritoria nostrorum operum, siuè de congruo, siue de condigno est creata, vt patet. Ergò omnis virtus meritoria nostrorum operum est limitata, & restricta ad præmium determinatum, ac proindè nulla ratio meriti nostri, etiam de congruo, potest illimitate extendi ad quælibet dona Dei.

3. Aliqua nostra opera bona sunt purè satisfactoria, fiuntque ex solo satisfaciendi intentione, vt ieiunia, flagellationes, & similia; aliæ verò sunt purè impetratoria, vt preces, & orationes. Ergò non omnia opera nostra bona

sunt meritoria, vel etiam de congruo:

4. Opera bona peccatoris impediuntur per peccatum, quominus quidquam apud Deum consequi possint; cum vis offensiua peccati sit incomparabiliter maior, quàm vis conciliatiua & behemerentia cuiuslibet boni operis. Ergò bona opera peccatoris ne quidem de congruo merentur quidquam apud Deum.

Sed contra est; 1. Quia quodcumque bonum contulerit Deus benè operanti, adeòque exhibenti aliquod obsequium ipsi Deo, non vtique collatum erit purè gratiosè, ac liberaliter, tametsi donum sit omnium maximum, & obsequiū sit omnium minimum. Quia pura gratia conferentis excludit omne obsequium accipientis gratum ipsi conferenti, atque ab eodem exactū, & acceptatum, quale dictum est esse omne opus nostrum bonum respectu Dei. Quodlibet igitur opus bonum nostrum habet aliquam rationem meriti saltem de congruo, respectu cuiusuis doni diuini.

2. Tam peccator, quàm iustus possunt mereri de congruo remissionem peccati, & iustificationem, tum ille sibi, tum vterlibet alijs, vti docet de iusto D. Thomas q. 114. art. 6. & alij communiter ibidem, etiam de peccatore. Remissio autem peccati, & iustificatio est summum opus Dei, ac proindè summum donum eius, vt dictum est ex mente Augustini q. 10. de Iustificat. ad 5. Ergò quilibet quouis opere suo bono potest mereri saltem de congruo quodlibet donum Dei vtcunque magnum.

3. Quo quisque maior, ac excellentior est eò magis, ac magnificentius decet, vt recompenset obsequia quæcunque sibi præstita. Dei autem excellentia est, summa & magnitudinis eius non est numerus, neque finis. Ergò nullum compensationis genus pro vllo obsequio præstito per creaturam diuinitati, potest esse maius, quam quod decet Deum vt retribuat. Meritum autem de congruo dicitur respectu eorum omnium,

quæ

quæ decet Deum, vt retribuat. Ergò vis meritoria de congruo inest illimitate cujusuis operi bono, respectu quorumlibet donorum Dei.

Art. 1. Respondetur. Reperiri in operationibus humanis bonis saltem aliquibus vim aliquam meritoriam propriè, & sine metaphora talem, meritò condigno inferiorem, & aliquomodo minus efficacem, quantum est ex se; est sententia vsque adeo communis, & indubitata Theologorum cum D. Thoma qu. 114. art. 6. & apud Magistrum dist. 27. vt absque manifesta temeritate, nequid dicã amplius, negari minimè possit. Probatur efficaciter; quia in primis iustificationẽ, & remissionẽ peccatorũ suorũ nullus peccator potest mereri de cõdigno, seù merito simpliciter tali, vt definit apertè Cõcilium Tridentinũ sess. 6. cap. 8. Et colligitur ex 3. ad Rom. 23. *Omnes enim peccauerunt. & egent gloria Dei. Iustificati gratis* (in Græco legitur. *Iustificantur autem gratis*) *per gratiam ipsius, per redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu.* Et cap. 4. 6. *Sicut, & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.* Et ad Titum 3. 5. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* In quibus exclusio operum est exclusio meritorum vniuersim omnium, seu operum, quatenus merentium iustificationem, non solum adæquatè sumptam inclusõ primo quoq; eius initio, sed etiam sumptam inadæquatè pro vltimo eiusdem complemento (quod est infusio gratiæ habitualis) vti pluribus efficaciter, inter alios, suadet Vasquez. Constat præ erea ex q. præcedenti art. 12. Nullos actus disponentes ad iustificationem, eãdemque, seu tempore, seu natura priores, esse posse meritorios de condigno eiusdem iustificationis, seu gratiæ habitualis, & gloriæ.

Art. 2. Ex alia verò parte potest nihilominus peccator, per actus bonos præeuntes ad iustificationem, mereri aliquatenus, nempè merito, secundum quid, & de congruo eandem iustifica-

tionem, quoad vltimum ipsius complementum, & quo ad alia dona inter media subsequentia ad primum eius initium, cuius initij exceptio exponetur, & stabilietur q. 35. Suadetur assumptū efficaciter primùm ex illo ad Hæbr. 3. 16. *Beneficentiæ autem, & cōmunionis nolite obliuisci. Talibus enim hostijs promeretur Deus*; id est *placatur*, vt vertit Augustinus lib. 15. de Ciuit. c. 5. Placari autem solùm est respectu antecedenter peccatoris; nec est absque vllo eius merito, cum obtinetur præuijs eiusdem operibus bonis. Deindè orationibus peccatoris veniam humiliter petentis inest vis aliqua impetratoria apud Deum. Ergò operibus eiusdem bonis inest vis aliqua meritoria apud eundem. Antecedens, cui suffragatur D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16. colligitur ex illa parte parabolæ apud Matth. 18. 32. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me*; & Lucæ 18. 14. vbi de Publicano orante: *Deus propitius esto mihi peccatori*; subiungit Christus Dominus. *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, Pharisæo superbo. Quo exemplo August. tract. 48. in Ioan. versus finem refellit cæcum dicentem 9. Ioan. 31. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit*; adeòque sentit Augustinus Publicanum orasse adhuc peccatorem, & nihilominus fuisse exauditum. Id quod cum meriti etiam expressione, docet iterum clarè lib. 2. contra Epist. Parmen c. 12. sub initium. Probatur iam consequentia, quia peccatum nullo ex capite potest esse magis impeditiuum virtutis meritoriæ, quàm impetratoriæ, sed forte minus, quia efficacia orationis innititur gratia, & beneuolentia, cui opponitur magis odium aduersus peccatorem, quàm iustitiæ, quà aliquatenus innititur meritum, & exigentia recompensationis. Denique maior aliqua spes concipi potest de iustificatione, & salute peccatoris assidui in eleemosynis; mortificationibus, orationibus, alijsque pietatis operibus, quàm eius, qui nihil tale agit, aut rarò

agit.

agit. Qua de causa Sancti PP. solent ad eiusmodi opera enixè hortari peccatores, tanquam inde obtenturos misericordiam Dei, vt obseruat Suarez ex Bellarmino, & Vega; atque hic profectò videtur esse communis fidelium sensus, peccatorem exercitio bonorum operum adijcere adminiculum aliquale spei salutis suæ, cuius tamen concipiendæ nullum posset esse fundamentum ex operibus in statu peccati, si nulla illis omnino inesset vis meritoria iustificationis, & remissionis peccatorum.

Art. 3. Confirmantur hæc validè, quia Augustinus efficacissimus impugnator meriti humani non procedentis ex gratia, tum perfecti aduersus pelagianos tùm imperfecti aduersus semipelagianos, atque huius distinctionis oculatissimus obseruator, concedit nihilominus fidei ortæ ex auxilio gratiæ Dei impetrationem, & meritum aliquod iustificationis, consequentis vtique ad ipsam fidem elicitam à nondum iustificato, cum præmium sit saltem natura posterius, quam meritum, vt apparebit ex dicta q. 35. Depræhenditur ea mens Augustini ex epist. 105. *Neque ipsa*, ait, *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei*. Rursus epist. 106. *Si quis dixerit, quod gratiam benè operandi fides mereatur, negare non possumus*. Et mox interposita obiectione *Cum fides*, subijcit, *meretur iustificationem, non gratiam* (actualem) *aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia* (itidē actualis) *meretur augeri* (per auxilia propinquiora iustificationi) *ut aucta mereatur, et perfici* obtenta videlicet iustificatione. Quē esse legitimū sensū patet consideranti contextū, & scopū Augustini. Verū id nulla indiget cōsideratione, sed sola simplici lectione, quod habetur c. 2. de prædest; SS. ac deinceps, ibi enim clarè, ac fusè concedit fidei peccatoris, respectu vlterioris gratiæ perducētis ad complementum perfectæ iustificationis, rationem meriti, inchoatiui, & imperfecti, quā

le intendebant Massilienses respectu ipsius fidei; solùmque, aduersus ipsos, & aduersus priorem sui ipsius errorem, contendit fidem esse ex auxilio gratiæ Dei, nec sine ipso præueniente omne meritum, esse posse; atque hoc idem, & nihil prætereà aliud tradit circa hoc punctum lib. 1. retractat. c. 23. à medio: Nimirum initium fidei non esse ex nobis, vt olim dixerat in expositione Epistolæ ad Romanos, sed ex gratia Dei præueniente omnia qualiacunq; merita nostra, vt posteà sæpè, ac constanter docuit aduersus Pelagianos, & semipelagianos. Vndè consequẽter vbique deinceps docuit iustificationem sumptam adæquatè pro tota serie conuersionis ad Deum non esse ex nobis, sed ex gratia. Cæterum fidem, quæ est ex pura gratia nullis vllius generis præcedentibus meritis nostris, esse aliquo modo meritoriam aliorum subinde auxiliorum gratiæ, quibus augeatur prior gratia vsque dum perueniatur ad perfectionem, & vltimum cõplementum iustificationis per gratiam habitualem, quod docet clarè in locis nuper indicatis, atque in eum sensum vindicatis fusè à Vasquez aduersus nonnulla effugia Dominici Soto, quæ ipsa insufficienter à nobis præoccupata sunt. Hoc inquam non retractauit vnquam Augustinus, sed magis confirmauit in libris retractationum.

Art. 4. Ex his igitur omnibus inuicem collatis apparet admittendum omninò esse meritum aliquod merito de condigno inferius, & minùs efficax; quandoquidem respectu primæ gratiæ iustificantis & respectu dispositionum eius nequit dari meritum de condigno in iustificato; & tamen in eodem dari potest meritum aliquod inferioris conditionis respectu eorundem donorum supposito purè gratis initio fidei. Confirmatur, quia iustus potest alij existenti in peccato mereri aliquo modo remissionem peccatorum, & primam gratiam, vt docent D. Th. in dicto art. 6. & alij communiter, & ità omninò dicendum est, ne alioquin cogamur dicere

viros

viros sanctos perperam quàm plura tentare, ac perficere, vt obtineant à Deo conuersionem peccatorum; & tamen constat ex q. præcedenti neminem præter Christum posse quidquã cuiquam alij mereri de condigno. Meritum autem inferius merito de condigno dicitur communiter meritum de congruo qualecunque demum aliàs sit, & vndecunque decidat à condignitate. Patet igitur admittendam esse communem meriti diuisionem in condignum, & congruum, seu in meritum simpliciter, & meritum secundum quid.

Art. 5. Est tamen difficile assignare prædicatum, per quod, alterum ab altero formaliter differt. Quia communis in primis vtrique est voluntarietas, atque libertas operis meritorij. Quà videlicet seclusà opus non est imputabile operanti, vt liquet ex quæst. 27. & maximè 18. ideòque mouere neminem potest in fauorē, aut nocumentum ipsius operantis. Communis verò est libertas ad actus inæquales; quia quæ est ad actus æquales non est sufficiens ad dignitatem laudis, & consequenter, neque ad meritũ, vt constat ex q. 19. Et quod ad meritum attinet confirmatur ex q. 31. in qua ostensum est contemptum liberum, & arduum commodi temporalis esse de conceptu meriti; Manifestum autem est huiusmodi libertatem dari non posse in eo, qui tantum est liber ad actus omninò æquales inter se; quandoquidem actus cum arduitate, contemnens commodum temporale nequit esse æqualis actui non contemnenti, seù amplectenti illud. Communis deindè est vtrique merito bonitas operis; qua videlicet seclusa nequit opus placere Deo, ac proindè nec mouere Deum ad vllam compensationem. Communis tertio est ex loco modò indicato victoria commodi temporalis contradicentis existentiæ actus honesti, aut taliter honesti. Qua videlicet seclusà victoria nullos operans fecerit sumptus, ratione quorum sit capax recompensationis. Commune

quartò est vtrique merito, vt siquidem sit exigitiuum præmij supernaturalis; sit & ipsum opus intrinsecè supernaturale; quia quod est intrinsecè naturale nullam prorsus proportionem habere potest cũ vllo dono supernaturali, ideòque nullam, ne quidem imperfectam potest cõtinere in se exigentiam inductiuam illius, vt iam suppositum est supra ex dictis, & multipliciter confirmat. q. 7. de gratia. Quia verò omnes actus supernaturales, vel sunt actus charitatis, vel dependent essentialiter ab imperio saltem inefficaci charitatis, vt dictum est cum D. Th. q. 41. de virt. Theol. sub initium, ac deinceps; communis denique est vtrique merito essentialis dependentia mediata, vel immediata à motiuo charitatis eo modo, quo ibi explicatum est. Hæc igitur omnia sunt communia merito condigno, & congruo.

Art. 6. Neque verò differunt inter se vniuersaliter ex eo, quod meritum condignum sit opus proprium iusti; congruum verò non iusti. Quia licet nullum opus factum à non iusto possit mereri de condigno vllum præmium; atque omne opus bonum proprium iusti sit meritorium gratiæ, & gloriæ de condigno; fieri nihilominus potest, vt opus iusti sit meritorium tantum de congruo respectu præmij alicuius particularis, vt paulò prius dictum est ex D. Thom. Aliundè igitur explicare oportet per quid differat opus quatenus meritorium de condigno, ab opere quatenus meritorio tantum de congruo. Accedit opus quoque factum à peccatore, seu non iusto posse esse meritorium de congruo respectu alicuius doni diuini; simulque non esse meritorium nequidem de congruo respectu alicuius alterius doni; vt paulo post dicetur; ac proindè ex hoc etiam capite opus esse alia regula congruitatis, & non congruitatis, seu defectus cõgruitatis in opere meritorio; præterquam esse factum à iusto, vel peccatore.

Art. 7. Prætereà neque ex eo præcisè differunt

runt, quod ratione meriti congrui non redditur propriè, ac strictè debitum præmium, quod ipsi rependitur, sed confertur ex sola quadam decentia, quatenus decet magnitudinem, maiestatemque diuinam, vt illud retribuat, tametsi absolutè non teneatur retribuere; ratione verò meriti condigni præmium reddatur omninò debitum, & conferatur à Deo ex virtute iustitiæ. Hoc, inquam, discrimen, tametsi insinuatum à D. Thoma in dicto art. 6. atque à Suarez, & alijs communiter receptum, non quietat intellectum, si plusculum aliundè non promoueatur. Primum quia quod nullatenus debetur propriè, & strictè, confertur propriè & strictè ex pura liberalitate, & purè gratiosè. Est autem contra conceptum meriti, & præmij, vt sic, quod hoc illi succedat, atque superaddatur ex pura liberalitate propriè, & strictè tali, purèque gratiosè. Huiusmodi enim superadditio, seu retributio nihil re ipsa differt propriè, & strictè à donatione liberali, nullum prorsus præsupponente meritum, atque eo ipso excluditur ab opere meritorio omnis exigentia intrinseca præmij, quam tamen exigentiam dictum est q. 30. ex communi consensu esse de quidditate meriti, vt sic. Deinde quod dicitur, Deum conferre quædam præmia præcisè, quia decet se, vt ea conferat; alia verò ex iustitia, & quia debet; supponit falsum. Quia Deus non habet aliam suarum operationũ regulam, quàm decentiam, & dedecentiam, seu non decentiam earum respectu sui; idque est sibi iustum, quod se decet; id verò iniustum, seu non iustum, quod dedecet, seu non decet. Nec est considerabilis alia ratio iustitiæ, vel iniustitiæ respectu diuinæ voluntatis, vt liquet ex dictis q. 19. de Iustitia, vbi ostensum est repugnare Deo iustitiam commutatiuam, & distributiuam propriè talem. Præterea cum dicitur decere Deum, vt conferat præmium correspondens merito congruo; vel intelligitur decere positiuè, & negatiuè, ita vt dedeceat non con-

ferre illud; & tunc tribuitur merito congruo vis inferendi præmium cum metaphysica infallibilitate, ac necessitate, cum sit metaphysicè impossibile, quidquid dedecet Deum; ac proindè meritum congruum astruitur tanti reipsa momenti, & æstimationis, atq; meritum condignū. Vel intelligitur decere tantum positiuè, ità vt oppositum etiam deceat. Et tunc meritum congruum adstruitur nullius prorsus momenti, nullamque, vel leuissimam fundans spem obtinendi præmij. Quia quidquid decet Deum æquè facilè contingere potest, nullaque proindè certitudo, immò nulla, vel etiam leuissima suspicio esse potest, quod id non eueniet, vt ostensum est q. 28. de Deo.

Art. 8. Simili argumento refellitur discrimen quod assignat Vasquez; nempè merito de congruo deberi à Deo præmium ex sola gratitudine; merito verò de condigno deberi ex iustitia legali. Inquiro enim, vel merito de congruo ità debet Deus præmium ex gratitudine vt incideret in vitium ingratitudinis negato præmio; vel ità vt nullam vllius vitij labem proptereà incurreret. Si primum, meritum de congruo ex suo conceptu induceret præmium tanta cum infallibilitate, & necessitate, atque meritum de condigno, quandoquidem chymericum id est, vndè aliqua vitij labes redundat in Deum. Si secundum, meritum de congruo nullā prorsus spem faceret futuritionis præmij; quia æquè facilè contingit, quidquid Deus facere potest absque vlla vllius vitij labe. Accedit repugnare Deo virtutem gratitudinis, vt liquet ex q. 19. de Deo ad 3. idq; à fortiori sequitur ex fundamento, quo idem Vasquez toties & tanto conatu excludit à Deo iustitiam commutatiuam; quia videlicet Deus non est capax accipiendi vllius beneficij, & potius est beneficus nobis, tùm nos benè operamur; & tenemur agere ipsi gratias propter qualecumque opus nostrum bonum. Vndè ad nullam vllo titulo retributionem

teneri potest ex re accepta, multo verò minus ex beneficio sibi collato, & ex virtute gratitudinis.

Art. 9. Demum neque id discrimen vniuersaliter est verum, quod nonnulli alij tradunt ad meritum condignum subsequi præmium necessariò, ac infallibiliter; ad meritum verò de congruo contingenter, & probabiliter tantùm. Cōtra namque est, quia iuxta communem, eandemque veram sententiam, vt supra dictum est, actus adæquatè disponentes ad iustificationem, inter quos, saltem extra sacramentum, est dilectio Dei super omnia, merentur de congruo tantùm ipsā iustificationem, & remissionem peccatorum; & tamen hæc consequitur infallibiliter, & cum necessitate metaphysica ad dilectionem Dei super omnia vt liquet ex q. 8. de Virt. Theol: præsertim ad 6. Deinde superest explicandum huic sententiæ, qui fieri possit, vt actus aliquis noster bonus reddat probabiliorem futuritionē, quàm non futuritionem alicuius præmij, quin illam reddat omninò certam, & metaphysicè necessariam; cùm vt nuper dicebatur, quidquid Deus facere absolutè potest; æquè facilè facere possit. Vnde videtur, quòd nulla maior spes, aut probabilitas esse possit ex natura rei de futuritione potius, quàm non futuritione præmij, quod Deus absolutè, & simpliciter negare potest.

Art. 10. Dicendum itaque est meritum de congruo per hoc vniuersaliter differre à merito de condigno, quòd ratione meriti de congruo, vagè solum, ac disiunctiuè debetur merenti præmium attentā magnitudine bonitatis quæ inest operi, cæterisque æstimabilitatis titulis, ac circumstantijs tenentibus se ex parte merentis, & independenter à peculiari aliqua Dei reuelatione, ac promissione; ratione verò meriti de condigno debetur præmium merenti omninò determinatè sub eadem consideratione Et quidem nouum non est in ordine rerum etiam purè

phy-

physico, & naturali, vt aliqua debeantur vagè, & indeterminatè; alia verò omninò determinatè. Homini enim debentur determinatè caput, cor, pectus, & alia eiusmodi; at pulchritudo, bona indoles, acumen ingenij & similia debentur vagè, & indeterminatè tantum; ita vt priora illa nulli deesse possint ex natura rei; posteriora hæc singulis determinatè sumptis deesse possint, omnibus collectiuè deesse non possunt ex natura rei. Quod enim omnes homines nascerētur deformes, malæ indolis, aut stulti; esset procul dubio contra exigentiam intrinsecam naturæ, neque id naturaliter euenire potest. Quia perfectiones oppositæ eiusmodi defectibus sunt homini connaturales, cum futuræ essent supernaturales quoad substantiam, vt liquet, ex q. 6. de gr. si non modo singulis distributiuè, sed etiam omnibus collectiuè negari possent absque miraculo. Similiter repetenti sæpè actus circa aliquod obiectum debetur ex natura rei determinatè habitus dans facilitatem ad actus similes. Quòd autem idem habitus per totam vitam perseueret incorruptus, non debetur ex natura rei determinatè, sed tantum indeterminatè, & vagè. Constat non deberi determinatè, quia plures eiusmodi habitus corrumpuntur de facto per actus & habitus contrarios ante finem vitæ; cum, quæ debentur determinatè ex natura rei, nunquam cuiquam desint vi agentium naturalium. Constat rursus deberi nihilominus indeterminatè, & vagè; quia ijdem habitus dum inclinant ad actus similes prioribus, eo ipso inclinant saltem indirectè ad augmentum, & intensionem sui; idest ad maiorem remotionem à cōtrario valenti ipsos corrumpere, ideòque ad conseruationem sui. Nulla autem inclinatio indita à natura est frustrabilis vniuersaliter ex natura rei, Quia nihil natura perperam facit. Perperam autem esset inclinatio indita toti alicui generi, aut speciei, quæ in nullo indiuiduo induceret terminum suum. Alia præterea sunt huius-

iuſmodi innumera in natura,] quæ debentur ind determinatè, & tamen ſunt indebita determinatè vnicuique indiuiduo ſeorſim ſumpto ; cum certum ſit quædam alia deberi ſingulis determinatè.

Art. 11. Quod autem hoc pacto differant, quæ debentur ratione meriti condigni, & ratione meriti congrui ; nulla indiget probatione quoad alteram partem de merito condigno, cum ſit in confeſſo apud omnes, & conſtat clarè ex q. præcedenti, nulli merenti aliquid de condigno negari vnquam à Deo de facto, vel etiam negari poſſe ſaltem ex natura rei ſuppoſitis ijs omnibus quæ pertinent ad conſtitutionem meriti condigni in ratione talis. Quoad alteram verò partem de merito congruo ſuaderi facilè poteſt ex ijs, quæ in ſuperiori diſcurſu præmiſſa ſunt. Quia, qui iuſtificantur dependenter à propria libera diſpoſitione, iuſtificantur vtique dependenter à merito ſuo congruo iuſtificationis, & remiſſionis peccatorum. Ij autem dicuntur in primis, & verè ſunt iuſtificati gratis, & accipiunt à Deo donum indebitum ipſis abſolutè, & ſimpliciter, atque negabile ab eodem abſque iniuſtitia, & abſque miraculo, vt liquet ex art. 1. Patet autem non ità dari, & accipi, quod vnicuique determinatè ſumpto debetur ex natura rei propter opus ſuum. Deindè ijdem iuſtificantur præexiſtente peculiari ſpe, & probabilitate obtinendæ ſuæ iuſtificationis, & remiſſionis peccatorum ſuorum fundata in præuijs ſuis actibus bonis, vt liquet ex art. 2. Id autem ; quod ne quidem disiunctiuè, ac vagè debetur ex natura rei, facta aliqua ſuppoſitione, non redditur ſpecialiter ſperabile, ac probabile ex eadem ſuppoſitione. Quia omnis pura probabilitas maior electionis Diuinæ caſuræ in vnam potius partem quàm in oppoſitam, circa aliquod particulare determinatè ſumptum. Fundatur in neceſſitate metaphyſica vaga, vt Deus, eo determinatè modo

dò eligat, & non opposito circa aliquod indiuiduum contentum in collectione, ad quam pertinet illud particulare; nec eadem maior probabilitas aliter subsistere potest, vt efficaciter ostensum est q. illa 28 de Deo. Rursus quod non debetur alicui determinatè, licet debeatur eidem indeterminatè, & vage, absolutè dicitur conferri gratiosè, & liberaliter; sicut dictum est conferri peccatori, vtcunque disposito, suam iustificationem, & remissionem peccatorum. Quia videlicet potuit ipsi absolutè negari absque vlla iniustitia, & violentia. Idem autem similiter verificatur in cæteris omnibus, quæ ex communi consensu cadunt sub meritum tantum de congruo. Patet igitur istam meriti congrui expositionem, eiusque differentiam à merito condigno consonare communi, circa veriusque naturam, sensui reali, atque ex eodem legitima, & necessaria deductione inferri.

Art. 12. Inde autem vlterius deducitur nullum esse donum Dei purè creatum, cui propter magnitudinem suæ bonitatis, & excellentiæ repugnet, vt cadat sub meritum congruum hominis etiam peccatoris. Patet hoc in primis à posteriori ex dictis art. 1. & 2. Quia nullum donum purè creatum est intrinsecè maius, quam gratia habitualis simul cum gloria, cuius ius, & vis necessariò inductiua inest eidem gratiæ; & si quidem cõsideretur difficultas obtinendi vtrumque istud tam magnum donum, nulla potest esse maior, quam quæ prouenit ex peccato lethali. Et nihilominus potest, tũ peccator sibi ipsi, tum iustus alij existenti in peccato mereri de congruo gratiam, & gloriam simul cum remissione peccatorum, vt ibidem dictum est. Nihil igitur purè creatum ob magnitudinem suæ bonitatis, aut difficultatis, vt concedatur alicui à Deo, excedit limites meriti congrui puræ creaturæ. Probatur idem rursus à priori, quia homo ex sua natura essentialiter est ordinatus ad suam

bea-

beatitudinem, ideſt ad ſummum ſuum bonum, & ad ſummum donum Dei conferibile ſibi manē-ti puro homini. Conſequenter cætera omnia conferibilia homini viatori à Deo catenus præ-cisè ſunt bona eidem, ſiue iuſto, ſiuè peccatori, habentque rationē donorum Dei, quatenus con-ferunt mediatè, vel immediatè; proximè, vel re-motè; ſe ſolis ſeorſim, vel coniunctim cum alijs ad conſequutionem vltimi finis. Quia bonum diuiditur adæquate in finem, & media; atque de ratione medii eſt, vt iuuet, ac conferat ali-qualiter ad conſequutionem finis. Omnia igitur dona Dei collata homini viatori, ideòque non-dum conſequuto ſuum vltimum finem, ſunt ex ſe idonea, quæ iuuent illum, ſiue iuſtum, ſiuè pec-catorem ad conſequutionem ſui vltimi finis. Auxilia autem ſupernaturalia gratiæ actualis, ſiuè iuſto, ſiuè peccatori collata ſunt dona Dei, & quantum eſt ex ſe vtilia accipienti. Neq; verò vtilia aliter eſſe poſſunt, quam inducendo actus bonos, & impediendo actus malos; cum nihil aliud præſtare poſſint immediate per ſe ipſos, vt patet. Vndè ſi nulla prorſus ineſſet vis vel actibus, quibuſuis malis ad impediendum demeritoriè vltimum finem, vel actibus quibuſuis bonis ad inducendum eundem meritoriè, ſaltem mediatè; nulla profectò eſſet abſolutè vtilitas auxiliorum gratiæ Dei. Quia quod ſolum eſt v-tile ad inducendum aliquod inutile, aut ad impe-diendum aliquid nullatenus nocens, abſolute eſt inutile. Omnis autē inutilitas, & vis nociua actuū malorū, & bonorum reducitur ad cauſalitatem moralē meritoriā & demeritoriā. Quia indepē-denter ab hac cauſalitate nihil in eis apparet, quo prodeſſe, aut nocere poſſint. Nempe illa ip-ſa ratio diſpoſitionis, & indiſpoſitionis ad vlte-riora dona Dei, quæ illis tribuitur, non aliter ab eiſdem exercetur, quam mouendo voluntatem diuinam, media cognitione bonitatis, & malitiæ ſuæ moralis, atque complacentia, & diſplicentia

de ipsis ad concedendum, vel subtrahendum eadem illa dona diuina. In hoc autem motionis modo, ac genere consistit formaliter conceptus meriti, ac demeriti. Inest igitur actibus bonis supernaturalibus tam peccatoris, quam iusti vis aliqua meritoria vitæ æternæ, & consequenter remissionis peccatorum, si hæc præexistant; sicut actibus malis inest vis aliqua demeritoria vtriusque eius boni; idest inest illis vis aliqua meritoria summi doni Dei inter purè creata, & summè difficilis, quod concedatur.

Art. 13. Non tamen inest immediatè vis hæc meritoria vtriusque eius doni omnibus, & quibusuis actibus supernaturalibus, sed quibusdam immediatè; & quibusdam alijs tantum mediatè. Sicut enim in ordine rerum naturali, & physico, quæ remotissimè distant à fine eatenus præcisè iuuant ad consequutionem finis, quatenus inducunt aliquid propinquius ipsi fini, atque in hoc inducendo totam suam vim impendunt & sic gradatim proceditur: ità etiam in ordine supernaturali, & morali ab infimis ad summa dona serie quadam, & ordine congruo peruenitur. Vndè prima auxilia gratiæ ad credendum dantur omninò gratis absque vllo prorsus merito ipsius credentis. Deindè primus actus fidei disponit ad habitum fidei, eundemque meretur de congruo. Tertio actus posteà eliciti per habitum fidei merentur de congruo auxilia gratiæ ad sperandum, & per primum actum spei inducitur similiter habitus spei. Rursus actibus spei coniunctis cum actibus fidei, vel solis, vel etiam superadditis alijs actibus virtutum moralium, prout cuique placet, conscēdit animus ad actum dilectionis Dei. Cui actui inest vlterius vis immediatè meritoria de congruo respectu iustificationis, & remissionis peccatorum. Qua demum superueniente incipiunt subinde fieri opera meritoria de condigno gratiæ, & gloriæ; vt dictum est in q. præcedenti. Et

sanè

sanè hoc ferè ordine procedere vim meritoriã de congruo nostrorum actuum, neque actus inferiores dilectione Dei mereri de congruo, immediatè, sed tantum mediatè iustificationem, & remissionem peccatorum, ex eo apparet certũ. Quia infidelis incipiens credere, ac deindè sperare, nondum propterea est immediatè dispositus, ac idoneus, cui infundatur gratia habitualis, & remittantur peccata, vt liquet ex q. 10. de Iustificat. Esset autem optimè ad id dispositus, ac idoneus immediatè per eos actus, si iam per eosdem immediatè mereretur de congruo, tantum ac tam difficile donum Dei. Quis enim neget esse iam optimè dispositum, ad accipiendum aliquid, eum, qui illud iam meretur de congruo, & cui proindè congruum iam est, vt id donetur; atque necesse omninò est, vt eidem, vel alicui alij nihilo melius se habenti conferatur de facto, iuxta expositionem congruitatis nuper præmissam.

Art. 14. Simili ratione deducitur cum D. Th. dicta q. 114. art. 7. & aliis aduersus aliquos alios non posse iustum mereri sibi de congruo reparationem post lapsum. Quia auxilia gratiæ, quæ conferuntur iusto ordinantur immediatè ad perseuerantiam eius in gratia, atque ideò actus ex illis procedentes, vim omnem suam meritoriam impendunt in vlteriora dona, & auxilia gratiæ, quibus vnusquisq; successiuè perseuerat pro singulis partibus tẽporis succedẽtibus immediatè ad vnamquamq; eiusdem partem, pro qua bene operatur, & vtitur donis gratiæ iam præhabitis. Quæ sanè dona, & auxilia gratiæ inductiua vlterioris semper perseuerantiæ in gratia, sunt materia adæquate sufficiens explendæ toti virtuti meritoriæ de congruo, quam exercent respectu ipsius operantis quælibet, & quantalibet cuiusuis iusti opera bona. Vnde si quis virtuti meritoriæ præcedentium suorum operum bonorum, & auxilijs gratiæ Dei concessis intuitu illorum contradicat, atque impedimentum apponat per

sub-

subsequens peccatum, nullum sibi superest meritum, vel etiam congruum remissionis eiusdem peccati, sed oportet, vt sola, ac pura misericordia Dei innixus incipiat ædificare de nouo, propter totalem à fundamentis euersionē prioris ædificij spiritualis per subsequens peccatum lethale abolitiuum omnis prioris meriti. Quod non leuiter confirmatur ex Ezech. 18. 24. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem &c. Omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Perinde igitur nihil valent, nihilque mouere Deum possunt opera antecedēter iusti in sensu composito peccati deindè subsequentis, atque *si nulla deinceps maneret eorū memoria apud Deum*; id est perindè omninò, atque si nunquam extitissent. Quod si non obstātē peccato adhuc nihilominus retinerēt vim aliquam meritoriam, vtcunque tenuem, & spem aliquam fundarent, tametsi valde exiguam reditus in gratiam, & amicitiam Dei; non vtique abirent in oblinionem ratione peccati. Ergò operibus iusti nulla inest vis meritoria respectu præmij conferendi ipsi post peccatum, & quæ mansura sit in sensu composito peccati.

Art. 15. Verum hoc non tollit quominus, ijsdem operibus iusti insit vis meritoria de congruo respectu alienæ iustificationis, & reparationis post lapsum, vt docet D. Thomas loco nuper indicato. Quia videlicet auxilia gratiæ collata iusto ordinantur à Deo, primo quidem, ac principaliter ad salutem ipsius ea accipientis, eisdemque cooperaturi secundario verò, ac minus principaliter ordinantur in salutem etiā proximorum, quibus, tametsi peccatoribus, per charitatem, & dilectionem Dei coniungitur. Quapropter iustus potest sibi mereri efficacius, & de condigno gratiam, & gloriam; simul tamen potest aliis quoque mereri, tametsi peccatores sint, minus efficaciter, & de congruo præsertim cum, vt dicit D. Thomas, rationabile sit, ne

Deus

Deus omninò despiciat opera, & labores, quos impendit homo per amicitiam sibi coniunctus, pro ijs, qui sunt itidem coniuncti aliquatenus eidem homini ratione charitatis erga Deum. Apparet igitur ex his omnibus quodlibet donum Dei purè creatum, quod attinet ad magnitudinẽ tum suæ bonitatis, tum difficultatis interpositæ à creatura, posse cadere sub meritum congruum puræ creaturæ; sed non cuilibet operi inesse, vniuersaliter, & promiscuè vim meritoriam de congruo cuiuslibet doni diuini, & multo minus quorumlibet donorum Dei copulatiuè, aut etiã respectu cuiuslibet subiecti pro quibusuis circumstantijs. Quæ secunda pars conlusionis innotescet magis in progressu.

Ad 1. Partis negantis. Constat iam ex dictis reperiri reipsa in sacris documentis distinctionẽ meriti condigni, & congrui, adeòque istas voces idoneè inductas esse à Theologis. Constat item, ius ad præmium, aliud esse determinatum, aliud vagum; atque illud esse proprium meriti condigni, istud verò meriti congrui. Qua distinctione iuris, ac debiti euanescit ratio obiectionis.

Ad 2. Dictum similiter est non deberi quodlibet donum Dei cuilibet operi etiam de congruo. Vnde vis meritoria de congruo cuiuslibet operis est finita, & limitata. Deindè quia prima dona Dei sunt principium omnium nostrorum meritorum, atque principium meriti non cadit sub ipsum meritum, vt dicetur q. 35. patet hinc quoque limitari vniuersaliter omnem vim meritoriam creaturæ, nec adæquari sphæræ omnipotentiæ Dei.

Ad 3. Omnibus operibus supernaturalibus hominis viatoris inest vis, & satisfactoria, & impetratoria, & meritoria. Meritoria quia habent bonitatem placentem Deo coniunctam cum difficultate, & arduitate. Satisfactoria quia habent difficultatem, & arduitatem quæ est quædam pœnalitas coniuncta cum bonitate. Impetra-

tratoria quia proficiſcuntur ex deſiderio, & ſpe beatitudinis æternæ, & ex intentione, & fiducia, quæ ſunt quoddã genus orationis, obtinendi quæcunque conferunt ad conſequutionem vitæ æternæ, ipſamque vitam æternam. Itaque ratio meriti conſtituitur in recto per bonitatem ſupernaturalem operis; & in obliquo per difficultatem, & arduitatem. Ratio verò ſatiſfactionis è conuerſo per difficultatem, & arduitatem in recto, & per bonitatem in obliquo. Ac demum ratio impetrationis, per deſiderium, & fiduciam beatitudinis, & conferentium ad beatitudinem in recto, & per reliqua duo prædicata in obliquo. Nihil autem horum trium impeditur per reliqua duo, ſicut nec dignitas laudis impeditur mutuò, vel non mutuò per aliquid eorundem trium; quia videlicet hæc omnia nituntur diuerſis titulis; qui proinde omnes vigent perindè, atque vigeret vnus quilibet eorum ſeiunctus realiter à cæteris, prout ſeiungitur vis impetratoria in beatis, & vis ſatisfactoria in animabus purgatorij. Dicuntur verò aliqua ſatisfactoria, alia impetratoria, alia meritoria, prout contingit præeminere in vnoquoque opere, alium atque alium titulum ex prædictis.

Ad 4. Simul cum odio peccati, & peccatoris; vt peccator eſt, retinet Deus amorem erga naturam ipſius peccatoris, quæ eſt bona, & auctorem habet Deum, nec non erga auxilia gratiæ, quæ illi largitur. Vnde opera bona peccatoris poſſunt eatenus placere Deo, & ex dilectione Dei miſericordi erga ipſum obtinere de congruo præmia ipſis proportionata, vt dictum eſt. Quod nihil nocet virtuti offenſiuæ maiori peccati, quia nihilominus ratione ipſius, dum non remittitur, negatur maius bonum, nempè vita æterna.

Ad 1. Partis affirmantis. Sicut propter merita militiæ non conferuntur præmia togatorum,

rum; & è conuerso; ita Deus quibusdam meritis quædam determinata præmia rependit, & non potest, propter eadem, quædam alia rependere ob defectum proportionis, & ordinationis diuinæ præuiæ. Vndè fieri potest, vt, præexistente aliquo opere bono, & absolutè meritorio conferat Deus aliquod suum donum perindè gratis, & purè liberaliter, atque si nullum omninò præsuppositum fuisset meritum. Quia videlicet tale opus nulla præditum est proportione respectu talis præmij, nec ad idem præmium tanquam ad finem præordinatus fuit à Deo actus primus libertatis, ex quo processit idem opus.

Ad 2. Conceditur iuxtà dicta nullum Dei donum purè creatum excedere limites virtutis meritoriæ de congruo adæquatè sumptæ secundum omnes actus possibiles puræ creaturæ. Cœterum fieri potest, vti modo dictum est, vt quibusdam operibus desit omninò vis meritoria immediata maximorum Dei donorum. Deinde cuiuis operi bono deest necessariò vis meritoria respectu gratiæ, seù actualis, seù habitualis, ex qua procedit. Et similiter deest operibus bonis puræ creaturæ omnis vis meritoria respectu donorum omnium prout conferibilium tempore antecedenti, vt dicetur quæstion. 35.

Ad 3. Deus est essentialiter Iudex, & Gubernator vniuersi. Pertinet autem ad partes Iudicis, & Gubernatoris, vt in distribuendis, ac rependendis donis suis, non respiciat ad solam suam dignitatem, & excellentiam, sed etiam ad dispositionem, dignitatem, & merita suscipientium. Prouidet autem vtrique huic parti, pretiosa nobis promissa donando, qualia nemo alius donare potest, & quibus reddimur consortes naturæ eius; eaque distribuendo inæqualiter iuxta inæqualitatem meritorum, non solum de condigno, sed etiam de congruo.

Vndè

Vnde ne quidem meritum de congruo habet sphæram omninò illimitatam, præterquam comparatiuè. Quæ particula ideò adijcitur, quia quicunque elicit opus aliquod supernaturale, & placens Deo; videtur esse eo ipso melius dispositus ad quælibet dona Dei in qualibet intensione, quam qui nullum tale opus præstiterit ex suppositione, quod alterutri eorum velit illa largiri Deus; tametsi largiri velit vltra mensuram indebitam absolutè, tum determinatè, tum etiam disiunctiuè ratione operis prædicti.

***

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm crescat meritum ex maiori intensione actus?

VIDETVR non crescere cœteris paribus. 1. Quia quod non est voluntarium non est eatenus meritorium. Quod autem actus euadat magis, vel minus intensus non est voluntarium elicienti actum. Quia maior, & minor intensio non sunt discernibiles respectu nostri saltem vt plurimum, vti docet apertè experientia. Voluntarium autem essentialiter dependet à præcognitione discretiua eorum extremorum, inter quæ versatur electio.

2. Maior duratio actus boni non auget rationem meriti. Ergò nec maior intensio. Patet cõsequentia, quia actus intensus, vt duo durans per duo instantia æquiualet actui intenso, vt quatuor existenti pro vnico tantum instanti; sicut dolor, aut delectatio, vt duo perseuerans duplici Instanti æquiualet dolori, & delectationi, vt quatuor afficienti subiectum per vnicum tantùm instans. Probatur antecedens, quia si maior duratiò actus boni augeret vim eius meritoriam, toties replicaretur tota vis meritoria cuiusque actus, quot nouæ durationis instantia superadderentur primæ existentiæ actus, quandoquidẽ prò singulis quibusque instantibus totus idem actus secũdum omnia sua prædicata ponitur denuo à parte rei, non secus, ac pro primo instanti. Sequela autem est absurda, Quia in qualibet determinata parte temporis dantur infinita instantia, ideòque quoduis meritum adæquatè re-

plicatum pro singulis seorsim instantibus euaderet simpliciter infinitum intra quamlibet determinatam temporis partem, pro qua continuè perseueraret. Vndè pro quouis actu taliter perseueranti deberet rependi cumulus gloriæ simpliciter infinitus. Cuius rei absurditas nulla indiget ponderatione.

3. Maior intensio actus mali non auget malitiam, quatenus demeritoriam, & imputabilem peccanti. Alioquin vltra species, & numerum peccatorum deberet exponi in confessione intensio etiam ipsorum. Quod tamen non fit communiter à fidelibus, nec exigitur à confessoribus. Sed nec fieri, aut exigi potest propter indiscernibilitatem nuper notatam maioris, & minoris intensionis actuum respectu nostri. Eadem autem est ratio de bonitate, & merito, quæ est de malitia, & de demerito.

Art. 1. Respondetur. Materia quæstionis præsentis, nec non aliarum quinque subsequentium tota, aut ferè tota præoccupata, ac determinata est in præcedentibus; partim explicitè, & in proprijs terminis; partim implicitè, & æquiualenter. Operæ pretium nihilominus est nō nihil adijcere circa singula maioris claritatis gratia, & vt occurratur ijs, quæ circa illa operosè mouent nonnulli moderni. Quod ad augmentum meriti attinet, manifestum est vniuersaliter, quodlibet totum, seu quasi totum crescere, cæteris paribus, crescente quolibet eorum ex quibus ipsum constituitur intrinsecè, & à quibus proindè est indistinctum realiter. Enumerata autē sunt in q. præcedenti ab ar. 5. prædicata, quibus formaliter constituitur ratio meriti. Constat proindè ex ibi dictis quorum prædicatorum augmento crescat, cæteris paribus, vis meritoria cuiusq; actus. Crescit nimirū crescente actus meritorij, vel voluntarietate, & libertate, vel bonitate supernaturali, siue quoad speciem, siuè quoad intensionem, siue quoad durationem; vel difficultate orta ex præ-

stantia

stantia operis, & iactura commodi temporalis. Similiter crescit cæteris paribus meritum condignum, nec non & congruum realiter indistinctum à condigno, ex maiori gratia habituali. De postrema ista augmenti ratione ex maiori gratia dictum est ex professo q.10. & 11. de Incar. sicut etiam dictum est breuiter, sed quãtum sufficit, de eodem augmento ex maiori duratione actus quæst.42. de virt. Theol. ad 4. Nec de cœteris prædicatis modò recensitis quidquã peculiariter notandum occurrit, præterquam de intensione.

Art.2. Circa intensionem actus absolutè liberi extat controuersia inter P. Vasquez & nonnullos alios, negante Vasquez maiorem, vel minorem intensionem actus esse directè, & formaliter liberam voluntati; idque ipsum asserentibus nonnullis alijs. Dicendum autem potiùs videtur cum Vasquez voluntatem nulla gaudere libertate, ac indifferentia speciali, quo ad intensionem sui actus directè, & formaliter, tametsi actus sit liber simpliciter; & absolutè, sed semper ipsam operari cum omni conatu, ac intensione sibi absolutè possibili hic, & nunc: Ità nimirum, vt licet absolutè possit elicere, & suspendere actum electionis circà tale determinatè obiectum; Necesse tamen sit, vt siquidem eum elicuerit, eliciat cum omni intensione, omnique conatu sibi possibili; & similiter applicetur necessariò vsque ad vltimum potentiæ ad suspensionem actus, siquidem suspendere illum velit, qualecunq; demum sit obiectum tum formale, tum materiale actus, & suspensionis actus.

Art.3. Ratio est, quia nulla dari potest in voluntate electio libera cuiusquam medij, nisi præsupposita intensione efficaci finis vltimi, & felicitatis necessariò præconcepta à voluntate, adeòque præhabita cum omni intensione absolutè possibili hic & nunc; quandoquidem voluntas, quatenus necessariò operans agit quantum potest, sicut cœtera agentia necessaria.

Applicatio autem voluntatis circa media commensuratur necessariò applicationi eiusdem voluntatis circa finem. Qui enim vehementer desiderat sanitatem, eo ipso vehementer desiderat media inductiua sanitatis; & qui est tepidus circa sanitatem, eo ipso est tepidus circa media inductiua sanitatis, idemque similiter accidit in cœteris eiusmodi. Ratio vniuersalis est; quia volitio efficax finis, virtualiter, & implicitè est volitio efficax mediorum, ideòque necesse est, vt cum eadem intensione, & applicatione feratur virtualiter, & implicitè in media, quanta cum intensione, & applicatione fertur explicitè in finem. Vnde cum primùm innotescit quænam determinatè res habeant rationem medij, necessariò fertur in illas explicitè, & formaliter tanta cum intensione, & applicatione, cum quanta iam priùs implicitè, & causaliter ferebatur; idest, cum quanta ferebatur in ipsum finem, iuxta notationem modò præmissam. Quapropter cum omnes aliæ intentiones aliorum finium reuocentur, tanquam in primam originem in intentionem vltimi finis, seù beatitudinis, ac felicitatis; necesse professò est, vt omnes aliæ intentiones, adeòque electiones omnes concipiantur; cum summa intensione, & applicatione; cum qua videlicet concipitur intentio beatitudinis, vt beatitudo est. Huc pertinet, quod dicit August. lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 17. initio. *Tantò enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quàm bonum sit nouimus, eoque delectamur ardentius.* Et rursus versus finem. *Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus, summum, atque incommutabile bonum.* Semper igitur, ac necessariò explet voluntas omni suo actu mensuram præcognitionis, quà dirigitur; & adæquat intensione electionis intensionem intentionis.

Art. 4. Confirmatur: cui vnicum tantum medium occurrit ad consequutionem finis, quem intendit necesse est vt feratur cum eadem inten-

tensione, & conatu ad finem, & medium; si quidem in eo casu nulla datur specialis libertas circa medium; atque agens expers libertatis, quatenus expers libertatis est, nequit temperare suum concursum. Quando autem concurrunt plura media, non propterea superadditur libertas quoad intensionem electionis eligendique conatum, sed solum quoad speciem, vel indiuiduationem. Quia intentio finis non remittitur propter pluralitatem mediorum, vt patet, ac proinde non applicat minus efficaciter, ac feruenter voluntatem ad actum electionis, quàm si vnicum tantùm medium proponeretur. Nēpè quando repræsentantur plura media, nihil aliud repreſentatur, quàm adesse plures vias ad eundem terminum, vel plures causas contentiuas eiusdem effectus. Vndè sicut, qui desiderat peruenire ad aliquem terminum æquè feruidè, aut æquè segniter pergit per viam, quam init, siuè ea proponatur determinatè, & tanquam vnicè necessaria, siuè proponatur vagè, & non vt vnicè necessaria; & similiter, qui vult causam ratione effectus, afficitur ad causam plus, vel minus, prout affectus fuerit circa effectum absque vlla quoad hoc diuersitate, siue plures causæ proponantur, siue proponatur vna sola; ita etiam quicunque afficitur ad aliquod medium, æquè ad illud afficitur, siue sit, siue non sit vnicum; ac proindè in vtroque euentu afficitur quantum potest; quandoquidem ita afficitur ad medium propositum, vt vnicum.

Art. 5. Itaque voluntati tantum indirectè, & mediatè conuenit libertas indifferentiæ, quoad intensionem, & remissionem suorum actuum, nempè quatenus potest liberè applicare intellectum ad maiorem, vel minorem considerationem circa vnumquodq. obiectum, & ad clariorem, vel minus claram cognitionem bonitatis eius, per maiorem, vel minorem diligentiam in indagandis rationibus manifestantibus eandem bonitatem. Sicut enim alia obiecta inuicem

incompossibilia possunt repræsentari voluntati cum mutuo excessu alterius supra alterum quo ad aliquid; ità etiam possunt eidem repræsentari cum eiusmodi excessu mutuo diuturnior, & minus diuturna meditatio circa vnumquodque volibile; & minor, ac maior defatigatio in euoluendis libris, & sic de alijs modis instruendi intellectum circa naturam, & proprietates cuiusque obiecti volibilis. Consequenter voluntas est immediatè libera, circa maiorem, vel minorem perfectionem cognitionis directiuæ eandem voluntatem quoad alios vlteriores actus suos, eadem ratione, qua est libera quoad alia obiecta proposita cum mutuo eiusmodi excessu, iuxta dicta supra quæst. 12. Cœterum posito vltimo dictamine practico intellectus, nulla iā superest libertas, & indifferentia specialis quoad maiorem, vel minorem intensionem actuum sibi hic, & nunc proximè possibilium, sed necesse est, vt expleatur tota ea mensura intensionis, quam præscribunt præuia tum intensio intentionis, tum perfectio, & claritas cognitionis, quibus impellitur voluntas ad eligendum, cuiuscunque tandem obiecti, ex obiectis simultaneè propositis, electio subsequatur.

☞ Art. 6. Quapropter augmentum meriti proueniens ex maiori intensione actus boni cœteris paribus non nititur peculiari libertate voluntatis quoad intensionem actus separabili, quoad exercitium, à libertate, quæ ipsi inest quoad substantiam actus, sed nititur sola libertate indiuisim, ac inseparabiliter complectenti substantiam actus, totamque eius intensionem hic, & nunc absolute possibilem possibilitate proxima. Sicut enim, qui est indifferens ad quemlibet ex pluribus actibus bonis inter se inæqualibus quoad rationem specificam ipsorū, & ad omittendos omnes actus bonos, meretur plus, si eliciat actum meliorem, quam si eliciat minùs bonum, tametsi neutrum eliicere possit, nisi cum tota, & sola bonitate specifica, quæ ipsi

con-

conuenit ex suo obiecto; & similiter meretur plus, qui elicit actum specifice meliorem, quam qui elicit actum specifice minus bonum; tametsi neuter habeat libertatem, nisi ad eum solum actum, quem elicit de facto, & actum malum oppositum; ità meretur magis cæteris paribus qui elicit actum bonum intensiorem, quàm qui elicit actum bonum minus intensum; tametsi neuter sit liber ad maiorem, vel minorem intensionem ex suppositione quod eliciat actum talis determinatè speciei. Quia videlicet est nihilominus libera intensio actus absolutè, & simpliciter eadem indiuisim libertate, qua est libera substantia eiusdem actus. In vtroq; enim casu est vniformiter liberum seruata proportione augmentum bonitatis in actu, tum specificum, tum intensiuum.

Ad 1. Licet maior, & minor intensio cuiusque actus non sint discernibiles à nobis comparatiuè, & commensuratiuè; semper tamen innotescit secundum conceptum absolutum quãta sit amabilitas cuiusque obiecti hic, & nunc propositi voluntati. Quod perinde est iuxta dicta, atque innotescere reipsa, quanta cum intẽsione amari illud possit hic, & nunc; ad eum vtique modum quo cognita specie obiecti amabilis, & magnitudine perfectionis, quæ illi inest, cognoscitur eo ipso; qua specie actus, & quanta cum eiusdem actus perfectione diligi possit, esto ex vi eiusdem cognitionis supputari, ac mensurari iustè nõ possit, quantus sit excessus specificus vnius actus supra alium ex possibilibus hic, & nunc. Igitur intensio, quæ de facto inest vnicuique actui, est libera voluntati eadem ratione, qua est eidem liber conceptus specificus, totaque perfectio specifica eiusdem actus.

Art. 1. Ad 2. Negatur antecedens, de quo diù multumque disputat Suarez cum Vasquez. Verùm præcipua inter eos controuersia est quoad modum constituendi tempus, eiusque successionem, & partes, & quoad modum in-

ceptionis, & desitionis rerum, quæ sunt philosophica, & obscura. Dicendum est breuiter primò, durationem actus meritorij liberam libertate formaliter distincta, & separabili à libertate quoad primam existentiam actus, valere ad nouum augmentum meriti; & quoties protrahitur de nouo ea duratio tanta cum libertate, & indifferentia, quanta libertas, & indifferentia præcessit quoad primam existentiam actus toties replicari totam vim meritotiam actus, totiesque inducere nouum præmium æquale toti præmio inducto per primam existentiam eiusdē actus, perindè omninò, atque si toties eliceretur de nouo alius actus numero, aut specie diuersus à priori, eidemque æqualis. Quia videlicet quatenus datur de nouo specialis libertas, eaque exercetur honestè in eliciendo actu bono, per accidens omninò se habet extitisse, vel non extitisse eundem actum pro tempore, aut instanti quouis priori; ideòq; quod præextiterit, vel non præextiterit nihil variare potest vim meritoriam præsentis exercitij nouæ libertatis.

Art. 2. Dicendum deinde est non adesse nobis libertatem formaliter diuersam pro singulis partibus temporis realiter inter se distinctis, seu distinguibilibus reipsa. Primum quia nec formaliter, nec æquiualenter sunt discernibiles à nobis omnes, & singulæ eiusmodi partes seorsim sumptæ, eadem ferè ratione, qua non possumus inuicem discernere per visum partes corporum atomis minores, & sæpè nec ipsas atomos. Quæ autem sunt indiscernibilia per cognitionem, sunt incapacia, quæ terminent electionem eatenus formaliter liberam voluntatis. Deinde omnes qualitates habentes qualitates alias sibi contrarias, & quæ proindè destrui non possunt, nisi inductis qualitatibus contrarijs, quales vtique qualitates sunt actus voluntatis, præsertim liberi, vt potè essentialiter contentiosi, ac pugnaces, vt superius dictū est; vigent vi aliqua resistendi ijsdem contrarijs quali-

lita-

litatibus, omnibusque proinde causis potentibus ipsas destruere naturaliter. Vnde est naturaliter impossibile, vt corrumpantur in instanti immediato ad primum suæ existentiæ instans, vt liquet etiam per experientiam in frigore, calore, alijsque eiusmodi omnibus. Ergò solùm per interualla quædam determinata temporis, & non pro singulis quibusque instantibus recurrit noua libertas ad conseruandum actum diuersa à libertate exercita quoad primam eius existentiam, & sic proportionaliter de alijs successiue durationibus.

Art. 3. Dicendum denique est, etiam pro ijs differentijs posterioribus durationis, pro quibus datur libertas formaliter diuersa à priori quoad primam existentiam actus libertate, nouā eam libertatem esse longè minorem, quam fuerit libertas primi instantis. Quia actus voluntatis circa aliquod obiectum ex suppositione, quod iam existat, habet vim, eamque maximam, inclinandi ad conseruationem sui, adeòque habet vim maximam minuendi libertatem, quæ præiuit ad primam existentiam sui. Constat enim neminem affici posse ad aliquod obiectum, quin simul afficiatur ad suum ipsum affectum: impossibile siquidem est, vt placeat aliquid, quin placeat ipsum placere; nec minus manifestum est affectū, & complacentiam voluntatis circa aliquid esse inclinationem eiusdem ad idem. Ergò superaddita voluntati secundum se consideratæ inclinatione speciali ad conseruationem sui actus, vltra inclinationem, quæ aderat ad primam eius existentiā, quæ specialis inclinatio est indistincta realiter ab ipso actu iam præexistēte, eo ipso minuitur libertas respectu conseruationis. Confirmatur, quia vnusquisque experitur peculiarem difficultatē in retractando proposito semel concepto, vltra eam, quæ præextitit in primo instanti pro eodem omittendo. Noua autem difficultas ad oppositum actus, est diminutio libertatis respectu ipsius actus. Confirmatur rursus,

quia Angeli ex communi, & vera sententia sunt immutabiles saltē moraliter in proposito semel concepto, dum non occurrit nouum motiuum. Natura autem humana, quà intellectualis, & libera est valdè, affinis naturæ angelicæ. Ergò homo est difficilè mobilis à proposito semel concepto, dum non occurrit nouum motiuum. Est igitur minor libertas pro conseruatione actus, quàm pro prima eius existentia, saltem dum non instituitur noua deliberatio pro indagando nouo motiuo, eoque conferendo cum motiuo priori; ac proinde libertas quoad conseruationem actus est minor, & quidem notabiliter, quàm libertas quoad primam eius existentiam saltem, vt plurimum, & pro instantibus ferè omnibus conseruationis cuiusque actus. Diminutio autem libertatis cæteris paribus est diminutio meriti, vt dictum est. His igitur de causis non infertur legitimè inconueniens intentum in obiectione.

Ad 3. Maior intensio actus mali auget malitiam, & vim demeritoriam eius ad eum omninò modum, quo dictum est augeri bonitatem, & vim meritoriam actus boni per maiorem eius intensionem. De obligatione porrò exponendi in confessione intensionem actus peccaminosi dicitur ex professo in qq. de pœnitentia. Interim sufficit dicere eatenus solum vnumquenque teneri ad exprimendam intensionem, quatenus eam discernere poterit, eo discretionis modo, qui expositus est in responsione ad primum circa actum bonum.

QVÆ

QVAESTIO XXXV.

Vtrùm dona tempore, aut natura priora posſint eſſe præmium actus tempore, aut natura poſterioris?

VIDENTVR poſſe eſſe. 1. Quia cauſa finalis poteſt exercere ſuam cauſalitatem, antequam exiſtat in ſe intrinſecè, reſpectu effectus exiſtentis pro tempore antecedenti; imò etiam reſpectu ſuæ cauſæ efficientis, adeòque natura prioris. Ergo etiam cauſa meritoria poteſt exercere cauſalitatem reſpectu præmij; tũ tempore, tum etiam natura prioris. Patet conſequentia, quia cauſa meritoria, & cauſa finalis ſunt omninò ſimiles quoad ſuũ cauſalitatis modum; Nempè vtraque inducit ſuum effectum media ſui cognitione, quæ æqualiter poteſt præcedere ad exiſtentiam vtriuſuis. Patet item antecedens, quia cauſa finalis exercet ſuam cauſalitatem reſpectu mediorum inducentium exiſtẽtiam ipſius finis; de quorum proindè ratione eſt, vt ſint natura priora mediatè, vel immediatè, quàm ipſe finis, & ſæpè præcedunt etiam tempore.

2. Meritum poteſt inducere præmium pro tempore ſequenti, & multos poſt annos extiturum. Ergò ſimiliter inducere poteſt præmium pro tempore antecedenti. Probatur conſequentia, quia diuina operis noſtri meritorij cognitio mediante qua idem opus mouet voluntatem diuinam, æquè adeſt vtrique tempori, & meritũ ipſum æquè deeſt pro vtraque.

3. Oratio poteſt exercere vim impetrato-

riam pro tẽpore antecedenti respectu sui. Quod primò, & principaliter colligitur ex sollemni oratione Ecclesiæ petentis, *vt animæ defunctorum liberentur de pœnis inferni; ne absorbeat eas tartarus; ne cadant in obscurum, vt non pœnas æternas sustineant*. Quam orationem patet non posse sortiri euentum, quem petit, nisi pro tempore ad ipsam antecedenti. Deinde cognito, per nuntium, aut litteras, periculo, quod tempore antecedenti subierit Filius, vel amicus in conflictu militari, naufragio, ruina ædificij, ægritudine, & sic de similibus, familiare omnibus est orando dicere: *Deus te iuuerit*: O, *Vtinam propitium habueris numen, & victor, atque incolumis ab omni malo superstis*. Cuiusmodi orationes, cum omnes, pro euentu temporis præcedentis, naturali instinctu concipiant, atque nihil perperam fiat vniuersaliter ex instinctu naturæ, concluditur vtiles eas esse ex sua natura, atque adeò efficaciam suam exercere posse pro tempore antecedenti ad existentiam ipsarum in se intrinsecè. Eadem autem omninò est ratio quoad hoc de impetratione, & de merito, vtpote operantibus vniformiter.

¶ 4. Merces operis dari potest anticipata solutione ante ipsum opus ex. gr. equus dari potest militi antecedenter in præmium pro bono vsu futuro ipsius equi, & frequenter ità fit inter homines. Ergò etiam auxilium gratiæ dari potest in præmium boni vsus eiusdem gratiæ, id est in prœmium boni operis subsecuturi ad ipsam gratiam.

5. Christus Dominus meruit omnia dona supernaturalia distributa hominibus, qui præextitere; antequam existeret Christus Dominus, nõ minùs, quàm dona distributa post existentiam Christi Domini, vt dictum est q. 41. de Incarnat. Merita autem nostra habent eandem vim, eundemque modum inducendi præmium sibi proportionatum, quam, & quem habent merita Christi respectu præmij ipsis correspondentis.

6. Deus,

6. Deus, ex vi decreti sui disiunctiui de conferendo hoc vel illo auxilio gratiæ, seu actualis; seù habitualis, potest præuidere existentiam operationis nostræ bonæ, ac supernaturalis; atque istà præuisione potest moueri ad conferendum determinatè illud auxilium, quod est præstantius inter illa auxilia prius volita disiunctiuè. Quod proindè auxilium habebit rationem præmij, quoad excessum sui respectu reliquorū auxiliorum; & tamen se toto erit principium operis, cuius est præmium. Eadem ferè ratio est de præuisione operum in decreto diuino intentiuo ipsorum, & inducentiam deindè mediante eà præuisione decretum exequutiuum auxiliorum gratiæ, quibus fiant eadem opera; quæque proindè simul sint, & principium, & præmium talium operum.

7. Opera meritoria existentia in tempore, inducunt vi sua meritoria decretum diuinum de conferendo præmio existēs ab æterno, quod ipsum decretum habet, vel maximè rationem præmij. Ergò eadem opera possunt à fortiori inducere vi sua meritoria alia quæuis præmia, existentia pro quouis tempore antecedenti.

8. Deus potest reuelare tempore antecedenti opus tum bonum, tum malum extiturum tempore sequenti, ac proindè potest delectare, & contristare delectatione, & tristitia essentialiter dependentibus ab opere posteà futuro. Eiusmodi autem delectatio, & contristatio præexistens ante opus habent rationem præmij, & supplicij, propter dependentiam ab eodem opere. Ergo.

Art. 1. Respondetur. *Vita æterna est totum præmium*, inquit August. c 25. de moribus Eccl. Cathat. *cuius promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere meritum, & prius homini dari, quā dignus est. Quid enim hoc iniustius? & quid iniustius Deo? Non ergò debemus poscere præmium, antequam mereamur accipere.* Quæ sanè probatio est efficacissima, vti est clarissima assertio Augustini de repugnantia antecessionis ex parte præmij

mij respectu meriti. Quia quod datur merenti ratione meriti, eo ipso datur digno quia dignus est. Vndè cum opus meritorium nondum existēs, nondum dignificare quemquam possit, nullum profectò ius impertiri cuiquam potest ad præmium. Quapropter si quid datum erit nondum merenti, id est nondum digno, in se intrinsecè, vt illud accipiat, eo ipso datum erit gratis; perindè, atque si nunquam extiturum esset in eo subiecto vllum opus meritorium. Quia, quod nondum existit perindè se habet respectu temporis præsentis, atque quod nunquam extiturū est, quo ad ea, quæ præstare potest solum in genere causæ formalis immediatè per se ipsum; atque hujus generis est dignificatio hominis per opus bonum ad suscipiendum præmium. Tam igitur repugnat, vt præmium conferatur hodie dependenter à merito cras extituro, quam repugnat, vt anima infundatur, atque vniatur materiæ hodiè, dependenter ab organizatione, & reliqua eius dispositione inceptura cras, aut vt generetur ignis hodie in materia, quia cras erit disposita per calorem.

Art 2. Neque verò mirari quisquam debet, quod, quoad hoc punctum æquiparetur habitudo, & ordo meriti ad præmium habitudini, & ordini, quæ datur inter res purè physicas, ac naturales, quia D. Thomas q. 114. art. 1. c. fine, eam comparationem instituit his verbis: *Id homo consequitur à Deo per suam operationem, quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputauit: sicut etiam res naturales hoc consequuntur per proprios motus, & operationes ad quod à Deo sunt ordinata*. Eo igitur modo debet Deus meritis præmia, quo debet vnicuique enti naturali proprietates, effectusque ipsi connaturales; ac proinde eadem ratione, qua non possunt præmitti tempore antecedenti proprietates, & effectus connaturales entitati alicui naturali, ac physicæ dependenter ab exigentia eius innata; nec etiā præmitti potest collatio præmij dependenter ab

exi-

exigentia morali operis extituri tempore sequenti. Rationem huius rei reddit claram, & efficacem idem Sanctus Doctor in 2. dist. 27. q. 1. art. 4. ad 2. Quia Deus non reddit præmia nostris meritis ex iustitia commutatiua, aut per modum iustitiæ commutatiuæ, sed ex iustitia legali, quæ seruat modum iustitiæ distributiuæ, quod alibi confirmatum à nobis est cum eodem Sancto Doctore. Hoc autem, præter alia discrimen præcipuum datur inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam. Quod videlicet nihil intersit, ex conceptu iustitiæ commutatiuæ vter commutantium prius accipiat, vel reddat. Emptio enim, & venditio æquè subsistunt, siue pretium soluatur priùs, & posteà accipiatur merx, siue è conuerso merx prius tradatur, & posteà accipiatur pretium. Quia vtrouis modo superest æqualiter ius in altero commutantium ad æqualitatem inter datum, & acceptum, cum huiusmodi ius non constituatur, aut per id, quod accipitur, aut per id, quod redditur, sed per contractum formalem, vel æquiualentem adæquatè distinctum ab vtroque eo extremo dati, & accepti. At iustitia distributiua necessariò præsupponit in subiecto, cui facienda est distributio, dignitatem ad id, quod distribuendum ipsi est. Quia ius ad distributionem, & bonum distribuendum est indistinctum à dignitate suscipientis respectu muneris suscipiendi, seù quòd concedi illi debet ex iustitia distributiua. Itaque tam repugnat, vt aliquid alicui debeatur ex iustitia distributiua, aut per eandem iustitiam conferatur pro tempore antecedenti ad tempus, pro quo primum existit dignitas accipientis ad illud ipsum accipiendum; quam repugnat, vt aliquid alicui debeatur, aut conferatur ex iustitia commutatiua pro tempore antecedenti ad tempus, pro quo primum existit ius illud accipiendi ratione contractus, aut legis constituentis adæquatè idem ius. *Vndè*, concludit D. Thomas loco indicato.

cum gratia per modum iustitiæ distributiuæ diuersis hominibus à Deo detur non potest esse, quod aliquis ex sequentibus actibus mereatur gratiam prius acceptam. Ista probatio ideò efficaciter concludit respectu nostrorum meritorum, quia forma, per quam dignificantur opera nostra bona, est affixa tempori determinato ex sua natura, sicut ipsa opera quæ dignificantur, neque præcisè vt existens in tempore præcedenti potest dignificare opus futurum pro tempore sequenti, sed incipit dignitas, & dignificatio operis cum incipit esse ipsum opus, ideòque nulla potest illi inesse dignitas ad aliquid inducendum pro tempore antecedenti.

Art. 3. Confirmatur, quia de ratione præmij vt sic, & in communi est, vt sit impulsiuum ad opus meritorium, & vt iuuet ad superandum laborem benè operandi, alliciatque ad præponendum honestum turpi, aut minus honesto. Nā vt ait D. Thomas quæst. 72. art. 5. ad 3. *Præmiū est de intentione merentis, vel virtuosè agentis*; adeoque virtuosè agens mouetur præmio tanquam fine ad agendum virtuosè. Bonum autem iam obtentum, nec impellit, nec iuuat, aut allicit spe sua, nec intenditur ab operante, tanquam finis, quia nec speramus, nec intendimus, quod iam possidemus, nec de eo quatenus possesso solliciti amplius sumus. Qua de causa in lege, *spem eorum C. quæ res pignori obligari possint* cautum est, ne athletæ præmium certaminis, ante certamen ipsum, traducerent in alios pactis conditionatis, aut permutarent, obligarentur. Ne videlicet sublata præmij spe languerent animi. Est igitur contra rationem præmij, vt retribuatur pro tempore antecedenti ad tempus, pro quo primùm existit opus meritorium. Licet autem hæc ratio non conuincat vniuersaliter, non posse conferri pro tempore antecedēti ad meritum priores partes præmij non consistentis in indiuisibili, dummodo reseruetur, vsque ad instans existentiæ operis meritorij, postrema pars

vltimò completiua eiusdem præmij; quo pacto collata sunt, propter merita Christi futura, dona gratiæ antiquis Sanctis PP. dilata interim collatione gloriæ vsque ad tempus subsequens respectu eorundem meritorum Christi: Conuincit nihilominus quo ad totam rationem præmij respectu meritorum nostrorum, quia nos indiuisim mouemur spe gratiæ, & gloriæ, nec concipimus spem vllam seorsim, aut desiderium respectu gloriæ ex suppositione gratiæ, vt existentis in tempore antecedenti ad instans, pro quo vnumquemque actum elicimus; cum non habeamus cognitionem, per quam nobis innotescat seorsim possibilitas obtinendi gratiam, aut gloriam, sed de vtraque indiuisim implicite, vel explicitè concipiamus actum fidei. Ergò nobis, saltem de potentia ordinaria, non potest prouenire vllum præmium pro tempore antecedenti ad meritum seù partialiter, seù totaliter, quod attinet ad vim peculiarem huius rationis.

Art. 4. Adde postremo rationem aliam, quæ vniuersaliter conuincat repugnantiam metaphysicam omnis, & cuiusuis præmij antecedentis tempore meritum puræ creaturæ, sicut conuincit prima ratio. Metaphysicè repugnat, vt infligatur pœna aliqua ratione peccati nondum existentis. Ergò etiam repugnat, vt conferatur aliquod præmium ratione meriti puræ creaturæ nondum existentis. Patet consequentia, quia tam repugnat, vt opus bonum puræ creaturæ contineat in se dignitatem præmij pro tempore antecedenti ad existentiam suam, quàm repugnat, vt peccatum aliquod contineat in se dignitatem supplicij pro tempore antecedenti ad existentiam suam; quandoquidem vtrumque est finitum, & limitatum, atque affixũ tempori determinato quoad omnia, & singula, quibus vtriusque dignitas, & indignitas; vis meritoria, & demeritoria constituitur. Antecedens autem est inprimis inconfesso apud omnes. Deinde

probatur efficaciter, quia est intrinsecè turpe, vt innocens puniatur, dum est innocens. Innocens autem est, qui nondum peccauit. Ergò est intrinsecè turpe, vt puniatur quis antequam peccet. Confirmatur, quia Innocens, dum est innocens ratione innocentiæ est dignus, vt non puniatur. Repugnat autem, vt aliquis simul sit dignus, vt puniatur, & vt non puniatur. Et similiter repugnat, vt habeat rationem pœnæ malum inflictum ei, qui non est dignus pati idem malum. Ob hæc igitur repugnat meritis puræ creaturæ, vt ratione ipsorum conferatur aliquod præmium pro tempore antecedenti ad existentiam eorum.

Art. 5. Manifestius autem quodammodo est præmium non posse esse prius natura, quàm meritum. Quia principium meriti non potest cadere sub meritum, cuius est principium, vt fert celebre Theologorum axioma. Cuius axiomatis ratio est, quia, qui est indifferens ad meritum, & omissionem meriti, eo ipso est indifferens ad obtinendum, & non obtinendum præmium; de cuius videlicet ratione est, vt conferatur dependenter à merito, & negetur dependenter à defectu meriti, vti dicetur distinctius in q. seq. Quicunque autem meretur est indifferens pro priori naturæ ad merendum, & non merendum; cum sit de ratione meriti libertas indifferentiæ ad opus meritorium, & ad omissionem omnis operis meritorij, vt apparet ex dictis supra. Nemo verò est indifferens ad aliquid eorum habendum, & non habendum, per quæ constituitur intrinsecè in ratione indifferentis facta suppositione, quod iam sit indifferens. Quoduis autem principium meriti constituit intrinsecè partialiter, vel totaliter indifferentiam merentis ad merendum, & non merendum. Repugnat igitur vt aliquid sit præmium meriti, cuius est principiũ, ac proindè repugnat, vt præmium sit prius natura, quam meritum, cuius est præmium. Ergo

dona

dona tempore, aut natura priora non possunt esse præmium actus eliciti à pura creatura tempore, aut natura posterioris.

Ad 1. Concesso antecedenti negatur consequentia. Quia licet commune sit causæ meritoriæ cum finali, vt exerceat suam causalitatem mediante cognitione sui; differt tamen ab eadē, quia causa meritoria exercet suam causalitatem mediante cognitione, qua cognoscitur subiectū merens dignificari per actum meritorium respectu præmij conferendi dependenter ab eodē actu. Ostensum autem est istiusmodi dignificationem subiecti non posse cognosci pro tempore antecedenti ad instans, pro quo primo existit in se intrinsecè actus ipse meritorius. Nihil autem eiusmodi occurrit in causa finali, quæ videlicet sufficit, vt cognoscatur sub conceptu bonitatis secundum se.

Ad 2. Opus meritorium, ex quo incipit existere, perseuerat pro tempore sequenti, vel formaliter per se ipsum, vel virtualiter, seù æquiualenter ratione alicuius sui effectus, & eatenus potest inducere præmium pro tempore sequenti. At pro tempore antecedenti neque existit formaliter per se ipsum, neque æquiualenter ratione alicuius sui effectus. Nulla igitur est consequentia à tempore sequenti ad tempus antecedens.

Art. 1. Ad 3. Negatur in primis antecedens. Quod attinet ad primam eius probationem, non videtur credibile Ecclesiam fundere preces vllas suas cum ea intentione; cuius validitas, & nullitas est controuersa, & exposita opinionibus probabilibus Theologorum. Eiusmodi autē est intentio impetrandi aliquid pro tempore antecedenti per preces temporis præsentis negantibus Vasquez, & alijs validam illam, & vtilē esse posse, & affirmantibus Medina, atque alijs. Quod ad alteram probationem attinet, notum est neminem concipere eiusmodi, seù affectus, seù preces directas in euentum reipsa præteritum.

tum, postquam innotuit de exitu periculi, & nō solum de ipso periculo secundum se. Nemo enim dicit: vtinam euaserit victor, sitque incolumis filius, aut amicus meus, postquam certò sciuit eum fuisse victum, nec iam amplius viuere; cum tamen si preces valerent in præteritum, æque vtiliter, ac prudenter fundi possent post notitiam euentus periculi, atque post notitiam solius periculi secundum se.

Art. 2. Dicendum itaque est eiusmodi verbis respicientibus tempus præteritum, & euentum reipsa existentem pro tempore præterito exprimi orationes non impetratorias, sed purè affectiuas, nec animo impetrandi, sed solum exercendi affectum charitatiuum. Pro qua re obseruandum est totidem modis exsurgere affectus in voluntate, quot modis apparent in intellectu obiecta affectuum. Quia ergò de animabus defunctorum perindè cognoscitur periculum damnationis earum æternæ, & possibilitas, vt damnentur, simulq; ignoratur vtrum horum illis contigerit; sicut respectu adhuc viuentium: propterea concipitur affectus liberationis à pœnis inferni respectu defunctorum similis affectui eiusdem liberationis, qui concipitur respectu viuentium. Eadem est ratio de affectu, qui concipitur cum notitia periculi præcedentis dum ignoratur exitus periculi; quia eatenus periculũ reipsa præcedens sortitur in intellectu apparẽtiam similem illi, quæ datur de periculo præsenti, & nondum terminato per vltimum eius euentum; ideòque hic etiam concipitur affectus circà euentum reipsa præteritum similis eatenus illi, qui concipitur circa euentum reipsa nondum sequutum. Eiusmodi itaque affectus charitatiuus, seu paternus, aut amicabilis exprimitur per verba proposita in obiectione, & omnes abstinent à similibus verbis respectu eorum, de quibus iã innotescit, quem exitum reipsa habuerint; an videlicet sint iam in cælo; an in inferno; an vicerint, & sint incolumes; an victi fuerint, atque

obie-

obierint, quia ratione huius notitiæ sortiuntur præterita apparentiam diuersam ab apparentia præsentium, & futurorum. Cæterum ad concipiendam voluntatem impetrandi aliquid, & ad adhibenda media pro consequutione alicuius rei necesse est, vt id positiuè apprehendatur tanquam nondum existens, vel certè, vt præscindatur ab existentia, & non existentia eius tum vagè tum determinatè. Quia nemo mouetur ad præteritum, vt præteritum; siuè apprehensum cum præteritione, vt apparet inter alia ex experientia obseruata in posteriori parte articuli præcedentis. Orationes igitur, quæ proponuntur in obiectione sunt purè affectiuæ, & non impetratoriæ, nec propterea sunt, aut inutiles, aut insipientes, minusue prudentes, quia vtile, atque honestum est affici ad omnem bonitatem, iuxtà dignitatem, & apparentiam eius præxistentem ex parte intellectus, tametsi non sequatur indè, nec sequi possit effectus aliquis vlterior.

Art. 3. Responderi deindè posset, transmisso, quod intenditur de oratione, deque eius vi impetratoria in præteritum, & negata paritate pro vi meritoria in præteritum. Ratio differentiæ est, quia vis impetratoria orationis nititur gratia, & propensione benefica eius, ad quem fundunturpreces, erga eum, qui eas fundit, vt docet D. Thomas, alijsque communiter; vis verò meritoria nititur dignitate merentis, & iustitia respiciente eam dignitatē. Beneuolentia autem Dei erga homines est essentialiter æterna, ideòque inducere potest suos effectus pro qualibet differentia temporis indiscriminatim, tametsi occasio eorum sit affixa tempori determinato. At dignitas meritoria puri hominis est affixa tempori determinato, ideòque non potest inducere suos effectus pro quouis tempore indiscriminatim.

Ad 4. Patet ex dictis supra art. 2. in responsione ad quæstionem. Ad 5. Actus meritorij Christi

sti Domini dignificati fuere ad præmium dignitate essentialiter æternâ, ideòque ambiente indiscriminatim omnes, & quaslibet temporis differentias. Quapropter, & si Deus præuiderit illos existentes, & incipientes existere pro tempore determinato, simul tamen præuidit, vt dignos retributione, & præmio pro quauis temporis differentia, vti ponderatum est q. 41. de Incarnat. præsertim ad 1. At dignitas actuum puræ creaturæ tota est affixa tempori determinato, non minus, quam ipsi actus, ideòque non potest habere eandem amplitudinem, & vniuersalitatem permouêdi ad collationem præmij pro quauis temporis differentia, sed solum pro tempore, cui coexistit, & pro tempore sequenti.

Ad 6. Negatur imprimis suppositum de decretis Dei disiunctiuis, & determinatis; intentiuis, & exequutiuis distinctis inter se virtualiter intrinsecè. Huiusmodi enim machinulæ euersæ sunt funditus multiplici argumento q. 22. de Deo. Deinde Deus non rependit præmia propter actus bonos, prout existente præcisè in intentione & decretis ipsius Dei, & prout præuisos in eiusdem solis, sed propter actus, prout existentes in seipsis intrinsecè, & superantes re ipsa difficultates benè operandi. Actus autem boni, prout existentes in se ipsis intrinsecè, & superantes reipsa difficultates in contrarium, non possunt videri à Deo, nisi vt dependentes à tali principio adæquatè determinatè sumpto; quia non possunt sic existere reipsa, nisi dependenter ab illo; & Deus vnumquodque videt, & cognoscit, prout reipsa est, ideòque nullius effectus, vt taliter existentis præuisione moueri potest ad determinandum principium eius, siuè adæquatum, siue inadæquatum.

Ad 7. Quod actus aliquis diuinæ voluntatis possit habere causam aliquam meritoriam sui secundum se, & quoad prædicatum aliquod secum identificatum, vti ausus est dicere Caprelius,

lius, est cogitatio perabsurda, vt obseruatum est ex D. Thoma quæst. 32. de Deo; atque ibidem q. 31. ostensum est quo pacto mereri possimus effectus decretorum diuinæ voluntatis, quin mereamur ipsa decreta. Negatur itaque antecedens.

Ad 8. Multa multi irretiunt reuelationibus diuinis, quarum natura est multo magis imperuia intellectui nostro, quam natura earum rerum, quarum cognitio, & notificatio quæritur per easdem reuelationes, ideòque manifestatur ignotum per ignotius. Dico reuelationem anticipatam boni, vel mali operis extituri pro tempore sequenti, & effectus eiusdem reuelationis pariter antecedentes non posse habere rationem præmij, aut pænæ respectu operis reuelati; idq; ob rationes vniuersales superius propositas. Alios igitur ob fines inducet Deus eiusmodi reuelationes, & earum effectus, siuè delectent siuè contristent; prosint, vel noceant; quam vt illis anticipatè recompenset merita, & demerita nondum existentia; sicut inducere valet alia, & bona, & mala pro quauis differentia temporis absque intentione præmiandi, aut puniendi, & quin propterea detrahat aliquid de præmio, aut supplicio subsequuturo reipsa ad opera bona, & mala.

QVÆ-

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum detur mutua connexio ex natura rei cum mutua dependentia inter meritum, & præmium?

VIDETVR neque meritum connecti ex natura rei cum præmio, neque præmium cum merito, sed vtrumuis existere posse ex natura rei quoad entitatem absque denominatione, & ratione formali, aut meriti, aut præmij; imò esse contra conceptum tum meriti, tũ præmij physicam connexionem intrinsecam vtriusuis cum altero, atque alterius ab altero dependentiam maximè mutuam. 1. Quia est de ratione præmij dependentia à libera voluntate conferentis; Qui enim coactus necessitate naturali aliquid agit, non censetur recompensare, & præmiare. Est igitur contra rationem præmij, vt meritum connectatur cum ipso ex natura rei, seu, vt naturali necessitate ineuitabiliter sequatur existentia eius ex meriti existentia. Cõfirmatur, quia de conceptu præmij est, vt habeatur ex concessione præmiantis. Eius autem est concedere, qui potest & negare, vt fert axioma iuris. Repugnat igitur, vt præmium sit innegabile ex suppositione meriti.

2. Habitus boni, & mali; species intellectuales, vbicationes, & durationes necessariò resultantes ex actibus bonis, & malis non habent rationem præmij, aut pœnæ, & præcisè, quia necessitate naturali consequuntur ad eos actus. Ergo id solum potest habere rationem præmij, quod non subsequitur ad actum bonum necessi-

tate naturali, sed liberè illi superadditur.

3. Quicunque est dominus alicuius rei potest eam donare liberaliter cui volet. Deus autem est perfectè Dominus omnium donorum, quibus recompensat merita nostra, & quæ confert in eorum præmium. Ergò eadem donare potest liberaliter nullis præcedentibus meritis. Confirmatur inter alia, quia de facto eadem dona gratiæ, & gloriæ conferuntur paruulis absque meritis; adultis verò dependenter à meritis. Ergò ex se sunt indifferentia, vt existant cum dependentia, & sine dependentia à meritis.

4. Actus meritorij subsequentes possunt esse præmium aliorum meritorum præcedentium. Quia vnusquisque iustus potest sibi mereri saltem de congruo perseuerantiam in gratia, quæ constituitur per actum liberum ipsius perseuerantis. Est autem de ratione actus liberi, ne subsequatur naturali necessitate ex vi alicuius præexistentis ad ipsum. Ergò non est de ratione præmij, vt subsequatur necessitate naturali ad meritum. Confirmatur, quia omnes actus boni, ac salutares sunt præmium meritorum Christi, & ex meritis Christi procedunt, nō solū mediatè, ratione auxiliorum gratiæ Christi, quibus cooperantibus benè operamur, sed etiam immediatè ratione sui. Quia immediatè ratione sui sunt specialia dona, ac beneficia Dei, conferentia vel maximè ad vitam æternam, vt dictum est q. 18. de Deo, art. 7. & q. 25. ad 4. Omnia autem dona, & beneficia Dei salutaria secundum omnem rationem doni, & beneficij specialis sunt ex meritis Christi, vt liquet ex q. 41. de Incarnat. Et tamen merita Christi nullam cuiquam imponunt necessitatem naturalem benè, ac salutariter operandi; immò, & moralem ad id necessitatem, vix vnquam illi imponunt. Ergò idem, quod prius.

5. Fieri potest, vt iustus benè, ac laudabiliter operetur, cooperante gratia Dei, absque vlla dependentia à præmio, aut spe præmij; tum

quia sæpe contingit bene operari absque vlla actuali aduertentia ad præmium, aut promissionem præmij; tum quia viri Sancti, & perfecta dilectione Deo coniuncti ità feruntur ad gloriã Dei, & vsque adeò ardenter desiderant placere Deo, vt sint dispositi ad exhibenda omnia opera, & obsequia placentia Deo, & conferentia ad eius gloriam, tametsi nullum futurum esset præmium bonorum operum, neque in vita præsenti, neque in futura. Quod quidem de nonnullis sanctis historiæ perhibent fide dignæ; de quibusdam sub ijsdem illis terminis, de quibusdam verò sub alijs terminis æquiualẽtibus, quatenus perhibent aliquos sanctos intendisse propagationem gloriæ Dei, & salutis proximorum cum iactura propriæ beatitudinis, vel certe cum periculo eam amittendi, atque contemnẽdo securitatem præsentem consequendi protinus vitam æternam. Et tamen eiusmodi actus sunt ex sua natura, & fuere de facto in illis Sãctis Viris, vel maximè meritorij vitæ æternæ. Ergò non est de conceptu operis meritorij dependentia à præmio, vel spe præmij. Multò autem minus dependet Deus ex natura rei à nostris meritis ad conferenda dona sua, quàm nos dependemus à donis, & præmijs Dei ad exhibenda opera nostra bona obsequiosa respectu Dei. Ergò multò minus est de ratione donorum, quæ de facto conferuntur à Deo in præmium, dependentia à meritis nostris.

Art. I. Respondetur. Nulli substantiæ libertatis participi, & proximè capaci merendi, cõfert Deus gratiam habitualem, aut gloriam independenter à merito congruo, aut condigno, nullique operi quantum est de se meritorio negat præmium gratiæ, & gloriæ, vt patet ex dictis superius, & est inconfesso apud omnes catholicos. Quæ autem perpetua, & nunquam variata lege vniformiter mutuò coniunguntur in omnibus indiuiduis, & omni tempore, eo ipso deprehenduntur connexa inuicem ex natura

rei

rei sub ea ratione, sub qua inuiolabiliter ea illorum mutua habitudo. & dependentia obseruatur, vt notatum est iterum supra q. 32. art. 7. superaddita inductione indubitata apud omnes quoad res sensibiles; quarum tamen mutuus ordo est minus perfectus, quam ordo rerum supernaturalium, & donorum salutarium. Credendum igitur est dona gratiæ, & gloriæ connecti ex natura rei cum meritis, atque hæc vicissim cum illis connecti eadem connexione. Id quod, haud obscure apparet ex dictis q. 32. & 33. circa vim inductiuam gratiæ, & gloriæ, quæ inest operibus bonis procedentibus ex gratia, & circa dependentiam gratiæ, & gloriæ ab eisdem.

Art. 2. Cōfirmatur, quia vnusquisq finis dependet ex natura rei quoad existentiam suam ab existentia mediorum conducentium ad ipsum. Et rursus existentia mediorum dependet ex natura rei à motione, quam exercet idem finis respectu causæ efficientis, quæ adhibet media. Nemo enim adhiberet medicinam, quæ est medium ad recuperandam sanitatem, nisi bonitas sanitatis præmoueret ad illam adhibendam, nec sanitas recuperaretur; nisi adhiberetur medicina, & sic de similibus. Præmium autem est finis merentis, atque eius intentione præmouetur, quicunque meretur, vel virtuosè agit, vt dictum est supra ex D. Thoma q. 72. art. 5. ad 3. atque opera meritoria sunt media conducētia ad consequutionem eius doni, quod datur in præmium. Ergò gratia, & gloria, respectu potētis vtramque mereri, dependet ex natura rei ab eius meritis, & hæc vicissim dependent ex motione illarum. Vtraque pars huius consequentis deducitur clarè ex dictis supra q. 1. & 6. in, quarum priori dictum est omnes actus humanos essentialiter pendere ex motione vltimi finis; in posteriori verò eundem vltimum finem obtineri à substantia intellectuali per actus proprios, nec aliter obtineri posse ex natura rei. Igitur consecutio vltimi finis dependet ex natura rei ex

actibus bonis conducentibus ad illam, id est meritorijs respectu eius; & vicissim hi actus dependent ex natura rei ex motione eiusdem finis.

Art. 3. Confirmatur rursus, quia effectus producibiles à Deo mediantibus causis secundis efficientibus, non possunt ab eodem produci ex natura rei absque cooperatione earundē causarum secundarum. Miraculosum nempè esset, si effectus sublunares producerentur absque influxu Cælorum in ipsos; si fumus existeret nō præexistente, & influente igne, & sic de cæteris eiusmodi. Similiter esset miraculosum si existente causa secunda efficienti potente producere aliquem effectum, eòque mediante peruenire ad aliquem finem; perueniretur nihilominus ad eundem finem non interposito eo effectu, & independenter ab actione talis causæ, aut non perueniretur illis interpositis. Causa autem finalis, & meritoria sunt perfectiores ex genere suo, quàm causæ secundæ efficientes purè physicæ. Quia causa tam finalis, quàm meritoria mouet, atque determinat causam efficiētem purè physicā. Mouens autem atque determinans est nobilius ex genere suo, quàm mobile, & determinabile. Impossibile verò est, vt dependentia effectûs à causa nobiliori sit minor quàm dependentia à causa ignobiliori; vtque causa nobilior inducat minori vi effectum inducibilem per ipsam, quàm causa ignobilior. Multò igitur magis necessarium est ex natura rei, vt actûs boni hominis viatoris non existant independenter à causalitate præmij in ipsos, quod est eorum finis; vtque idem præmium non existat independenter à meritis, quæ habent ex se vim motiuam ad existentiam præmij.

Art. 4. Ad hæc; de conceptu doni collati de facto in præmium est, conferendum nequaquam fuisse, si non præextitisset opus meritorium. Quia de ratione præmij est, vt moueat,

vel certè, vt sit proximè aptum mouere ad opus meritorium, & ad superandas difficultates occurrentes in contrarium. Nullam autem huiusmodi motionem præstare potest donum, perindè conferendum, & obtinendum, siuè exhibeatur, siue non exhibeatur opus bonum: sicut nihil omninò mouere potest ad euitandum peccatum, illud malum, quod perindè infligendum est, siuè committatur, siuè vitetur peccatū. Ergò de ratione doni collati de facto in præmium, est dependentia ejus à merito, tanquam necessario ad existentiam ipsius. Non est autem minor dependentia operis meritorij à præmio, quam dependentia præmij ab opere meritorio, sed multò maior. Quia magis dependent media à fine, quam finis à medijs, atq; præmium habet rationem finis respectu meriti. Cùm igitur ad perfectam prouidentiam circa substantias intellectuales creatas necesse sit ex natura rei, vt dentur præmia, & supplicia, quibus arcentur à malo, & impelluntur ad bonum, & quibus proindè sublatis, omnia ruerent in deterius, nullo manente vestigio numinis perfectè prouidentis vniuerso; necesse consequenter est ex natura rei, vt dentur aliqua bona, quorum consequutio, & omissio intrinsecè dependeant à meritis, & demeritis, dependentibus itidem intrinsecè ab spe, & timore obtinendi illa, atque omittendi. Datur igitur mutua connexio ex natura rei cum mutua dependentia inter meritum, & præmium.

Art. 1. Ad 1. Ex eadem iustitia gubernatrice, ac legali, qua Deus distribuit vnicuique substantiæ suas proprietates, & vnicuique causæ efficienti necessariæ cooperat ur ad effectum ipsi connaturalem; rependit etiā præmia, & supplicia bonis, & malis operibus; nec subsequutio præmiorum, & suppliciorum ad bona, & mala opera est minus necessaria ad perfectum regimen vniuersi, quàm subsequutio aliorum effectuum ad alias causas. Igitur Deus cum eadem

necessitate ex natura rei, aut etiam maiori inducit præmia, & supplicia post opera bona, & mala, quàm inducit alios effectus posita exigentia aliarum causarum, & subiectorum. Negatur igitur esse de ratione præmij, vt sic, & in communi, vt possit, saltem connaturaliter, & sine miraculo, negari supposita existentia meriti.

Art. 2. Æquiuocatio obijcientis originē trahit ex duplici principio, altero vniuersali, altero particulari sed apprehenso vt similiter vniuersali. Primū principiū est de ratione præmij esse, vt dependeat à voluntate præmiantis, quatenus mota per cognitionem meriti. Quod est vniformiter, ac vniuersaliter verum respectū omnis præmij siuè à Deo, siue ab homine conferendi. Alterum principium est, voluntatem esse potētiam liberam, atque adeò de ratione effectus pendentis ab ipsa esse, posse non esse. Quod non est vniuersaliter verum, neque eodem modò cōuenit voluntati diuinæ, atque creatæ. Quia voluntas creata potest irrationabiliter, & iniustè agere tam contra iustitiam distributiuam quam contra commutatiuam; Deus verò non potest agere nisi rationabiliter, & sapienter, ac iustè. Vnde de ratione præmij, & supplicij humani est, vt possit negari, atque suspendi potestate non solum physica, sed etiam morali, quatenus homo potest inique agere, atque insipienter. Oppositū autem verificatur ob rationem contrariam iam notatam de præmio, & supplicio diuino, seu dependenti immediatè à sola voluntate diuina.

Ar. 3. Quod dicitur in cōfirmatione de ratione præmij esse, vt sit ex cōcessione propriè tali, verificatur de præmio humano immediatè, & ratione sui; de præmio verò diuino verificatur tantùm absolutè, quatenus Deus liberè concēdit homini meritum simul, & præmium, cum potentia negandi vtrumque simul, licet negare nō possit præmium saltem ex natura rei ex suppositione meriti, vt patet ex dictis.

Ad 2. Effectus, qui procedunt immediatè ab

acti-

actiuitate physica actus boni, & mali, non habent rationem præmij, siue procedant contingenter, siue necessariò; sed solùm illi effectus, qui procedunt intentionaliter à bonitate, & malitia ipsa morali, quatenus permouente voluntatem alterius per cognitionem sui, siuè hæc cognitio necessitet voluntatem, siuè non necessitet. Negatur itaque causalis antecedentis, & indè consequentia.

Ad 3. Qui est dominus, & simul rector communitatis non potest liberaliter donare omnia promiscuè, quæ subduntur eius dispositioni; sed ratione iustitiæ distributiuæ, aut legalis tenetur plura impertiri iuxta dignitatem singulorum. Quia alioquin non regeret iustè, & sapienter cõmunitatem. Deus autem est rector totius vniuersi, & quidem essentialiter perfectissimus. Ipsa igitur sui dominij infinita perfectione impeditur quominus, quælibet quibuslibet, & ex qualibet suppositione donare liberaliter possit. Confirmatio non tenet, quia solum agitur de collatione gratiæ, & gloriæ respectu potentium mereri, quales sunt adulti, non verò respectu eorum, qui mereri non possunt, quales sunt paruuli. Conceditur gratiæ, & gloriæ non conuenire intrinsecè, quod concedantur paruulis determinatè, vel quod concedantur determinatè adultis; sed negatur non conuenire eisdem intrinsecè, vt non conferantur adultis, nisi dependenter à meritis.

Art. 1. Ad 4. Probabile valdè est, nullum actum liberum immediatè, & formaliter ratione sui posse esse præmium vllius meriti, adeoque perseuerantiam in gratia dici præmium meritorum præcedentium ratione vbertatis, & perfectionis auxiliorum gratiæ, quibus quis specialiter præuenitur ad perseuerandum; eodemque modo meritis Christi attribui actus bonos prædestinatorum, aliorumque benè operantium.

Art. 2. Deindè actus meritorij possunt consi-

derari, vt subsunt liberæ prælectioni diuinæ, & prout subsunt libertati ipsius merentis. Secũdum priorem rationem possunt habere rationem præmij respectu aliorum meritorum præcedentium, quatenus Deus per cognitionem illorum potest determinari ad conferendum ea solum auxilia, quæ præuidet futura esse efficacia. At secundum posteriorem rationem, non possunt habere rationem præmij directè, & formaliter, quia non spectat ad ipsum merentem compensatio meritorum, siue suorum, siue alienorum. Hac distinctione vitatur inconueniẽs intentum in obiectione. Quia diuina cognitio meriti, siue vnius cuiusque, quatenus merent sibi alios actus bonos, siue Christi Domini quatenus merentis omnibus alijs actus omnes salutares, licet determinet Deum ad prædefiniendos, & conferendos in præmium eosdem actus bonos, quia inest intrinsecè Deo; non tamen determinat similiter voluntatem accipientis præmium ad eliciendos eosdem actus, quia non inest intrinsecè pro priori naturæ ipsi accipienti præmium; atque vt inesset intrinsecè non haberet vim eum similiter determinandi; cùm vt dictum est non pertineat ad ipsum præmiare actus meritorios suos, vel Christi Domini. Pro concordia ista nostræ libertatis cum determinatione Dei ad præfiniendum, & donandum nostros ipsos actus, videnda sunt, quæ de hac re accurate discussa fuere q. 34. de Deo. Hæc porro posterior responsio videtur præferenda priori, atque omninò retinenda.

Ad 5. Negatur vllum, siuè iustum, siue peccatorem benè, ac salutariter vnquam operari absque intentione vitæ æternæ, & adhæsionis beatificæ ad Deum, quæ est tota merces iuxtà illud Augustini: *Visio est tota merces*. Quia nemo benè, ac salutariter operatur, aut operari potest nisi actualiter præcognito, & præmouente vero suo vltimo fine, vt dictum est supra,

ideò-

ideòq; amissa eius spe, præciduntur vires benè operandi, & confluit sentina omnium vitiorum, vt dictum est cum D. Thoma q. 35. de Virt. Theolog. Quæ ratio viget multo magis respectu Sanctissimorum hominum, vtpote adhærentium multò magis summo suo bono, quod est Deus, estque simul ipsorum beatitudo, & felicitas. Quapropter, cum dicitur Viros Sanctos quærere gloriam Dei, & vtilitatem atque salutem æternam proximorum absque intuitu mercedis, & cum dilatione propriæ beatitudinis, aut etiam cum periculo eiusdem amittendæ; accipiendum idest de contemptu aliorum præmiorum, & mercedis distinctæ ab ipso Deo, & dilatione propriæ beatitudinis compensanda per augmentum eiusdem, ac demum de periculo amittendi imminenti ex causis secundis secundum se, sed superando per gratiam Dei cò efficacius opitulatu- ri.

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum intentio habitualis bona, vel mala conferat aliquid ad meritum, vel demeritum actuum deinde subsequentium?

VIDETVR conferre. Quia intentio habitualis seù aliquando habita, & non retractata, ideòq; moraliter perseuerans, perindè æstimatur moraliter, atque si esset physicè præsens. Intentio autem boni, & mali finis actualiter præsens confert plurimum ad meritum, & demeritum, quia confert plurimum ad bonitatem, & malitiam operis, immò est tota ratio bonitatis, & malitiæ conuenientis vnicuique actui, atque operi externo, vt dictum est supra; atque ratio meriti, & demeriti fundatur præcipuè, vel vnice in bonitate, & malitia operis. Ergò intentio habitualis bona, vel mala confert plurimum ad meritum, & demeritum actuum subsequentium. Confirmatur, quia alioquin perperam per interualla temporum viri pij referrent, vti solent facere, ad maiorem gloriam Dei, aliosque honestos fines opera subsequentia horæ sequentis, vel diei, vel mensis, vel anni.

Sed contra est. Quia si intentio habitualiter tantum perseuerans conferre aliquid posset ad rationem meriti, vel demeriti actuum deinde subsequentium, eam in illis, vel augendo, vel simpliciter inducendo; Intentio bona, vel mala concepta initio vitæ & referens in finem bonū, vel malum actus omnes, & omnia opera deinde subsequutura per totam vitam, sufficeret se sola

ad

ad augendam, vel ad inducendam absolute rationem meriti, vel demeriti in omnibus totius vitæ, vtcumque longæ actibus, & operibus; dũmodo nunquam deinde retractaretur. Quod tamen videtur esse absurdum, & si crederetur esse verum, induceret in animos hominum summã negligentiam eleuandi assidue mentem; & intentionem ad finem honestum, ac præstantissimum.

Respondetur. Finis non aliter conferre potest ad meritum, & demeritum cuiusque actus, & operis, nisi quatenus confert ad bonitatem, & malitiam eius. Ad bonitatem autem, & malitiam nihil conferre potest, nisi quatenus intenditur à voluntate, ita vt pro modo intentionis sit modus bonitatis, & malitiæ in vnoquoque actu, vt liquet ex q. 25. & 26. nec non ex 28. Quapropter duplex distinguenda est perseuerantia habitualis intentionis præexistentis, seu bonæ, seu malæ. Prior modus perseuerandi est per solam non retractationem intentionis præhabitæ absque vlla deinde renouatione, seu repetitione ipsius explicita, vel implicita, atque ideò absque vlla causalitate eius respectu actuum deinde subsequentium. Atque intentio hoc præcisè modo perseuerans habitualiter nihil confert ad rationem meriti, & demeriti augendam, vel absolutè inducendam in actibus subsequentibus; quia finis intentionis taliter perseuerantis se habet purè concomitanter respectu actuum subsequentium, nec vllam in illos causalitatẽ exercet, vt supponitur. Finis autem eatenus præcisè confert ad bonitatem. & malitiam cuiusque actus, & operis, quatenus est causa, & ratio volendi ea, quæ sunt ad finem, vt dictum est in ijsdem illis qq. Alter modus perseuerandi habitualiter in intentione præconcepta est cum renouatione, & repetitione eius saltem implicita, quoties occurrit noua opportunitas operandi: ità vt dicatur: Volo hoc facere, vt promoueam, quod cœpi; vt perueniam ad finem præintentum

vt expleam priorem meam intentionem; vel alio simili, ac æquiualenti modo. Atque hic modus perseuerantiæ habitualis in intentione præhabita confert plurimum ad meritum, & demeritum actuum subsequentium. Quia videlicet in hoc euentu finis intentionis præhabitæ exercet causalitatem in actus subsequentes, ideoque confert illis bonitatem, & malitiam peculiarem, & consequenter rationem peculiarem meriti, & demeriti. Distinctio ista, & vtraque pars determinationis illi ad unctæ est conformis doctrinæ D. Thomæ q. 19. art. 8. Ex eadem distinctione patet ad rationes dubitandi. Prior enim pro parte affirmatiua solum conuincit de intentione præhabita exercente causalitatem in actus elicitos pro tempore sequenti. Quia quæ nullam exercet causalitatem non perindè se habet, atque intentio actualiter præsens physice, quandoquidem hæc exercet veram causalitatem in actum, & opus subsequens. Posterior verò ratio pro parte negatiua solum conuincit de intentione præhabita nunquam deindè renouata ne quidem implicitè, & æquiualenter. Nullum autem absurdum, nullumque inconueniens est intentionem præhabitam toties aliquomodo repetitam, ac renouatam, quoties occurrit noua occasio operandi, semper adiungere operi, seu actui interno peculiarem bonitatem, aut malitiam, & consequenter peculiarem rationem meriti, ac demeriti, vtcunque longum tempus decurrat post talem intentionem primitus præhabitam. Expositio ista intentionis duplici eo modo perseuerantis habitualiter promouebitur plusculum cum maiori claritate quæst. 15. de Sacramentis.

QVAE-

QVAESTIO XXXVIII.

Vtrum actiones externæ, & actus interni efficaciter, & omninò determinatè imperati superaddant augmentum aliquod meriti?

VIDETVR superaddere. 1. Quia quod auget bonitatem, & malitiam actus, eo ipso auget tantundem rationem meriti, & demeriti, vtpote fundati in bonitate, & malitia operis, vt dictum est supra. Actio autem exterior bona, & mala augent bonitatem, & malitiam actus interni, vt colligitur ex verbis Augustini lib. 13 de Trinit. c. 5. *Mala voluntate, vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ mala voluntatis desiderium impletur*; eademque est ratio de impletione bonæ voluntatis per operationē externam bonam. Probatur, quoad vtramque, efficaciter ratione D. Thom q. 20 art. 4. c. Vbi sic habet: *Si autem loquamur de bonitate actus exterioris, quam habet secundum materiam, & debitas circumstantias, sic comparatur ad voluntatem, vt terminus, & finis: & hoc modo addit ad bonitatem, vel malitiam actui voluntatis. Quia omnis inclinatio, vel motus perficitur in hoc, quod consequitur finem. vel attingit terminum.* Ergo actio exterior bona, & mala auget rationem meriti, & demeriti. Manifestior autem ratio est eiusdem augmenti per actum internum efficaciter & determinate imperatum, vtpotè habentem in se plus bonitatis, & malitiæ. Confirmatur, quia

in confessione Sacramentali non sufficit exponere actus internos solos, sed necesse insuper est, vt exprimantur actiones exteriores malæ; quod tamen necesse nequaquam esset; si actiones exteriores non superadderent nouam rationem malitiæ.

2. Martyrium reipsa exequutioni mandatũ, est maioris meritis, quàm sola voluntas vtcunque efficax eiusdem martyrij perferendi. Quia exterior effectiua perpessio martyrij habet vim peculiarem perducendi ad gloriam, & eidem specialiter correspondet præmium accidentale laureolæ. Confirmatur exemplo Martyrij puerorum innocentium, quod independenter ab omni actu interno fuit meritorium coronæ gloriæ, & aureolæ.

3. Seueriùs puniuntur ex dispositione iuris Canonici, & ciuilis actiones exteriores malæ, quàm soli actus interni intentiui illarum, tametsi manifestissimè constet de ipsis. Hoc autem inique dispositum esset, si actiones exteriores non superadderent peculiarem malitiam, atque continerent in se peculiarem vim demeritoriã. Eadem autem est ratio de actione exteriori bona ad augmentum meriti, atque de mala ad augmentum demeriti.

4. Plus meretur, qui largitur eleemosynam de facto, quàm qui voluit eam largiri, & non est largitus de facto; & similiter demeretur plus, qui occidit hominem, quàm qui voluit occidere, & non occidit, tametsi vterque impeditus sit extrinsecus ab actione exteriori sine propria libertate. Quod patet primo ratione à priori iam indicata de augmento bonitatis, & malitiæ, vtilitatis, & nocumenti superaddito per actionem exteriorē, & deficiente ob eius defectũ. Deinde quia alioquin sequeretur volentem largiri eleemosynam infinitam, aut occidere infinitos homines mereri præmium, & pœnam infinitam, sicut mereretur, qui reipsa largiretur infinitam eleemosynam, aut occideret reipsa infinitos homi-

homines. Sequela autem est manifestè absurda, & ab omnibus agnoscitur, vt talis.

5. Meritum est obsequium cedens in honorem, aut commodum, aliudue bonum principis, & reipublicæ volentis illud præmio compensare. Cuius principij veritas apparet ex communi omnium consensu, quem exprimit D. Thomas q.21. art.3. *Dicendum, ait, quod meritum, & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quæ fit secundum iustitiam. Retributio autem secundum iustitiam fit alicui ex eo, quod agit in profectum, vel nocumentum alterius.* Confirmatur, quia omnes præmium secundum suam rationem communem appellant retributionem, & compensationem, de cuius ratione est tribuisse prius aliquid, atque contulisse præmianti, eum, qui accipit præmium. Actio autem exterior per se, ipsam formaliter cedit in honorem, & gloriam Dei, & viget peculiari vi eam propagandi excitando alios in laudem, & cognitionem Dei, vtque alij per imitationem boni operis laudent, & glorificent Deum per exercitium bonorum operum. Ergò Deus, ratione peculiaris obsequij erga se, & peculiaris beneficentiæ erga proximos, tenetur ad retribuendum peculiare præmium, propter actionem exteriorem quatenus superadditam interiori.

6. Actio externa auget vim satisfactoriam actionis internæ, & vtraque simul satisfacit plus, quàm vtralibet seorsim. Eadem autem est ratio de augmento meriti per operationem externam bonam; quia sicut pœnalitas actionis exterioris auget vindictam peccati, ità bonitas actionis exterioris auget obsequium, quatenus cedens in honorem Dei, & in bonum vtile reipublicæ rationalis.

7. Actus internus efficaciter, & omninò determinatè imperatus; idest efficaciter, & omninò determinatè volitus per alium actum, est immediatè liber non minùs vel aliter, quam actus ipse imperans. Quia voluntas pro eodem illo

 priori

priori naturæ pro quo vult elicere aliquem suũ actum eum elicit, & non pro posteriori naturæ; nempè respectu actus voluntatis idem est determinari ad velle, & determinari ad agere; Cum in ipso actu voluntatis non distinguantur ratio volitionis, & ratio actionis ; Impossibile igitur est, vt actus internus, qualitercunque imperatus sit, non euadat immediatè liber, sicut actus imperans. Actus autem immediatè liber est immediatè & ratione sui meritorius, si sit bonus, & demeritorius, si sit malus. Ergò tametsi actiones exteriores essent expertes omnis meriti, & demeriti peculiaris, quatenus non sunt immediatè liberæ actus nihilominus interni ob contrariam rationem dicendi sunt specialiter meritorij, ac demeritorij.

Art. 1. Respondetur. Certum est plus mereri, ac demereri saltem, vt plurimum eum, qui reipsa superaddit operationem externam bonam, aut malam actui interno, quàm qui solum actum internum elicuit, non solùm si per ipsum stetit, quo minus impleret opere externo propositum internum, sed etiam si per ipsum non steterit, atque extrinsecus insuperabiliter impeditus fuerit. Et quidem si per ipsum steterit, res est manifesta: tum quia si cætera sint paria is, qui exequitur actionem exteriorem, diutius perseuerat in actu interno eliciendo, quàm qui liberè omittit exequutionem exteriorem, siquidẽ eo ipso hic cessat ab eliciendo actu interno pro eo tempore: tum quia saltem plerumque est difficilius perseuerare in actu interno, cum adest iam præsens opportunitas exequutionis externæ, quàm ante eius occursum; ideòque is, qui continuat actum voluntatis vsque ad complementum exequutionis exterioris, constantius, & magis adhæret motiuo honesto, propter quod voluit opus bonum externum, quàm is, quem deterruit ab actu interno continuando præsentia difficultatis peculiaris, quam ingerit exequutionis imminentia ac eius apprehensionem

eius

eiusdem difficultatis. Maior autem adhæsio ad bonum, & victoria maioris difficultatis, & maior duratio actus boni augent rationem meritis vt dictum est supra. Si autem impedimentum actionis exterioris proueniat ab extrinseco adhuc est maius meritum non impediti, & exequentis de facto, saltem vt plurimum; tum quia impeditus ab exequutione exteriori solet eo ipso desistere ab interna quoque eius intentione; ideoque, si cætera sint paria, non perseuerat in actu interno eliciendo, quamdiu perseuerat, qui non impeditur, & exequitur: tum quia idem extrinseca vi impeditus non exercet actum internum victorem peculiaris eius difficultatis, quam experitur, & specialiter apprehendit, atque superat cum peculiari ad motiuum honestum adhæsione, qui exequitur reipsa.

Art. 2. Cæterum si intensio, & duratio actus interni sint omninò æquales in eo, qui exequitur exterius, & in eo, qui non exequitur, meritum erit in vtroque prorsus æquale. Quia vnicuique est imputabile suum opus præcisè, quatenus est liberum eidem, vt liquet ex q. 18. Solus autem actus internus est liber immediatè ratione sui, & actio exterior est libera solum extrinsecè, ac denominatiuè, & ratione alterius. Solus igitur actus internus est imputabilis immediatè, & ratione sui, & actio exterior est imputabilis solum mediatè, & ratione alterius, atque per puram denominationem extrinsecam. Opus autem eatenus, & eo præcisè modo est meritorium, & demeritorium, quatenus, & quo modo est imputabile operanti. Quia quatenus non imputatur ipsi perindè reputatur, atque si non esset opus eius, sed alterius. Igitur opus externum solum mediatè, & ratione alterius, atque per puram denominationem extrinsecam meritorium, aut demeritorium esse potest, ideòque immediatè ratione sui nullam superaddit vim peculiarem meritoriam, aut demeritoriam, si nullam præsupponat, aut inducat diuersitatem in actu interno.

terno secundum se quoad eius maiorem durationem, vel intensionem, aut repetitionem modo nuper explicato.

Art. 3. Confirmatur primo, quia, qui extrinsecus impeditur ab exteriori exequutione, nullā propterea potest pati iacturam præmij, quod obtenturus fuisset, si impeditus non fuisset dummodo nulla indè redundet diminutio quoad actum internum. Quia, quod sic impediatur, est prorsus inuoluntarium impedito. *Inuoluntarium autem*, subjungit optimè D. Thomas q. illa 20. art. 4. in fine c. *sicut non meretur pœnam, vel præmium in operando bonum, aut malum; ità non tollit aliquid de præmio, vel de pœna, si homo inuoluntariè simpliciter deficiat ad faciendum bonū, vel malum.* Confirmatur rursus ex illo Deuteron. 25. *Iuxtà mensuram delicti erit, & plagarum modus.* Non enim delictum est minus ex eo præcisè, quod deficiat exequutio eius exterior ob solum defectum possibilitatis exequendi, ne dicatur non esse in sola cuiusque potestate, quod magis ipse, vel minus delinquat, sed etiam in potestate alterius potentis impedire, & non impedire actionem exteriorem illius; & non esse æquè odibiles respectu Dei, qui habent æqualem voluntatem contemnendi legem diuinam, & operandi aduersus ipsam; aut esse dignos inæquali pœna, qui sunt æquè odibiles Deo, quæ sunt patenter absurda. Mensura igitur pœnæ, & plagarum est solus actus interior malus, cui videlicet soli conuenit ratio delicti immediatè, & secundum se. Eadem autem est quoad hæc ratio de merito, & de demerito. Confirmatur tertio, quia præmia, & supplicia ad hoc, vel maximè instituta sunt, vt impellant ad bona opera, & arceant à malis operibus. Vti obseruatū fuit suprà q. 35. art. 3. In hunc autem finem nihil confert, immò nocet plurimum, si credatur fieri posse, vt inæqualia præmia, vel supplicia retribuantur ijs, qui æquè benè, aut æquè malè sunt affecti, atque dispositi quoad ea, quæ

pen-

pendent à libera potestate, & electione eorum, solumque sunt dispares quoad ea, quæ extrinsecus proueniunt inimpedibiliter ab alijs causis. Nihilinquam hoc confert ad eum finem, quia voluntas nequit moueri præmijs, & supplicijs nisi ad ea, quæ sunt vnicuique libera, & quatenus libera sunt; siquidem positis actibus internis immediate liberis cætera omnia deinde subsequuntur independenter ab omni vlteriori motione peculiari præmiorum, & suppliciorum. Nocet verò idem ad eundem finem, quia sicut pluris fiunt actus interni immediatè liberi, si credatur illis solis secundum se deuinctam esse totam mensuram retributionis diuinæ, ideòque auidius impellitur voluntas ad actus bonos, & difficilius consentit in malos: ita minus æstimantur ijdem actus interni, & immediatè liberi, si credatur cum omnimoda eorum secundum se æqualitate stare posse inæqualitatem præmiorũ, & suppliciorum, ideòque minus horrebit voluntas actus malos, minusque afficietur ad actus bonos immediatè liberos. Quod quidem est magnum inconueniens, vtpotè inuersiuum, ex parte, atque debilitatiuum perfectionis diuinæ prouidentiæ, quoad institutionem præmiorum, & pœnarum, & quoad vim dirigendi his medijs voluntates humanas ad finem ipsarum vltimum.

Art. 2. Eadem porrò ratio est spoliandi peculiari merito, & demerito, & augmento præmij, atque supplicij actus internos efficaciter, & omninò determinatè imperatos, atque spoliandi ijsdem actiones exteriores. Quia videlicet actus interni efficaciter, & omninò determinatè imperati, perindè sunt expertes libertatis immediatè ratione sui, atque actiones exteriores. Defectus autem libertatis immediatè est tota ratio fundamentalis negandi actionibus externis peculiarem præmij, & supplicij accessionem, vt apparet ex dictis. Verùm maioris claritatis gratia distinguendus est duplex modus imperandi

di actus internos. primùm enim voluntas imperat implicitè tantum, & indirectè aliquẽ suum actum per alium actum suum, quatenus per vnũ actum vult finem, & indè mouetur ad volendũ medium. Quod si præconcepta intentione efficaci finis proponantur deindè ab intellectu plura media; actus electionis erit imperatus tantum vagè, & disiunctiuè. Quia in eo casu ità mouetur, & necessitatur voluntas per actum intentionis ad superaddendum actum aliquem electionis, vt tamen insit eidem in sensu composito eiusdem intentionis, indifferentia ad actum electiuum cuiuslibet ex medijs simultaneè propositis, tanquam sufficientibus ad finem præintentum. Vndè certum est in hoc casu superaddi posse nouam rationem meriti, & demeriti per actum imperatum electionis. Quod si præexistẽte intentione efficaci finis, vnicum tantum medium proponatur ab intellectu, idque non omissibile, aut differibile hic & nunc absque iactura finis; nulla aderit peculiaris libertas in actu electionis. Qui, quia vult efficaciter finẽ, eo ipso vult efficaciter saltem implicitè, & virtualiter, quæcunque sunt necessaria ad finem, & sunt ponenda à parte rei ab ipso intendente finem; Quarè nè contingat voluntatem idem velle, & nolle simul efficaciter, quod est impossibile, necesse est in sensu composito intentionis; vt superaddatur electio vnici medij propositi vt talis hic, & nunc. Sequetur igitur in hoc casu actus electionis absque vlla noua libertate, atq; adeò absque vllo augmento meriti, vel demeritii iuxtà dicta. Iste modus imperandi actus quosdam voluntatis per alios eiusdem actus est valdè familiaris; & contingit quoties habentur successiuè, vel successione realis durationis, vel successione naturæ, & causalitatis cognitio finis, & cognitio medij: ita vt actus, qui est de fine imperet actus, qui sunt de medijs, vt docet sæpè D. Thomas ex principio vniuersali tradito ab eodem q. 9. art. 1, nec non art. 3. cuius

dis-

discursum concludit his verbis. *Et similiter voluntas per hoc, quod vult finem, mouet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem.*

Art.5. Alier modus, quo voluntas imperat sibi quosdam suos actus per alios suos actus, est volendo illos per istos explicitè, & formaliter, adeòque mouendo se volitione formaliter reflexa ad volitionem directam obiecti distincti ab omni actu voluntatis, vel ad volitionem reflexã quidem, sed propinquiorem volitioni directæ. Quem quidem imperandi modum esse possibilem voluntati, respectu suorum actuum optima ratione demonstrat D. Thomas q. 17. art.5. c. dicens: *Imperium nihil aliud est, quam actus rationis ordinantis cum quadam motione aliquid ad agendum. Manifestum est autem quod ratio potest ordinare de actu voluntatis. Sicut enim potest iudicare, quod bonum sit aliquid velle; ita potest ordinare imperando, quod homo velit. Ex quo patet quod actus voluntatis potest esse imperatus.* Dupliciter autem contingit aliquem velle suum ipsum velle. Primo ità, vt simul velit aliquid aliud conferens ad volendum, quod sibi nondum adest. Hoc pacto vult sæpè peccator dilectionem Dei, per quam deleat sua peccata, quin sit actu dispositus proximè ad diligẽdum Deum super omnia, & proptereà ex vi eius suæ volitionis reflexæ mouetur ad meditationem diuinæ bonitatis, misericordiæ, beneficentiæ, &c. ad lectionem libri pij, ad audiendam concionem sacram, & similia. Secũdo contingit voluntatem velle suum velle, ità vt nihil aliud simul velit, sed solà sui actus directi bonitate moueatur ad actum reflexum, solũque ipsum actum directum secundum se velit actu reflexo; & tunc si volitio reflexa sit efficax, necesse est, vt adsit pro posteriori naturæ actus directus imperatus. Quia vt dicit Augustinus lib.8. confess. c.9. circa med. & ex eo D. Thom. in illo art.5. ad 1. *Animus quando perfectè imperat sibi, vt velit, tunc iam vult.* Hic posterior modus imperandi raro vsuuenit, quia est mani-

feste superuacaneus, & inutilis. Quilibet enim actus voluntatis est volitio sui per se ipsum, ideoque voluntas ad nullum suum actum volendum indiget alio suo actu nihil aliud praestante, quam velle alium actum. Rarò autem contingit voluntatem determinari ad ea, quae sunt vsque adeò manifestè, superuacanea, & inutilia, quia rarò contingit ea apprehendere ad modum vtilium, & non redundantium.

Art. 6. Porrò vtrouis ex his modo imperet voluntas sibi ipsi imperio efficaci; & omninò determinato, actus imperatus subsequitur cum omni moda necessitate ad actum imperatum. Alioquin sequeretur multò manifestius inconueniés paulò prius indicatum; nempè voluntatem idē simul velle, & nolle efficaciter. Quia verò operationes, quarum vna est, & indiuisa libertas, eo ipso est vna, & indiuisa aestimabilitas moralis, concluditur in nullo euentu actum efficaciter, & omninò determinatè imperatum superaddere posse bonitatem specialiter aestimabilem, ac proindè in nullo euentu specialiter meritorium esse posse alicuius praemij vltra praemium debitum ratione actus imperantis secundum se praecisè considerati. Quod consonat conclusioni Vniuersali D. Thomae in dicta q. 17. art. 4. *Vndè patet, quod imperium, & actus imperatus sunt vnus actus humanus.* Itaque neque actiones externae, neque actus interni efficaciter, & omninò determinatè imperati, superaddunt augmentum aliquod meriti vltra vim meritoriam, quae inest actui interno immediatè libero, siue imperanti actionē externā, siue imperanti actū internū.

Art. 7. Doctrina ista est maioris momenti quo ad actiones externas, quae deficere possunt inuoluntariè praeexistentibus actibus internis, quā quoad actus imperatos internos, qui abesse non possunt praeexistenti imperio efficaci, nisi fortè miraculosè, & de potentia absoluta; ideòque non militat circa huiusmodi actus inconueniens morale ponderatum suprà art. 3. in tertia con-

confirmatione circa actiones exteriores. Quapropter libet vlterius confirmare auctoritate, rationes propositas circa ipsa. Audiatur in primis Chrysostomus hom. 19 in Matth. *Voluntas est, qua aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo: opera autem sunt testimonia voluntatis.* Circa quæ verba, subdit D. Thomas q.20. art 4. ad 1. *dicendum quod Chrysostomus loquitur quando voluntas hominis est consumata, & non cessatur ab actu, nisi propter impotentiam faciendi;* Eodem spectat paritate rationi, quod dicit August. lib.1. de lib. arb. c.3. *Si cui non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo sic, id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.* Adde Richardum de S. Victore lib.2. de Sacram. par.14.c.6. *Vbi aliquid datur, & vbi nihil datur, differens meritum esse non potest, sit aequalis vtrimque voluntas habeatur.* Eodem sensu D. Gregor. tom.4 hom 5. in Euangelia. *Exteriora*, ait, *nostra domino quantumlibet parua sufficiunt. Cor namque, non substantiam pensat.* Obuiæ sunt apud alios etiam SS. PP. commendationes eiusmodi internæ animæ dispositionis cum contemptu operationis externæ, cuius possibilitas deest volenti quantum potest. Igitur ex sensu SS PP. tota ratio meriti, & demeriti reuocatur ad solos actus internos.

Ad 1. Bonitas, & malitia actionis exterioris auget bonitatem, & malitiam physicā actus interni, non verò bonitatē & malitiā moralem ac imputabilem formaliter ratione sui penes, quam solam pensatur ratio meriti, & demeriti. Instatur argumentum ex euentu bono, vel malo mediatè subsequuto, augente similiter bonitatem, & malitiam physicam actus interni, & tamen nihil augente, aut minuente rationem meriti, & demeriti. Nec enim plus meretur concionator, cuius prædicatione plures ad fidem, vel meliorem frugem conuersi sunt; quàm is, cuius prædicatione non totidem, aut tantundē

pro-

profecere, si cætera sint omninò paria, & sic de similibus, vt docent omnes cum D. Thoma q. 20. art. 5. Augustinus miseriorem vocat prædictum potestate implendi malum desiderium, tùm, quia indè fit saltem vt plurimum, vt diutius duret malum ipsum desiderium internum; tum, quia experientia delectationis exterioris, seù de effectu sensibili sequuto solet animum disponere deterius in posterum, iuxta notationem præmissam supra art. 1. Quod attinet ad D. Th. nihil necesse est dicere; sufficit legere verba eius quæ sequũtur immediatè, & obseruata à nobis sunt superius art. 3. De Confirmatione argumenti dicetur ex professo in qq. de pœnitentia. Interim sufficit notare in Sacramento confessionis non exprimi rationem demeriti, sed rationem malitiæ, quæ verè inest actionibus externis, licet non sit imputabilis formaliter rationi ipsarum, prout opus esset pro scopo argumenti.

Ad 2. Et ad eius confirmationem. Martyrium habet vim inducendi gloriam ex opere operato, sicut Sacramenta, vt dicetur in loco. Vndè argumentum indè desumptum non est ad propositum, & conuinceret plusquam intendunt aduersarij nostri, vtpotè tribuentes actionibus externis vim meritoriam peculiarem incomparabiliter minorem, quàm actibus internis cuius oppositum apparet in martyrio, tum aliorum plurium, tum maximè puerorum innocentium.

Ad 3. Discrimen Dei ab hominibus in iudicando, & retribuendo apparet, inter alia, ex 1. Reg. 16. 7. *Nec iuxtà intuitum hominis Ego iudico. Homo enim videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* Itaque humanis potestatibus data est facultas puniendi, ac remunerandi, cuius homines sunt capaces; nempè puniendi, ac remunerandi actus internos solos, sed quatenus apparentes exterius in effectibus sibi correspondentibus, & quatenus expedit ad exteriorem, ac sensibilem felicitatem reipublicæ huma-

manæ. Vndè homines non augent præmium, aut pœnam actus interni propter additamentum exterioris effectus, sed solum compensant præmio, & pœna actus internos dependenter ab eorum apparentia per effectus exteriores; sicut etiam attemperant præmium, & pœnam probationi eiusdem apparentiæ exterioris per testes, quorum tamen notitia, & depositio non est vlla pars meriti, aut demeriti. Deus autem afficit pœna, & præmio eosdem actus internos non præcisè, vt apparent exterius, sed vt sunt in se reipsa. Nec est aliud discrimen, quod ad præsens attinet, inter iudicium diuinum, & humanum. Nihil igitur proficit obiectio ea paritate pro scopo suo.

Ad 4. Negatur assumptum. Ad primam eius probationem à priori, patet ex responsione ad 1. Ad posteriorem ab incommodo dicitur magnitudinem præmij non commensurari magnitudini obiecti voliti per actum bonum, sed magnitudini bonitatis, quæ indè redundat in actũ. Bonitas autem actus volentis largiri infinitam eleemosynam non est infinita, imò non est maior saltem notabiliter, quàm, quæ inest actui volenti largiri quantum quisque reipsa potest, aut quantum connaturaliter fieri potest, vt possit, quia quoad reliquum est velleitas potiùs inefficax, quàm volitio efficax, nec vlla eatenus superadditur specialis difficultas, ac arduitas, quã tamen dictum est supra, esse de conceptu meriti. Idem dicitur suo modo de demerito, & pœna.

Ad 5, Sæpè notatum est superius Deum non teneri ad retribuendum ex re accepta, nec moueri ad præmium, & supplicium cognitione bonarum, & malarum operationum nostrarum quatenus vtilium, aut nocentium Deo, nec Deũ illas apprehendere posse ad modum talium, atque gloriam, & dehonorationem Dei redundãtem ex operibus nostris esse vtilem, ac nociuam præcisè respectu nostri; respectu verò Dei esse purè decentem, ac dedecentem. Repugnat igi-

tur Deum teneri ad additamentum præmij propter accessionem actionis externæ bonæ, & glorificationem Dei illi annexam, quasi propterea aliquid plus acceperit. Sola itaque attendenda ab eo est bonitas, & malitia actus interni quatenus immediatè liberi, ad quem videlicet solum moueri potest, ac debet volũtas præmijs, & supplicijs, vt notatum est supra. Quod præmia, & supplicia prouenientia ab eo dicantur retributiones, & quòd meritum, vt sic definiatur obsequium cedens in honorem, aut vtilitatem alterius, nihil nocet doctrinæ traditæ. Quia Deus verè retribuit nobis, non tanquam afferentibus ipsi aliquam vtilitatem, aut nocumentum, sed tanquam inducentibus aliquam vtilitatem, aut nocumentum in communitatem, cuius cura incumbit Deo, vt expositum est q. 30. idque cum iactura proprij commodi præsentis, dum meremur, vt ex q. 31. & cum vsurpatione commodi non nobis permissi, dum demeremur, quod indidem satis apparet indirectè, & à pari & prætereà opera nostra bona verè cedunt in honorem Dei, licet prorsus in vtilem ipsi, & verè decent eundem; sicut dedecent operationes malæ, ipsumque dehonorant. Licet autem bonitas, aut nocumentum communitatis, & honor, ac dehonoratio Dei crescant superaddita actione exteriori sicut etiam superaddito euentu mediatè, ac remote indè redundante; nihil tamen propterea crescit de merito, aut de demerito, quia nihil superadditur specialiter imputabile immediatè, & ratione sui.

Ad 6. Argumentum à vi satisfactoria ad meritoriam est simile argumento à vi passiua ad actiuam; vt si diceretur: Materia prima potest recipere formas. Ergò potest easdem efficere. Ratio similitudinis est, quia satisfactio substituitur satispassioni; meritũ verò est virtus quasi actiua præmij, solumq. differt à causa efficiẽti physica, quòd hæc agit per se ipsam immediatè; causa verò meritoria media motione

vo-

voluntatis alienæ. Conceditur itaque actionem exteriorem pœnalem valere specialiter ad satisfaciendum, quia eà superaddita plus patitur satisfaciens, quam ratione solius actus interioris; & quia patitur propria voluntate, redditur dignus, qui minus, aut nihil patiatur dependẽter à voluntate aliena contra propriam inclinationem, quod pertinet ad conceptum pænæ propriè talis, & satispassionis. At non similiter crescit meritum ex actione exteriori, quia sola interior est motiua voluntatis alienæ ad compensationem faciendam non ratione rei acceptæ, sed ratione boni regiminis, quatenus perductiui hominum ad æternam ipsorum felicitatem, & ad amorem honestatis, atque ad fugam inhonestatis morum.

Ad 7. D. Thomas tota q. 17. & reliqui omnes Theologi, præter vnum, vel alterum modernũ, actum imperantem appellant eum solum, qui causalitate sua inducit alium actum, estque natura prior eodem; imperatum verò eum solum, qui ab alio actu procedit, estque natura posterior eodem. Atque de huiusmodi actu imperante, & imperato efficaciter conuincit ratio superius producta, in qua proponenda prætentus est sensus earum vocum communiter vsurpatus. Quod si quis alterum ex duobus actibus purè comitantibus inuicem absque vllo inter se ordine causalitatis, & naturæ seù realis durationis; velit dicere imperantem, & alterum imperatum propter connexionem non mutuam eorum inter se, nihil contradico quoad meritũ peculiare actus tum imperati, tum imperantis eo sensu, quia id nihil pertinet ad rem ipsam, de qua communiter agitur sub illis vocibus. Quod ad rem ipsam attinet iam apparuit superius clare ex sensu, & ratione D. Thomæ possibile esse, idque multipliciter, vt voluntas velit aliquem suum actum reflexè; per alium actũ realiter distinctum à priori actu.

QVAESTIO XXXIX.

Vtrum quis mereri possit per actus elicitos physicè ab alio, sibique nihilominus imputatos moraliter?

VIDETVR posse. Quia Deus potest trásferre voluntaté vnius in voluntatem alterius, ità vt affectus vnius censeatur affectus alterius tum in ordine ad malum, tum in ordine ad bonum; Et quidem de translatione in ordine ad malum constat clarè ex peccato originali. In ordine autem ad bonum vrget in primis ratio paritatis. Deindè si Adamus perseuerasset in accepta iustitia, sicut ab ea decidit per peccatum; perseuerantia eius profuisset nobis ad transfusionem iustitiæ originalis; quantum de facto nocuit peccatum ipsius pro iactura eiusdem iustitiæ.

Respondetur. Hoc inter alia, differt indignitas & malitia peccati propria à dignitate, & bonitate propria operis meritorij, quod illa adæquatè consistit in priuatione, vt dictum est supra hæc verò adæquatè cōsistit in positiuo ex vnanimi omnium consensu. Fieri autem potest, vt aliquid inhærens alicui intrinsecè, priuet aliquē alium perfectione sua intrinseca, non solum in genere causæ efficientis inducendo in alium qualitatem, aut formam incompossibilem cum eius perfectione intrinseca, sed etiam in genere causæ formalis, nullo tali effectu superaddito. Ità priuat hominem gratia Dei decretum diuinum de illa non conferenda, & similiter quodlibet impedimentum cuiuslibet alterius causæ efficientis inhærens ipsi intrinsecè, & incompossibile

ſibile cum actione eiuſdem cauſæ productiuæ perfectionis alicuius in alio ſubiecto, per ſe ipſum immediatè, ac formaliter priuat idem ſubiectum ea perfectione. At fieri ſimiliter non poteſt, vt forma perfectiua inhærens intrinſecè vni ſubiecto perficiat formaliter, & immediatè per ſeipſam ſubiectum aliud, cui non inhæret intrinſecè. Nec enim vnquam fieri poterit, etiam de potentia abſoluta Dei, vt ego ſapiam, aut caleſiam per ſapientiam, aut calorem inhærentem alteri, & non inhærentem mihi, nec per ſeipſum immediatè, nec mediatè per effectum ab eo productum. Hac igitur de cauſa fieri poteſt, per diſpoſitionem Diuinam, vt actus malus elicitus phyſicè à voluntate vnius, imputetur nihilominus moraliter alteri tanquam ſuus proprius. Quia videlicet fieri poteſt, vt talis actus per ſe ipſum immediatè priuet alium rectitudine iuſtitiæ, & charitatis ſibi debita abſolutè, in quo ratio formalis peccati conſiſtit, ideòque reddit formaliter peccatorem eum, à quo non fuit elicitus phyſicè, ac immediatè; atque ita de facto accidit in actu peccaminoſo elicito phyſicè ſolà Adami voluntate, & nihilominus conſtituente verè peccatores omnes eius poſteros. At ob rationem contrariam fieri nequaquam poteſt, vt actus bonus elicitus phyſicè voluntate vnius afficiat nihilominus alium, eumque perficiat, & bonum, ac laudabilem reddat, aut conferat formaliter dignitatem ipſius perfectiuam ad aliquid. Cum igitur ratio meriti conſiſtat in dignitate perfectiua merentis, ratione cuius dignitatis debetur ipſi merenti præmium ex iuſtitia, quaſi diſtributiua, & propriè legiſlatiua ſeu gubernatrice, vt ſuperius dictum eſt; atque eiuſmodi dignitas perfectiua merentis ſit de conceptu meriti non ſolum condigni, ſed etiam congrui; concluditur neminem conſtitui poſſe formaliter in ratione merentis vllo pacto per actum elicitum phyſicè aliena voluntate, ſibique imputatum moraliter ratione alicuius

pacti, seù quasi pacti, aut dispositionis diuinæ voluntate præordinatæ; tametsi fieri, possit de potentia absoluta Dei, atque ità euenerit de facto respectu Adami, & posterorum, vt per actū alienæ voluntatis, & moraliter tantum suum constituatur formaliter in ratione peccatoris, & demerentis. Hac eadem ratione refellitur opinio Suarez, & aliorum, affirmans vim meritoriam nostrorum actuum bonorum augeri, atque intendi per consortium meritorum Christi Domini. Refellitur inquam, quia quodlibet augmentum meriti est augmentum dignitatis meritoriæ perficientis merentem, eundemque reddentis gratiorem Deo, atque placentiorem. Ratio autem à nobis proposita æquè efficaciter ostendit dignitatem eiusmodi perfectiuam nemini, vel etiam inadæquatè conuenire posse ratione formæ, seù actus inhærentis alteri, & non vniti sibi physicè. Vndè merita Christi Domini iuuant merita nostra, eisdemque cooperantur in genere causæ meritoriæ, quatenus Christus Dominus meruit nobis merita ipsa nostra, omniaque eorum præmia, tamquam causa vniuersalis meritoria, vt dictum est q. 41. de Incarnat. initio; non tamen iuuant merita nostra, aut eisdem cooperantur in genere causæ formalis; ità vt per actus meritorios Christi cōstituamur nos merentes, vel etiam inadæquatè: sicut neque constituimur Sancti, & iusti formaliter, vel etiam inadæquatè per sanctitatem, & Iustitiam, quà Christus Dominus iustus, & Sanctus est. Consequenter si Adamus, vti peccauit de facto, omisisset peccatum, & perseuerasset in accepta iustitia; habuissemus quidem hæreditariam innocentiam; ipsamque iustitiam dependenter ab illius actibus bonis, tanquam à remouentibus prohibens non tamen meruissemus quidquam ratione eorundem actuum. Ex quibus patet satis ad quæstionem, simulque ad rationem dubitandi.

FINIS.

INDEX

Rerum contentarum in quæstionibus de Actibus humanis.

A

Actus Diuini.

ACTVS liberi diuini non habent rationem præmij secundum se, q.35. ad 7.
Actibus diuinæ voluntatis non debetur laus strictè sumpta, sed aliquid maius laude. q.18. art.5. & 6.
Et laus tantum gratificatoria. q.19. ad 12.

Actus humani.

Actus humani qui. q.1. art.5.
Sunt necessarij ex natura rei, ad obtinendam beatitudinem, tota quæstione 6.
Omnes ex suo conceptu referuntur intrinsecè ad vltimum finem. q.1. art.5. & 6.
Non omnes conferunt ad vltimum finem, sed plures ab illo auertunt. q.6. ad 4.
Dupliciter possunt dependere à fine, vel mouente negatiuè, vel positiuè, q.28. art.5.
Quomodo participent bonitatem, vel malitiam vtriusque finis, ibid. art.6. & 7. & ad 3. art. 2. & 3.

Soli actus humani sunt propriè moralcs. q. 16. art. 2.
Quilibet actus voluntatis est simul determinatio ad tale motiuum, & ad tantam intensionem sui. q. 15. ad 4. art. 1.
Specificantur ab obiectis, & circumstantijs q. 18. art. 1. & 2.
Quomodo desumant bonitatem, vel malitiam ab ijsdem. ibid. art. 5. & seq.

Actus indifferentes.

Dantur aliqui actus indifferentes negatiuè in indiuiduo, & secundum speciem. q. 27. art. 1.
Quomodo species, & indiuiduum hic sumatur. ibid. art. 2. & ad 1.

Actus honesti.

Actus honesti præponderantia supra inhonestum. q 25. art. 7.
Actus inhonesti malitia, & ineligibilitas, eiusq; augmentum. ibid. art. 8. & 9.

Actus liberi.

Actus liber est essentialiter comparatiuus extremorum, inter quæ versatur. q. 14. art. 1.
Superatiuus difficultatum. ibid.
Et essentialiter liber, adeòque differt essentialiter ab actu necessariè. ibid. & seq. art.
Comparatur cum actu necessariò, sicut actus opinatiuus cum euidenti. q. 14. art. 2. & 3.
Non potest transire de libero in necessarium. q. 14. ad 3. art. 1. & seq.
Actibus liberis præeminent ex genere suo actus necessarij. q. 3. ad 5. art. 1.
Actus liber dependet à potentia, quatenus potente ipsum impedire, vt influente negatiuè, à qua accipit indirectè aliquam perfectionem. q. 14. ad 1. & ad 2. ad 4. & ad 6.
Non potest transire de non imperato ad imperatum. ibid. ad 3. art. 4.
Nec indifferentia actionum exteriorum vt pro-
cedant

cedant à potentia libera, aut necessaria, nec indifferentia cognitionis abstractiuæ ad veritatē, & falsitatē; nec similis indifferentia aliorū effectuum physicorū probat indifferentiā actuum ad libertatem, vel contrariam necessitatem. q.14.art.3. & ad 3. art.3.& ad 4.

Actus libere elicitus, libere conseruari potest absque vllo alio actu reflexo, aut omissione actus reflexi. q.15. ad 5.

Actus eatenus sunt laude, vel vituperio digni quatenus sunt liberi. q.19.art.9.& seq.

Probabile est nullum actum liberum posse esse præmium, ratione sui immediatè. q.36. ad 4. art.1.

Probabilius tamen est, quatenus prouenit à Deo posse esse præmium. ibid. art.2.

Actus liberi diuiduntur in morales,& non morales. q.17.art.3.

Actus morales.

Actuum moralitas desumitur relatè ad dictamen prudentiæ. q.16.art.2.& q.17.art.1.

Actibus moralibus competit, tamquam proprietas quarto modo dignitas laudis, & vituperij. q.18.art.1.& 8.

Actus moralis diuiditur in bonum, & malum tamquam genus in species. q.26.art.1.& seq.

Hæc diuisio est adæquata. q.27. art.3. & seq.

Idem actus internus non potest modò esse præceptus, modo prohibitus q.25.ad 1.art.1. & 3.

Neque per hoc quidquam derogatur dominio Dei ibid.art.2.

Nullus actus moralis, neque per se, neque per accidens potest esse indifferens in indiuiduo. q.27.art.6.& ad 2. art.1.& seq.

Nullus actus potest esse moraliter bonus secundum vnam formalitatem, simulque malus quoad aliam. q.28.art.8.& seq.

Neque potest esse bonus simul, & malus. q.28. art.1.

Actus meritorij.

Vide *Meritum. opus bonum.*

Actus voluntarij.

Omnes, & soli actus humani sunt voluntarij. q. 7. art. 2. & seq.

Repugnat, vt sint violenti. ibid. art. 7. & ad 2.

Quid dicendum in casu chymerico, quo volitio, & nolitio à Deo infunderetur nobis merè passiuè nos habentibus. ibid. art. 8. & 9.

Amor beatificus.

Est secundarium beatitudinis formalis prædicatum. q. 3. art. 15.

Idem amor beatificus est vltimus exequutionis terminus, non tamen vltimus finis propter quem. q. 3. ad 5. art. 2. & q. 4. art. 1.

Vnus & idem actus voluntatis in beato, simul est amor, fruitio, & gaudium. q. 4. art. 2. & seq.

Amor beatificus est reflexiuus supra se ipsum. q. 4. art. 6.

Differt specie ab amore viæ. ibid. art. 7. & seq. & ad 5. & q. 14. ad 7.

Discrimen amicitiæ hominum mutuæ ab amicitia eorundem cum Deo. q. 4. art. 3. & seq.

B

Beatitudo.

Beatitudo obiectiua exponitur. q. 2. art. 1.

Beatitudo obiectiua essentialiter sumpta non consistit in vlla re creata, aut rerum creatarum collectione. ibid. art. 1. & seq.

Non consistit in bonis fortunæ, aut corporis. ibid. art. 3. & 4. ad 3. & 4. art. 5. & ad 5.

Non in bonis animi, nec in vlla creatura quantumuis perfecta. q. 2. art. 6. & 7.

Beatitudo obiectiua consistit in sola Dei bonitate; ad eius tamen integritatem accidentalem pertinent aliqua bona creata. ibid. art. 8.

Bea-

Beatitudo formalis hominis constituitur necessariò per aliquid realiter distinctum ab homine, & Deo. q. 3. art. 1.
Non potest esse vnio physica hominis cum Deo. ibid. art. 2.
Beatitudo formalis debet esse aliquid nobis intrinsecum. q. 3. art. 3.
Non potest esse actus primus operandi, sed operatio. ibid. art. 4.
Neque vlla operatio sensitiua, nec rationalis circa obiecta creata secundum se. ibid. art. 5.
Neque qualiscunque cognitio, aut dilectio Dei. ibid. art. 6.
Beatitudo formalis adæquatè consistit in sola visione Dei immediata. q. 3. art. 6. 7. 8. 12. & seq.
Actus beatifici sunt propter beatitudinem obiectiuam. q. 3. ad 2.
Conceptus essentialis beatitudinis formalis tum naturalis, tum supernaturalis pro statu viæ, includit intrinsecè dilectionem Dei super omnia. ibid. ad 7. art. 1. & seq.
Non repugnat conceptui beatitudinis formalis inæqualitas quoad intensionem in alijs, atque alijs beatis. tota q. 5.
Intensio actuum beatificorum causat in beato peculiare gaudium intensionis; priuatio non causat vllam tristitiam. ibid. art. 4. & ad 1.
Æqualitatem beatitudinis in beatis non probat æqualitas gloriæ corporis. q. 5. ad 4.
Minus substantialiter beatus potest altero magis beato maiorem delectationem habere ex rebus creatis. q. 5. ad 6. art. 2. & 3.
Homo præsertim viator, non potest esse perfectè beatus naturaliter. q. 3. ad ar.

Bonitas Bonum.

Bonitas creata est defectuosa, & defectibilis. q. 2. art. 2.
Solum illud dici potest, bonum ex quo prouenit aliqua maior subiecti perfectio. q. 3. art. 3.

Boni, vtilis, delectabilis, & honesti expositio q.20.ad 7.art.1. & 2.
Bonitas, & malitia actuum humanorum dependet ex obiecto, & circumstantijs. q.25.art.1. & seq.
Bonitas, & malitia conueniens actioni exteriori, in quo sit priùs. q.25. ad 5.art.1.
Bonitas, & malitia prouenieus ex circumstantijs est substantialis reipsa actui. q.26. ad 3.
Nulla bonitas, aut malitia redundat ex fine mouente negatiuè tantùm. q.28.ar.6. & 7.
Nulla bonitas redundat in actum à solo obiecto materiali, redundat verò malitia. q.25.art.5.
Quomodo accipiendum illud Dionisij bonum ex integra causa. q. 28. art.8.
Nulla bonitas, aut malitia specialiter imputabilis resultat ex actione exteriori. q.29. ad 8.
Bonitas actus confert magis ad meritum, quam difficultas. q.31.ad 8.art.1.
Bonitas, & malitia moralis quid superaddant supra bonitatem, & malitiam purè physicam. q.17.art.3.
Bonitas, & malitia phylosophica vndè petatur q.20. ad 5. art.1.
Vndè Theologica. ibid.art.2. & q.21. ad 5.
Qualium præmiorum, & suppliciorum dignæ sunt. q.30.ad 3.art.1.& seq.

C

Circulus.

Circuli vitiosi obiectiui, & formalis expositio, & differentia à mutua connexione q.21.ad 4.

Circumstantiæ,

Dant bonitatem, & malitiam actui.q.25.art.1. & seq.
Bonitatem quidem si induant rationem obiecti formalis; malitiam verò etiam si tantum præcognoscantur, vt malæ. ibid.art.7.

Tran-

Translatitiæ dicuntur tales respectu actus interni. ibid. ad 3.
Circumstantiæ differentia ab obiecto, q.26. ad3.
Quæ mutant speciem. ibid.

Coactio.

Aliquando strictè, aliquando latè sumitur. q: 12. art. 17.
Cur Augustinus frequenter vsurpauit coactionem, prout oppositam indifferentiæ antecedenti voluntatis. ibid. art. 17. & seq.
Complexio contradictoria. Est obiectum solius intellectus. q. 12. art. 8.

Concupiscentia.

Non tollit directè voluntarium, aut minuit, sed auget ex communi sententia. q. 9. art. 1. & seq.
Sæpè tamen ex ea inuoluntarium mediatè procedit. ibid. art. 7.
Licet minuat liberum, non tamen minuit voluntarium. ibid. art. 6.
Concupiscentiæ, & timoris, & operationum ex ipsis prouenientium multiplex differentia. q. 9. art. 4. & seq.

Conscientia, Dictamen; Testimonium eiusdem.

Eius definitio. q, 22. art. 1.
Dictamen conscientiæ quid. ibid. art. 1. & 2.
Testimonium conscientiæ quid. ibid. art. 1.
Dictamen vltimum conscientiæ est proxima, & immediata regula morum. q. 22. art. 3.
Cur id ipsi conuenit. ibid. art. 4.
Est semper euidens, euidenterque conforme voluntati diuinæ. ibid. ad 5.
Tenemur parere dictamini conscientiæ errantis. q. 24. art. 1. 4. 5. & ad 3. & ad 6.
Actus disconformis conscientiæ inuincibiliter erranti est malus. ibid. art. 2.
Conformis bonus. ibid. art. 3.
Dictamen conscientiæ vincibiliter errantis non excusat actionem sequentem. q. 24. art. 4.

Hæc

Hæc tamen non erit mala malitia peculiari distincta à malitia ignorantiæ, nisi sit disconformis eidem dictamini. ibid. & art. 5.
Dictamen vltimum conscientiæ nunquam est falsum quoad honestatem motiui formalis. q. 24. ad 1. & ad 5.
Dictamen conscientiæ errantis, est conforme voluntati diuinæ obliganti per accidens. q. 24. ad 3. & ad 6.
Repugnat dictamen practicum præcisiuum inducens opus indifferens in indiuiduo. q. 27. ad 2. art. 1. & seq.
Consilium differt à præcepto ex parte obiecti directi. q. 21. art. 5. & seq.

Creatura.

Nulla creatura, aut creaturarum collectio est intrinsecà inannihilabilis propter magnitudinem perfectionis suæ.
Sunt aliquæ eiusmodi propter essentialem connexionem intentionalem cum decreto diuino. q. 3. ad 9. art. 1. & 2.
Nihil creatum potest habere rationem finis excellentiæ respectu diuinæ voluntatis, sed solum puræ vtilitatis. q. 18. art. 4.
Creaturæ intellectuales non sunt laudabiles ob amorem Dei præcisè, vt causæ primæ, q. 18. art. 6.
Possunt esse finis vtilitatis, & finis excellentiæ: ibid. art. 7.
Sunt laudabiles, aut vituperabiles propter solos actus morales. ibid. art. 8.

D

Damnati.

DAmnatorum omnium pœna, tum damni, tum sensus non est æqualis. q. 5. ad 5.
Nec vlla potest prouenire vlli consolatio ex minoritate malorum. ibid.

Demeritum.

Eius expositio. q.30. art.6.
Inest operibus nostris malis vis demeritoria apud Deum. ibid.
Licet non semper insit illa eadem vis apud homines. ibid. ad 1.

Deus.

Est nostra beatitudo obiectiua in actu primo proximo per sua prædicata necessaria; in actu secundo nobis extrinseco per liberam suam voluntatem se æternum communicandi. q.2. art.11. & 12.
Tam vt auctor naturalis, quam vt supernaturalis exigit dispositiones præuias ad vlteriorem agentium perfectionem. q.6. ad 2.
Deus sub conceptu causæ primæ à nullo contemni, aut odio haberi potest. q.13. art.2.
Potest sub alijs conceptibus. ibid. ad 2.
Non potest se habere purè omissiuè respectu creaturarum, aut etiam respectu peccati. q.25 ad 6.
Non potest esse finis vtilitatis, sed puræ excellentiæ. q.18. art.4.
Non conuenit ipsi laus strictè sumpta, sed aliquid maius laude. ibid. art. 5. 6. & 10.
Dei promissio duplex. q.32. ad 9. art. 3. & seq.
Nullo pacto potest dici causa peccati. q.26. ad 12.
Quomodo teneatur ad retributionem præmiorum, aut suppliciorum. q. 30. art.4. & seq. & ad 2. & q.31. art.8. & ad 3. & q.32. art.27. & seq. & ad 11.
Perfectio dominij diuini inducit necessitatem conferendi aliqua in præmium, & pœnam, & non aliter. q.36. ad 3.
Discrimen Dei ab hominibus in præmijs, & supplicijs. q.38. ad 3.
Cur Deus dicatur retribuere dum præmiat, tametsi nihil accipiat. q.38. ad 5.

Quid

Dictamen Prudentiæ.

Est fundamentum moralitatis, q. 16. art. 2, & q. 17. art. 1.

Est duplex. ibid.

A quo præcipuè habeatur moralitas actuũ. ibid.

Directiuum actuum humanorum duo importat, q. 17. art. 2.

Per quid differat à ratione inferiori. q. 24. ad 2.

In dubio practico tutior pars eligenda. q. 23. ad 2. art. 4.

Duratio.

Duratio actus liberi non est formaliter libera, quoad omnes, & singulas suas partes. q. 31. ad 2. art. 2.

Est minor libertas quoad perseuerantiam, quam quoad primam existentiam actus ibid. art. 3.

E

Electio.

Non est de ratione electionis liberæ vt sit inuoluntaria, vel etiam secundum quid. q. 11. art. 1.

Antecedenter ad electionem liberam existit necessariò in voluntate simplex complacentia, & displicentia. q. 13. art. 3.

Posita efficaci intentione finis non est libera electio medij vnicè requisiti. q. 13. art. 7.

Ad quamlibet electionem prærequiritur intentio efficax finis. q. 15. art. 1.

Electio inter æqualia non est moralis. q. 19. ar. 2.

Nec digna laude magnificante, licet aliquando sit digna gratificante. ibid. art. 3. & 4.

Qualis intentio talis necessariò est electio. q. 28. art. 1. & seq. & ad 1.

Intelligendum de electione formali, & non tantum materiali præcedens axioma. ibid. art. 11. & 12. & ad 3. art. 1. & seq.

Non potest esse simul bona, & mala. ibid. art. 4.

Error

Error repugnat, quo credatur vtramque partem contradictionis esse æquè malam. q. 19. ad 4. & q. 27. ad 2. art. 3.

F

Finis.

EIus diuisio explicatio, & comparatio inter se. q. 1. art. 1.
Operari propter finem formaliter, vel materialiter quid. q. 1. art 2.
Cui conueniat. ibid. art. 3. & ad 3.
Datur aliquis finis vltimus respectu hominis. q. 1. art. 4.
Est formaliter vnus, & idem respectu omnium, ibid. ad. 5. & ad 7. art. 1. & seq.
Est tantum materialiter multiplex. ibid. art. 3. ad 5. & ad 7.
Alius est vltimus negatiuè, alius etiam positiuè; vltimus positiuè alius per se talis, alius per accidens. q. 1. art. 2.
Intentio efficax finis prærequiritur ad quamlibet electionem. q. 15. art. 1.
Necessitat ad electionem medij, aut vnici, si proponatur tanquam vnicum, aut alicuius indeterminatè, si plura proponantur. ibid.
Fines, ad quos media possunt ordinari sunt in triplici genere. q. 18. art. 3.
Dupliciter mouet voluntatem ad aliquem actū negatiuè, & positiuè. q. 28. art. 5.
Ex motione negatiua nulla redundat in actum bonitas, vel malitia. ibid. art. 6. & ad 3. art. 1.
Ex motione positiua talis euadit actus qualis est finis. ibid. art. 7. & ad 3. art. 3.

G

Gloria.

CVr ab hominibus detur rectè factis q. 2. ad 4.
Adæquatè compensatiua virtutis, est quæ

habe-

habetur apud Deum, non quæ humana est. ibid.

Gratitudo.

Gratitudinis proprium est plus rependere quam acceperit boni. q.21.art.6.

Gratia.

Gratia habitualis requiritur ad meritum condignum vitæ æternæ. q.32.art.11. & seq.

Et quidē vt influens in opus. ibid.art.22,& seq.

Potest influere in opera bona, etsi ignoretur ab operante. ibid.ad 7.

H

Honestas, Honestum.

HOnestas obiectiua non consistit formaliter in eo, quod obiectum præponderet suo cōtradictorio. q.21.art.3.

Nec quod præponderet vniuersaliter cuicunq; secum incompossibili, siuè positiuo, siuè negatiuo. ibid.& art.4.

Nec præcisè in conuenientia cum natura rationali vt rationalis est. ibid.art.5.

Consistit in conducentia ad vltimum finem. ibid.art.7.& 8.

Honestum, & inhonestum sunt extrema contradictoria. q.27.art.5.

Sed non purè talia. ibid.ad 4.

Hypothesis impossibilis.

Vulgares loquutiones de hypothesi impossibili non sunt magni faciendæ à scholasticis. q.20. ad 7.art.4.

Quid significetur dum vulgo dicitur si nō esset lex, Deus &c. adhuc tamen honorandi essent parentes &c. ibid.

I

Ignorantia.

IGnorantia triplex. q.10.art.1.

Comitans nullum causat propriè inuoluntarium.

rium,sed tantum non voluntarium quoad id, quod ignoratur. ibid. art. 2.
Consequens causat inuoluntarium, tantum secundum quid quoad id, quod ignoratur. ibid. art. 3.
Antecedens causat inuoluntarium simpliciter. ibid. art. 3.
Dummodo sit talis, quæ per se ipsam non variat speciem actus. ibid. art. 8.
Exponitur causalitas ignorātiæ. ibid. ar. 5 & seq.
Quatenus vincibilis est, est peccaminosa. q. 28. ad 4. art. 1.
Postquam iam inuincibilis reddita est, excusat à nouo peccato; imò obligat. ibid. art. 2. & 3.

Inhonestum.

Eius ratio. q. 21. art. 7. & 8.
Exclusio inhonestatis, est honestas. q. 27. art. 5.
Vide *honestas.*

Impetratio.

Vide *opus bonum. Meritum, oratio.*

Inclinatio.

Neque naturalis, neque habitualis potest determinare absolutè voluntatem. q. 12. ad 1. art. 1.

Intellectus.

Præeminet voluntati. q. 3. ad 5. art. 1. & seq.
Regulat omnes actus voluntatis. q. 22. ad 3.
Non potest cognoscere clarè alias, atque alias reflexiones sine fine circa quemlibet actum. q. 15. ad 4. art. 2. & ad 3.
Potest determinari à voluntate ad assensum opinionis minus probabilis. q. 33. ad 1. art. 1. & 2.

Intensio.

Intensio actus auget meritum. q. 34. art. 6.
Maior, & minor intensio actus non est specialiter libera voluntati. q. 34. art. 2. & seq.
Quomodo dignoscatur maior, & minor intensio. ibid. ad 1.

Intentio.

Qualis intentio, talis necessariò est electio, & opus consequens. q. 28. art. 1. & seq.

Vide

Vide electio.
Nulla intentio potest esse bona simul, & mala. ibid. art. 4.
Intentio habitualis, quo pacto conferat, & quo non conferat ad meritum, aut demeritũ actuũ subsequentium. q. 37.

Inuoluntarium.

Eius expositio. q. 7. art. 4.
A quo causetur vide ignorantia, Concupiscentia, Metus.

L

Laus.

Laus strictè sumpta exponitur. q. 18. a. 1. & 2. Ex conceptu suo est comparatiua melioris cum minus bono proximè possibili respectu laudati. q. 18. art. 10.
Actibus diuinæ voluntatis non debetur laus strictè sumpta, sed aliquid maius laude. ibid. art. 5. & 6.
Voluntates creatæ non sunt laudabiles ob amorem Dei præcisè, vt causæ primæ, ibid. ar. 6.
Ex fine puræ vtilitatis nulla laudabilitas redundat in intentionem ipsius. ibid. art. 5.
Dignitas laudis, & vituperij est propria actuum humanorum, quatenus liberi sunt. ibid. art. 1. 8. 9. & seq.
Dignitas laudis non est discretiua operationis meritoriæ à non meritoria. q. 31. ad 6.
Laus, & vituperium dicuntur de cæteris præter actus morales analogicè, & secundariò. q. 18. ad 2.
Laus nostra subordinatur gloriæ diuinæ. ibid. ad 1.
Laus bonæ ordinationis pertinet ad auctorem electiuum eius. ibid. art. 2.
Quæ laus sit præmium virtutis. q. 31. ad 6.

Lex.

Lex naturalis scripta in cordibus nostris manuducit ad cognitionem diuinæ voluntatis. q. 20 ad 6.

Lex

Lex naturalis, quam voluntatem Dei importet. q.21.art.6.
Quam itidem positiua. ibid.
Lex præcipiens, & prohibens sub lethali, & sub veniali; consilium & permissio differunt ex parte obiecti directi. ibid. & art. 7. & 8.
Non sufficit ad eam differentiam solus modus tendendi, aut sola reflexio actuum supra se, aut præponderantia mutua obiectorum siue absoluta, siuè relatè ad naturam rationalem. q.21. ab art.2. ad 6.
Ex legibus demonstratur libertas indifferentiæ. q.12. art. 3.

Libertas.

Libertas indifferentiæ quid sit. q.12.art.1.
Demonstratur inesse homini ex pluribus effectibus, & proprietatibus operationum humanarum, ibid. art.2. ex legibus art. 3. ex laude, & vituperio art. 4. Ex consilio, præcepto, & correptione art. 5. ex gratitudine, & vindicta art. 6.
Demonstratur ratione à priori. ibid. art. 7.
Probatur ex sacris litteris, & Concilijs. ib. ar. 9.
Eam libertatem sæpè agnoscit Augustinus. ar. 10. & seq.
Nec obstat, quod frequenter videatur agere de sola libertate à coactione. ibi. ar. 17. & seq.
Non inest voluntati proxima libertas indifferentiæ ad omnia obiecta. Neq. semper àd eadem, nec ad omnes actus possibiles circa singula. Neque semper ad eosdem. q. 13. art. 1. & seq.
Non inest libertas ad bonum, vt sic, ad existentiam sui, ad felicitatem, ad existentiam Dei, vt causæ primæ volendam, & nolendam. ib. ar. 2.
Habita intentione efficaci finis non est libera voluntas ad electionem medij vnicè requisiti. q.13. art. 7.
Non est specialiter libera voluntas ad maiorem, vel minorem intensionem suorum actuum. q.14. art. 2. & seq.

Minor

Minor libertas ineſt voluntati, quoad perſeuerantiam, quam quoad primam exiſtentiam actus. q. 14. ad 2. art. 3.
Libertas contradictionis, & contrarietatis exponuntur. q. 15. ad 3.
Nobilius eſt in intellectu, quã in voluntate. q. 3. ad 5. art. 1.
Poteſt voluntas libere eligere bonum minus relicto maiori, dummodo comparetur cum illo tanquam excedens, & excessum quoad aliquid. q. 12. ad 1. art. 8. & ad 3. art. 1.
Poteſt eligere vnum ex duobus omninò & æqualibus, & ſimilibus ex motiuo communi reſpectu vtriuſque, quando alterutrius electio præponderat omiſſioni vtriuſq. ib. ad 3. ar. 2.
Ad rationem potentiæ proximæ liberæ quæ requirantur. q. 13. art. 4. q. 12. art. 7. & 8.
Ratio cur deſit libertas dormientibus pueris decrepitis, ebrijs, amentibus, & perturbatis. q. 13 art. 5. & 6.
Omnis libera operatio voluntatis dependet ab aliqua eiuſdem operatione neceſſaria. q. 13. ad 1.
Subordinatio, & dirigibilitas voluntatis reſpectu intellectus probat indifferentiam voluntatis ad eligendum inter plura. q. 12. ad 4. art. 1 & ſeq.
Libertas voluntatis ad quamlibet electionẽ includit intentionem efficacem finis. q. 15. art. 1.
Libertas in actu ſecundo, eſt adæquatè intrinſeca actibus liberis. q. 14. art. 1. & ſeq.
Vide *actus liberi*.
Antecedenter ad electionem liberam exiſtit neceſſariò in voluntate ſimplex complacentia, & diſplicentia. q. 13. art. 3.
Alia libertas eſt imperfecta & purè phyſica; alia perfecta, & moralis. q. 16. art. 2.
Quæ ſufficiat ad moralitatem: ibid. art. 2.
Non ſufficit ad moralitatem libertas ad actus æquales. q. 18. art. 10. & q. 19. art. 1. & ſeq.
Nec quidquam facit, quod Deus efficaciter præ-

de

definiat actum, qui de facto elicitur. q. 19. ad 2.
Multo minus sufficit ad meritum. ibid. ad 3.
Vide *actus meritorij. actus morales.*
Subordinatio nostræ voluntatis respectu diuinæ. Renitentia concupiscentiæ, astrorum impressio, & influxus non tollit, neque minuit libertatem hominis. q. 12. ad 5. art. 1. & ad 7.

M

Malitia.

Est indistincta realiter ab aliquo bono. q. 29. art. 3. & seq.
Reijciuntur quinque opiniones circa constitutionem formalem malitiæ moralis. ibid. ar. 11. & seq.
Omne malum tum physicam, tum morale consistit in priuatione boni debiti. q. 29. art. 1. & seu. & ad 9.
Malitia moralis consistit formaliter in sola priuatione rectitudinis debitæ inesse operanti. q. 29. art. 8.
Hæc priuatio est adæquatè identificata cum actu malo. ibid. & art. 6. & 7.

Martyrium.

Inducit gloriam ex opere operato. q. 38. ad 2.

Medium.

Omnis ordinatio mediorum ad finem est libera alicui principio. q. 18. art. 2.

Metus.

Eius definitio. q. 8. art. 1.
Eiusdem diuisio. ibid. & art. 3.
Metus connaturalis afficiens per se humanam naturam non causat inuoluntarium. ibid. ar. 1. & 2.
Innaturalis, violentus, & per accidens afficiens humanam naturam causat inuoluntarium

tan

tantum secundum quid. ibid. art. 3. & seq.
Nullus contractus, aut alia actio ex metu facta, irritari potest, quasi non sit simpliciter voluntaria. q. 8. ad 2.
Operationum ex metu naturali, & violento ortarum differentia. q. 9. art. 5.

Meritum.

Communis eius expositio. q. 30. art. 1.
Meriti hominis apud Deum expositio. ibid. ar. 2.
Inesse operibus bonis vim meritoriam apud Deum est certum ex fide, & ratione. q. 30. art. 3. 4. & 5.
Licet non semper insit vis meritoria apud homines. ibid. ad 1.
De conceptu meriti est contemptus liber, & arduus commodi temporalis. q. 31. art. 1.
Quod probatur ex scripturis. ibid. art. 2. & 3.
Idem probatur ex eo, quod soli viatores sint capaces meriti. ibid. art. 4. & seq.
Ostenditur hoc virtualiter contineri in Tridentino. ibid. ad 1.
Quæ difficultas in benè operando conferat ad meritum, quæ illud diminuat. q. 31. ad 5.
Bonitas actus magis confert ad meritum, quam difficultas. ibid. ad 8.
Meritum Sanctiorum per se est maius absolutè, quam minus Sanctorum, semper tamen est superatiuum alicuius commodi temporalis. ibid. ad 8, art. 1. & seq.
Ad meritum vitæ æternæ requiritur status viæ. q. 32. art. 3. & 4. & ad 3.
Enoch, Elias, nec Patres olim, neque nunc pueri in lymbo quidquam merentur. q. 32. art. 8.
Promouetur ratio D. Thomæ, qua probat beatos esse incapaces meriti. ibid. art. 9.
Ad meritum vitæ æternæ de condigno requiritur gratia habitualis. ibid. art. 11. & seq.
Opera iustorum adhuc viatorum saltem aliqua esse meritoria de condigno vitæ æternæ est certum. q. 32. art. 15. et seq.

Actus

Actus vltimo disponentes ad iustificationem non sunt meritorij vitæ æternæ de condigno. nec cōtradicit Tridentinū. ibi. ar. 23. 24. & 25.
Adultus præeunte præuia dispositione iustificatus potest dici mereri primam gloriam condignitate merentis, licet non condignitate operis meritorij; iuxtà D. Th. ibi. ar. 28. & 29.
Cur operibus subsequentibus ad iustificationē non tribuatur ratio meriti de condigno, respectu primæ gratiæ, sicut respectu eius augmenti, & gloriæ. ibid. art. 25. & 27.
Quilibet actus supernaturalis iusti viatoris subsequentes ad iustificationem sunt meritorii vitæ æternæ de condigno. q. 32. art. 30.
Purus homo iustus non potest alteri, sed sibi soli mereri de condigno vitam æternam, aut augmentum gratiæ, & gloriæ. ibid. art. 31.
Potest pro alio satisfacere, & impetrare. ibid. ad 8.
Vniuersaliter opera iusti viatoris esse meritoria ex natura rei, & non ex liberalitate, & promissione diuina, probatur efficaciter. q. 32 ab art. 16. & ad 9. art. 1. & seq.
Non potest etiam miraculosè negari præmium meritis humanis, saltem omnibus. q. 33. ad 12.
Non quodlibet opus est meritorium cuiuslibet præmij. q. 33. ad 1.
Meritum crescit ex intensione. q. 34. ar. 1. & 6.
Ex duratione formaliter libera. ibid. ad 2. art. 1.
Meritum puræ creaturæ non potest esse posterius tempore, quàm præmium. q. 35. a. 1. & seq.
Meritum Christi potest. ibid. ad 5.
Nullum meritum potest esse posterius natura quam præmium; nec principium meriti potest cadere sub meritum. q. 35. art. 5.
Actus nostri non sunt meritorij, vt sunt in decretis diuinis, sed vt sunt in se. ibid. ad 6.
Meritum, & præmium conuertuntur inter se, & inuicē dependēt ex natura rei. q. 36. a. 1. & seq.
Donum conferibile in præmium magis dependet à merito ex natura rei, quam effectus quilibet

Z libet

libet à sua causa efficienti. q. 36. art. 3. & 4.
Meritum magis dependet à præmio, quam præmium a merito. ibid. art. 4.
Actiones externæ cæteris paribus non augent rationē meriti, aut demeriti. q. 38. art. 1. & seq.
Nec actus interni efficaciter, & determinate imperati. ibid. art. 4.
Meritum de condigno quid? q. 32. art. 2.
Stabilitur distinctio meriti congrui à condigno q. 33. art. 1. & seq.
Quænam prædicata sint vtrique merito communia. q. 33. art. 5. & seq.
Rationes insufficientes discriminis inter vtrumque. ibid. art. 5. & seq.
Legitima ratio, discriminis. ibid. art. 10.
Nulli dono purè creato repugnat, vt cadat sub meritum congruum. q. 33. art. 12.
Peccator potest mereri de congruo suam iustificationem. ib. art. 2.
Non potest iustus mereri sibi de congruo reparationem post lapsum, nec perseuerantiam finalem. q. 33. art. 14.
Iustus potest mereri de congruo, peccatori remissionem peccatorum. ibid. art. 15.
Nemo mereri potest de congruo, vel de condigno per actum elicitum physicè ab aliena voluntate; tametsi peccare, & demereri possit actu physicè alieno. q. 39.

Mos Moralitas.

Moris, & moralis duplex vsurpatio. q. 16. ar. 1.
Moralitas radicalis est indistincta à dictamine prudentiæ. q. 17. art. 2.
Moralitas formalis est indistincta ab actibus voluntatis ab illo dictamine directis. ibid. & a. 2.
Operatio dicitur moralis strictè & propriè relatè ad dictamen prudentiæ. q. 16. art. 2.
Solæ operationes liberæ sunt morales moralitate strictè sumpta, nō tamen omnes; sed eæ solū, quæ libertate perfecta, ac discernente honestū ab inhonesto præditæ sunt. q. 16. a. 2. & 3.
Moralitas quomodo cōueniat alijs rebus physicis. q. 17. ar. 4.
N e-

N

Negatio.

NVllum potest esse principium puræ negationis secundum se, & directè. q. 15. a. 7. & ad 1. & q. 29. art. 3. & seq.
Non esse rei, & priuatio quomodo sint capaces augmenti, & diminutionis. q. 29. art. 8. & 9. & ad 2.
Negationum specificatio, & oppositio. ibid. ad 3. & ad 4.

O

Obiectum.

OBiecta actuum voluntatis triplicia. q 25. art. 1.
Dant bonitatem, & malitiam actui. ib. a. 1. & seq.
Bonitatem solum formale, malitiam etiam materiale. q. 25. art. 5. & seq.
Obiecta indifferentia, quibus superadditis, constituant actum in ratione boni, aut mali. q. 27. art. 1.

Omissio.

Repugnat pura omissio libera. q. 15. ar. 1. & seq.
Occasio admittendi talem omissionem vnde nata sit. ibid. art. 7.
Pura omissio libera malè dicitur ab aduersarijs esse virtualis, & interpretatiuus amor erga motiuum propter quod omittit voluntas. ibid. art. 4. & 5.
Neque benè dicitur esse futuritio conditionata actus omissi, si non adesset tale motiuum omittendi. q. 15. ar. 5. & 6.

Operatio. Opus.

Operatio præeminet potentiæ ad operandum. q. 3. art. 4.
Per operationem imperfectam peruenitur connaturaliter ad perfectam. q. 6.
Qualis intentio, talis operatio. q 28. art. 1. & seq.
Nulla operatio potest esse simul bona, & mala. q. 28. art. 4.

Potest eadem operatio externa esse nunc bona, nunc mala. ibid. ad 2.

Omne opus bonum supernaturale viatoris etiã sanctissimi est superatiuum alicuius difficultatis. q. 31. ad 8. art 1. & seq.

Duplex difficultas in operando benè, Et quæ requiratur ad meritum. ibid. ad 5.

Opus meritorium de condigno quodnam. q. 32. art. 2.

Sola opera hominis iusti, qua iustus est, sunt materia de condigno vitæ æternæ. q. 32. art. 11. & seq.

Vide *meritum*.

Opera iusti conferunt dupliciter ad perseuerãtiam finalem. q. 32. ar. 26.

Non quodlibet opus est meritorium cuiuslibet præmij. q. 33. ad 1. & 3.

Operibus nostris non negatur ab Apostolo æqualitas proportionis cum gloria æterna; q. 32. ad 10.

Distinctio satisfactionis, impetrationis, & merit in operibus bonis; & quod neutra per reliquas duas impediatur, aut minuatur. q. 33. ad 3.

Opinio.

Definitur, & exponitur. q. 23. art. 1.

Opinio probabilis exponitur. ibid.

Opinio tuta quæ. q. 23. art. 4.

Quæ magis, aut minus tuta, magis, aut minus probabilis. ibid.

Auctoritas vnius viri pij, & docti sufficit ad probabilitatem opinionis. q. 23. art. 2.

Qui excipiendi. ibid. art. 3.

Eadem opinio potest esse magis probabilis, simulque minus tuta, & contra. q. 23. art. 4.

Opinio formaliter speculatiua, aut formaliter practica, quæ? ibid. art 5.

Eadem opinio potest esse speculatiuè probabilis. ibid.

Non licet vti opinione speculatiuè tantum probabili, & practicè improbabili. q. 23. art. 5.

Licet

Licet vti opinione minus probabili, minusque tuta. ibid.
Et quidem in qualibet materia, q. 23. art. 12.
Hæc sententia ab auctoritate est moraliter certa ibid. ad 2. art. 3.
Non sequitur ex nostra sententia vllam legem posse eludi. q. 23. ad 3. art. 1. & 2.
Adhuc esset licitus vsus opinionis, minus probabilis licet ad huius assensum non posset directè determinari intellectus à voluntate. ibid. ad 1. art. 4.
Probabilitas speculatiua non semper infert probabilitatem practicam. q. 23. ad 5. art. 1.
Quod patet in Ministro Sacramentorũ, Medico, Chyrurgo, Iudice. ibid. art. 2.
Nihil indè habetur contra vsum licitum cuiusuis opinionis practicè probabilis in quauis materia. ibid. art. 3.
Vtilitas, & necessitas huius nostræ doctrinæ. ibid. ad 6.
Stante dubio tutior pars est eligenda. q. 23. ad 2. art. 3. & 4.

Oratio.

Orationes in præteritum non sunt impetratoriæ, sed purè affectiuæ. q. 35. ad 3.
Tametsi admitteretur impetratoria oratio in præteritum, non rectè inferretur meritum in præteritum. ibid. ad 3. art. 3.
Publicani oratio fuit impetratoria, & meritoria iustificationis. q. 33. art. 2.

P

Peccatum. Peccator.

Peccatum omissionis, & commissionis exponuntur. q. 15. ad 3.
Materiale, & formale peccati. q. 29. art. 10.
Peccati lethalis, & venialis differentia ib. ad 6.
Peccatum philosophicum. Vide *bonitas, & malitia philosophica.*
Omne peccatum, tam commissionis, quam omissionis priuat aliqua rectitudine debita. q. 25. ad 5. art. 1. & 2.

Solus homo est auctor peccati non Deus. q.26. ad 2.

Quæ pericula vetantur sub peccato. q.23. ad 2. art.1. & 2.

Peccatum essentialiter ineuitabile absque auxilio supernaturali gratiæ connectitur intrinsecè cum illo non tamen est supernaturale. q.14. ad 5.

peccati malitia. Vide *malitia.*

Nullum peccatum præcedens potest augere vim demeritoriam peccatorum subsequentiũ. q.32. ad 6.

Amor Dei erga peccatorem simul cum odio peccati. q.33. ad 4.

Perplexitas.

Repugnat casus perplexitatis continentis in se necessitatem peccandi. q.27. ad 2. art.3.

Pœna.

Pœna peccati non potest præcedere peccatum. q.35. art.4.

Vtiliter proponitur à Deo. q.30. art.4. & q.32. ad 11.

Honestè vitatur. ibid. ad 8.

Præceptum.

Præceptum affirmatiuum, & negatiuum exponuntur. q.15. ad 3.

Præceptum differt à consilio ex parte obiecti directi. q.21. art.6. & seq.

Præmium.

Præmij ratio. q.31. ad 2. & ad 6.

Vtiliter, & necessariò proponitur à Deo. q.30. art.4. & q.32. ad 11.

Honestè appetitur. ibid. ad 5.

Repugnat, vt præmium sit prius tempore, quam meritum puræ creaturæ. q 35. art.1. & seq.

Præmium, & meritum connectuntur inter se, & inuicem dependent ex natura rei. q.36. a.1. & seq.

Donum conferibile in præmium magis dependet à merito ex natura rei, quam effectus quilibet à sua causa efficienti. q.36. art.3. & 4.

Non

Non est de ratione præmij vt sic vt sit negabile posito merito. ibid. ad 1. art 1.
Sed solum de ratione præmij humani. ibid. art. 2. & 3.
Implicat reuelatio de nullo præmio conferendo propter opus bonum iusti viatoris. q. 32. ad 5. art. 2.
Probabile est nullum actum liberum posse esse præmium ratione sui immediatè. q. 36. a. 4. ad 1.
Probabilius tamen est quatenus prouenit à Deo posse esse præmium. ibid. art. 2.

Priuatio.

Omnis cuiusuis boni priuatio est indistincta realiter ab aliquo alio bono. q. 28. art. 3. & seq.
Vide *negatio.*
Probabilitas. Vide *opinio.*
Promissio Dei. Vide *Deus.*

R

Regula morum.

Vltimus finis hominis est prima regula morum quoad ea, cum quibus ex se præcisè connectitur determinatè. q. 20. art. 1. & 2.
Quoad ea, cùm quibus ex se solum indeterminatè connectitur non habet rationem regulæ, nisi accedente determinatione liberæ voluntatis, ibid. art. 3. & 4. & ad 2. et ad 3.
Prima regula vniuersalis morum est voluntas Dei. ibid.
Decentia, aut dedecentia operationis respectu naturæ, qua rationalis est, est regula quoad nos prior, sed insufficiens se sola ad bonitatem, & malitiam theologicam q. 20. ad 5. ar. 1. & 2. et ad 7. art. 2. & 3.

Reuelatio.

Implicat reuelatio de nullo præmio conferendo propter opus bonum iusti viatoris. q. 32. ad 5. art. 2.
Perperam fit recursus ad reuelationes diuinas incertas pro manifestandis naturis aliarum

rerum.q.35.ad 8.

Reuelationes antecedentes ad opera bona, aut mala non sunt eorum præmiatiuè, aut punitiue. q.35.ad 8.

S

Satisfactio.

Satisfactio peculiaris actionis exterioris non probat meritum eiusdem speciale.q.28.ad 6.

Vide *opus bonum & meritum.*

V

Verbum otiosum.

Eius definitio. q.27.art.6.

Viator.

Viator simpliciter quis. q.32.art.1.

Status viæ respectu hominis conuertitur cum statu vitæ mortalis. q.32.ar.3.& 4.

Respectu Angelorum conuertitur cum statu libertatis ipsorum ad beatitudinem, & reprobationem. ibid.art.5.

Nullus viator benè operatur, etiam Sanctissimus absque intentione præmij. q.36.ad 5.

Requiritur status viæ ad meritum ex natura rei. q.32.art.3. & 4.& art,6.& 7.

Natura humana potest esse beata simul, & viatrix, non item Angelica, aut anima separata, & ideò Verbum Diuinum naturam humanam assumpsit. q.32.art.10.

Vindicta.

Vindictæ proprium est plus rependere mali, quã acceperit. q.12.art.6.

Visio Dei beatifica.

Excludit omnem miseriam tum animi, tum corporis.q.2.ad 6.

Est essentialiter indefectibilis.q.3.art.9.10. & 11.

Intrinseca indefectibilitas conuenit illi solum propter essentialem connexionem intentionalium cum decreto diuino.ibid. ad 9.ar.3.

Se sola est perfecta summi boni possessio. ibid. art.13.& ad 6. art.1.& seq.

Præ-

Præminet perfectione, dilectioni, & fruitoni summi boni. q.3.art.14.& ad 5.art.3.
Est radix cæterorum bonorum tum animi, tum corporis. ibid.a.12.& seq.& ad 3.ad 8.& ad 11.
Est perfectè reflexiua supra se ipsam. q.3.ad 10. art.1.
Exprimit Deum secundum plura prædicata specie distincta ab ijs secundum quæ exprimitur per fidem. q.4.a.9

Violentum.

Definitur, & exponitur, q.7.art.5.
Nullus actus voluntatis potest esse violentus. ibid.ad 2.

Vituperium.

Exponitur. q.18.

Virtus.

Virtutis præponderantia supra vitium. q.29.a.7.
Virtutum moralium duplex classis. ibid.ad 3.
Ex vitijs oppositis eidem virtuti morali, quodnã sit deterius ibid.

Voluntas.

Voluntas diuina est regula nostræ. q.20.art.3. & 4.& ad 3.
Voluntas Diuina obligans distinguitur à non obligante ex parte obiecti directi. q.21.art.2.
Impugnantur duæ rationes obiectiuæ istius distinctionis ab alijs allatæ. ibid.art.3, & 4.& 5.
Affertur vera ratio obiectiua qua distinguitur voluntas Dei legislatiua, consultiua, præceptiua, prohibitiua, permissiua. ibid.art.6.& seq.
Licet in nostra sententia voluntas Dei præceptiua, & prohibitiua terminetur ad actus præceptos, & prohibitos bonos, & malos, vt tales; & hi dependeant à voluntate Dei; nullus tamen communiter circulus vitiosus. q.21, ad 4. art.1. & 2.
Omnis determinatio voluntatis est actio positiua; vnde nihil potest purè omittere liberè. q.15. art.1.& seq.
Voluntas mouetur ab intellectu proponente bonum, bonitate relatiua, & non solum absoluta

luta. q.1.art.7.
Potest moueri dupliciter ab aliquo fine & quæ inde diuersitas in eius actibus. q.28.a.5.& seq.
Potest prudenter Imperare intellectui assensum opinionis minus probabilis. q.23.art.11.& 12. & ad 1.& 2.
Semper operatur cum omni conatu sibi possibili. q.34.art.2.& seq.
Potest imperare reflexè suos actus, idque multipliciter. q.38.art.4.& 5.

Voluntarium.

Eius definitio. q.7.art 1.
Conuenit solis appetitionibus immediatè. ibid.
Ratio voluntarij imperfecti conuenit etiam appetitionibus brutorum. q.7.art.2.& 3.
Ratio voluntarij perfecti conuenit omnibus, & solis actibus humanis. ibid.art.2.& seq.
Datur voluntarium mixtum inuoluntario. ibid. art.4. & seq.
Diuiditur in liberum, & necessarium, vt in species. q.11.art.1.& 2.
Voluntarium necessarium est absolutè perfectius ex genere suo. Respectu viatoris est perfectius liberum, q.11.art.3.
Voluntarium reperitur perfectissimè in actibus diuinis. q.11.art.1.
In humanis etiam perfectè pro conditione humanæ naturæ. ibid.

Votum.

Differt à simplici proposito ex parte obiecti directi. q.21.ad 3.

Bre-

Errata Corrige.

PAgina 4. versu 37. Excedens. excellens.
Pag. 5. versu 4. Præcedit. præcellit.
P.16. v.29. & cum. & quod cum.
Ibid. v.30. & quod cum. & cum.
P.25. v.28. effectui. affectui.
P.35. v. 2. sed vtramque. sed per vtramque.
Ibid. v 4. trahente dilectorem. trahente, Deum ad videntem, & dilectione similiter trahente dilectorem.
P.42. v.31. lib.3 r. 21.
P.48. v. 22. amen. tamen.
P.50. v.11. Procedimus ad intelligibilia *adde*; ibi è conuerso procedetur ex intelligibilibus ad sensibilia.
P.52. v.34. radamantis. redamantis.
P.56. v.6. Arost. Apost.
P.62. v.5. motiuo dilectionis. *interpone*. gaudij; & non est diuersum motiuum dilectionis, & gaudij beatifici à motiuo.
Ibid. v.40. intentionem. intensionem.
P.64. v.5. inde. deinde.
P.67. v.vlt. cognoscibilis. visio cognoscibilis.
P.70. v.6. an. ab.
P.72. v.6. qudad. quoad.
P.91. v.16. mouens non. *dele* non.
P.96. v.13. 15. id est, *ad*.
P.97. v.27. dist.1. d.1.s.1.n.6.
P.101. v.13. tradito certa. traditio orta.
P.108. v.18. voluntaria. inuoluntaria.
P.111. v.36. si in eo. *dele* si.
P.116. v.5. & actus. & actu.
P.120. v.8. occasione. occisione.
P.133. v.9 eiusdem. eiusmodi.
P.139. v.35. placente. placentem sibi definitionem.
P.149. v 40. efficacis, &. efficacis; alij verò exclusa scientia media.
P.153. v.38. & magis. & non magis.

P.25

P.154. v.25. confirmatur. conformatur.
P.206. v.13. prædeſt.55. prædeſt.c.5.
P.215. v.37. à liberè fine. liberè à fine.
P.223. v.25. q.21. q.31.
P.229. v.9. à proxima. à prima.
P.231. v.12. Quæ. quæque.
P.240. v.5. exparte. experte.
P.256. v.19. ad hoc. ab hoc.
P.262. v.11. teſtibus. textibus.
P.273. v.23. determinare. determinari.
P.284. v.32. autem non. autem falſa non.
P.285. v.25. inuincibiliter. vincibiliter.
P.291. v.vlt. Auguſtino. ex Auguſtino.
P.307. v.30. perficit. nec perficit.
P.308. v.vlt. vt præcipiat actum quem pro- *dele*.
P.312. v.25. ſpeciem. ſed. *interpone*. Quia non omnia prædicata adæquatè identificata variant eius ſpeciem.
P.313. v.29. etiam. autem.
P.318. v.18. à tranſitu. à tramite.
P.325. v.38. viuus. viſiuus.
P.330. v.12. ea. ex.
P.334. v.20. bonitati. voluntati.
P.346. v.8. *inferatur. inferat.*
P.352. v.15. *nihilationi. nihilicati.*
P.353. v.37. intrinſecè. identicè.
ibid. v.39. communiter materiale. communiter dicuntur materiale.
P.372. v.1. vt. aut.
P.377. v.26. vis. ſuis.
P.387. v.2. oblationem. collationem.
ibid. v.36. moralitatis. mortalitatis.
P.395. v.5. atque. aut.
P.418. v.39. vt autem. vt vt autem.
P.419. v.17. non deeſſe. nihil deeſſe.
P.431. v.11. qualitate. æqualitate.
P.433. v.30. ſatiùs. certius.
P.462. v.11. directiuæ. directuræ.